




Galleni
ars Parva


NGB LRI
M D








GALEN

III Ars medica



GALENI
ARS PARVA

IN

DISPVTATIONES

TRIGINTA RESOLVTA, ET IN almâ Argentoratensium Academiâ ingenii exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,

Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI

ANNO M.DC.XXXIII.



CATALOGVS

LIBRORUM GALENI, QUORUM MENTIO FIT in fine μικροτέχνης.

PRiusquam Catalogus librorum Galeni proponatur, ſciendum, non omnes in fine μικροτέχνης enumerari. Ideóque, ſi quis cognoſcere velit, quosnam libros Galenus conſcripſerit, legendum eſſe libellum, cui titulus, *Galeni liber de propriis libris*. Id quod ipſe quoque Galenus in ἐπιλόγῳ μικροτέχνης monet.

In iſto autem libello recenſentur libri, qui vel ſunt *Philoſophici*, Logici ſcil. Grammatici, Ethici, Phyſici & Mathematici: vel *Philologici*: vel *Medici*: & hi rurſus aut διδακτικοὶ, artem totam, vel aliquam ſolùm illius partem docentes: aut ἐξηγητικοὶ, dogmata Hippocratis explanantes: aut πολεμικοὶ, placita adverſariorum

refutantes: quales ſunt, qui v. g. contra Lycum, Julianum, Eraſiſtratum & Eraſiſtratæos in lucem prodierunt.

Deinde notandum, ne illos quidem omnes, quorum Galenus in arte parvâ meminit, ad noſtram perveniſſe ætatem, ſed temporis periiſſe injuriâ: cujus generis ſunt *libri de Demonſtratione: libri 2. de cõſtitutionibus artium: libri 2. de diſcordiâ ſectionis: liber de ſectione ſecundum Hippocratem: liber de pulſibus Archigenis: liber de ſectione mortuorum: libri de ſectione vivorum.* Nam liber de anatome vivorum inter τὰ νόθα Galeni refertur. Denique *libri 3. de motu thoracis ac pulmonum*, & *libri de Voce:* quorum tamen fragmentum extat, quod de voce & anhelitu inſcribitur, & itidem inter ſpuria Galeni ſcripta recenſetur.

Reliqui libri, qui adhùc extant, & quos Galenus in arte parvâ commemorat, vel ſunt extra artem, vel ad artem pertinent.

Extra artem eſt *liber de optimâ ſectâ ad Thraſybulum.* Qui ad artem pertinent, vel totam artem tradunt: vel aliquam ſolùm ejus partem exponunt.

Qui tradunt artem totam, ejus tantùm imagi-

imaginem repræsentant, h. e. eam compendiosè, & per capita solùm nobis exhibent: idque aut ordine ὁριστικῷ: quod facit *ars parva*: aut ἀναλυτικῷ: quod *libellus de artis constitutione* præstat.

Qui solùm aliquam artis partem explicant, id agunt, vel εἰσαγωγικῶς καὶ συνοπτικῶς, breviter & compendiosè: vel διεξοδικῶς, pleniùs & uberiùs.

Εἰσαγωγικοὶ aut sunt φυσιολογικοὶ, aut σημειωτικοὶ, aut θεραπευτικοί.

Φυσιολογικοὶ sunt *liber de Ossibus* ad Tyrones: *liber de sectione musculorum* ad Tyrones: *liber de Nervorum sectione* ad Tyrones: *liber de Venarum & Arteriarum sectione* ad Tyrones.

Σημειωτικοὶ sunt *liber de pulsibus* ad Tyrones: & *Synopsis 16. librorum de Pulsibus.*

Θεραπευτικοὶ sunt *liber de curandi ratione per sanguinis missionem*: qui veluti compendium quoddam & repertorium est eorum, quæ de venæ sectione, tùm alibi, tùm præcipuè in medendi methodo fusiùs dicta sunt: itemque *libri 2. de curandi ratione ad Glauconem*: quos Galenus tanquam epitomen artis curativæ in gra-

tiam Glauconis, ad peregrinationem ſeſe accingentis, memoriæ causâ exaravit: quemadmodum ipſemet *l.* 1. *c.* 1. & *l.* 2. *c. ultimo* illius opuſculi teſtatur.

Διεξοδικοὶ rursùs, vel ſunt φυσιολογικοὶ, vel παθολογικοὶ, vel σημειωτικοὶ, vel ὑγιεινοὶ, vel θεραπευτικοὶ.

Φυσιολογικοὶ declarant corporis humani principia, partes & affectiones.

Principia remota, ipſa ſcil. Elementa, docet *liber primus de Elementis*. Propiora, quæ ſunt 4. humores, enarrat *liber ſecundus de Elementis*: cui addi poteſt is libellus, in quo diſcutitur quæſtio, an ſanguis naturaliter in arteriis contineatur? Proxima, ſemen ſcil. & ſanguinem menſtruum, *libri 2. de ſemine* ediſſerunt.

Partes qui tractant, vel tractant omnes, vel quasdam ſolùm. Qui tractant omnes, vel id faciunt acroamaticè, & τὸ διότι in lucem proferunt: ut *libri 17. de uſu partium*: vel exotericè, & tantùm τὸ ὅτι explicant: ut *libri 9. de anatomicis adminiſtrationibus*. Qui verò eas in ſpecie enarrant, ſunt *liber de diſſectione nervorum*: *liber de diſſectione venarum & arteriarum*: & *liber de diſſectione muſculorum*. Affe-

Affectiones & accidentia vel solius sunt corporis: vel corporis & animi simul. Corporis accidentia sunt I. *Temperamenta*: de quibns præcipiunt *libri* 3. *de Temperamentis*: ex quibus tamen duo solùm priores de temperamentis animalium agunt: tertius verò de temperamentorum investigatione simplicium medicaminum disserit. II. *Corporis constitutio & habitus*: de quibus extant libri duo: unus, qui inscribitur de *optimâ corporis constitutione*; alter, qui *de bonâ habitudine agit*.

Corporis & animi accidentia sunt actiones & facultates: ex quibus istæ quidem soli animæ insunt: illæ verò ab animâ quidem proficiscuntur: sed sine corporis ejusque partium ministerio exerceri nequeunt.

Agitur autem de istis actionibus tùm in genere de omnibus: ut *libris* 9. *de decretis Hippocratis & Platonis*: tùm in specie de quibusdam solùm: & vel de naturalibus: ut *libris tribus de naturalibus potentiis*: vel de vitalibus: ut *libro de usu pulsuum*: vel de animalibus: ut *libris duobus de*

motu

motũ muſculorum: & *libro de Voce*: vel de mixtis: ut *libro de cauſis Reſpirationis*: & *libro de utilitate Reſpirationis.*

Παθολογικοὶ vel ſunt νοσολογικοὶ, vel αἰτιολογικοὶ, vel συμπτωματολογικοὶ, vel mixti.

Νοσολογικοὶ vel agunt in genere de morborum generibus & differentiis: ut *liber de Morborum differentiis*: vel in ſpecie de certis quibusdam morborum ſpeciebus: ut *liber de tumoribus p. n.* & *liber de inæquali intemperie.*

Αἰτιολογικοὶ vel cauſas explicant προκαταρκτικὰς: ut *liber de cauſis iſtis peculiariter* inſcriptus: vel cauſas ediſſerunt morborum, quorum genera propoſita fuerunt libro περὶ διαφορᾶς νοσημάτων· ut *liber de cauſis morborum*: vel cauſam docent multorum morborum: ut *liber de plenitudine*: vel cauſas proferunt in lucem omnium illorum ſymptomatum, quæ libro de differentiis ſymptomatum recenſita: ut *libri 3. de cauſis ſymptomatum.*

Συμπτωματολογικοὶ genera & differentias ſymptomatum omnium deſcribunt: ut liber hac de re peculiariter inſcriptus.

Mixti ſunt *libri 3. de difficultate Reſpirationis.*


rationis. In iis enim & de differentiis, & de causis, & de pręsagitione δυσπνοίας pręcipitur.

Σημειωτικοὶ aut sunt διαγνωστικοὶ, qui patefaciunt res præsentes: ut *Libri 6. de locis affectis: Libri 4. de differentiis pulsuum: Libri 4. de signis pulsuum: Libri 4. de causis pulsuum*: aut προγνωστικοὶ, qui quæ futura sunt præsagiunt: ut *Libri 4. de præsagitione ex pulsibus: Libri 3. de Crisibus: & Libri 3. de diebus decretoriis.*

Ὑγιεινοὶ de conservatione valetudinis tractant: ut *Libri 6. de tuendâ sanitate.*

Θεραπευτικοὶ generalem curandi modum ostendunt: ut *libri 14. de methodo medendi.* Hujus verò methodi instrumenta inter alia sunt I. Medicamenta: quæ vel sunt simplicia: de quorum viribus præcipitur *libris 11. de simplicium medicamentorum facultatibus*: vel composita: de quorum compositione κατὰ γένη verba faciunt *libri 7.* De compositione autem κατὰ τόπους *libri 10.* ad quos libellus ille referri potest, qui est *de medicinis expertis*, & inter Galeni νόθα scripta numeratur.

II. Alimenta: ad quæ reducitur *liber de victu attenuante.*



Disputatio
EX
ARTE PARVA GALENI
I.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

BARTHOLOMÆO SCHOBINGER
Sangallo-Helvetio.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



IN
ARTEM PARVAM GALENI
Præfatio.



QUæ *προλεγομένων loco dicere in* ARTEM PARVAM *decrevimus, memoriæ & perspicuitatis causâ ad* Materiam, Formam, Efficientem & Finem *referri posse videntur.*

Cùm verò Materia vulgò statui soleat triplex: In quâ, Ex quâ, & Circa quam: in MATERIA IN QUA argumentum, *hoc est, rem ipsam, in quâ tradendâ occupatus est* Galenus, *exponemus. In* MATERIA EX QUA divisionem, *seu partes, ex quibus opusculum totum est conflatum, docebimus. In* MATERIA *deniq;* CIRCA QUAM objectum *ejus, sive* subjectum *patefaciemus.*

Ad FORMAM *autem, &* Inscriptionem, *sive* Titulum, *quo insignitur: &* Methodum, *quâ conscribitur: &* Ordinem, *quem ad alia* Galeni *opera habet: &* Classẽ libror. Gal. *quâ in reponendum, reducemus.*

In EFFICIENTE CAUSA *quis Author illius sit? significabimus.*

Deniq; in FINE *de uſu & utilitate quædam aſpergemus.*

Argumentum *quod attinet, colligitur illud partim ex libri inſcriptione: partim ex* Galeno *ipſo, optimo ſui interprete. Inſcribitur enim à* Galeno ἰατρικὴ τέχνη, *ars medicinalis: & ab* Arabibus, *quemadmodum poſteà dicetur,* μικροτέχνη, *ars parva. Ex quo perſpicitur, artem medicam, breviter tamen & compendiosè, hîc proponi. Id quod etiam* Galenus *ipſe ſuo calculo confirmat. Etenim,* Cap. I. *ait, ſe alibi artem Medicam methodo* ἀναλυτικῇ *pertractâſſe: hîc verò* ὁριστικῇ *ſe uſurum: tùm quòd methodus iſta conducat* εἰς σύνοψιν τοῦ ὅλου, *ad compendium ſyſtematis totius: tùm quòd* μνήμη τῶν κατὰ μέρος, *memoriæ particularium plurimùm inſerviat. Cauſa patebit infrà, ex reſolutione contextûs. Subdit autem* idem ibidem, *ſe* τὴν κατὰ μέρος ἐξεργασίαν συμπάσης τῆς ἰατρικῆς θεωρίας, *particularem totius Medicinæ doctrinam pluribus tradidiſſe voluminibus: nunc verò artem totam methodo* ὁριστικῇ *explicaturum: ſed* ὡς μόνα τὰ κεφάλαια, καὶ οἷον συμπεράσματα τῶν κατὰ διέξοδον ἀποδεδειγμένων, *ſolùm capita & quaſdam veluti concluſiones eorum, quæ*

alibi

alibi fusiùs & uberiùs demonstrata sunt, propositurum. Quod ipsum etiam in fine libri *hisce verbis repetit:* νυνὶ οὐ διελθεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ μέρος ἡμῖν πρόκειται: μόνον δ' ἀναμνῆσαι τῶν κεφαλαίων ὧν ἐν ἑτέραις πραγματείαις ἐποιησάμεθα τὴν διέξοδον, *nūc nostri instituti nō est, particulatim recēsere omnia artis dogmata: sed capitum solùm facere mentionem eorum, quæ in aliis tractatibus latiùs sunt explicata.*

Sequitur Divisio. *Diviserunt autem interpretes quidam opusculum istud in tres libros: & in primo de* Corporibus: *in secundo de* Signis: *in tertio de* Causis *agi dixerūt. Verùm omittunt* προοίμιον *&* ἐπίλογον. *Deinde repugnant* Galeno, *qui unicum duntaxat libellum,* ἰατρικῆς τέχνης *titulo insignitum, conscripsit. Deniq; adversari videntur methodo* ὁριστικῇ, *quæ hîc à* Galeno *observata. Hæc enim, quia brevitate gaudet, & singula artis definitionis membra serie continuâ exponit: ideò hæc malè distrahuntur, & tribus distinctis libris declarantur. Quapropter, rectiùs & perfectiùs libellum istum in tres partes dividi posse arbitramur: in* Exordium, Tractationem, *&* Epilogum, *sive* Conclusionem.

EXORDIUM *primo capite absolvitur: quo in docetur, quot in universum sint methodi, seu modi ac rationes tradendarum artium ac disciplinarum? quibus in docendâ Medicinâ usi sint veteres? quam ipse* Galenus *aliâs observârit? quam hoc in libro sibi delegerit, & quid in eo tractare velit?*

TRACTATIO *secundo incipit capite, & usq; ad posteriorem partem capitis ultimi sese extendit. Potest verò clarioris doctrinæ causâ iterùm in tria membra subdividi. Cùm enim* Galenus μικροτέχνην *ordine* ὁριστικῷ *nobis describat: ordo verò iste tria requirat. I. ut ars definiatur. II. ut definitionis partes dividantur, & eò usque subdividantur, quò usq; divisionem admittunt. III. ut singulæ partes explicentur: tria quoq; totius* ἐργασίας *membra constituuntur.*

Primum *continet Medicinæ definitionem ab* Herophilo *traditam: quemadmodum patet* ex c. 6. Isagog. *utpote huic instituto valdè aptam atq; accommodatam.* Parte 1. cap. 2.

Secundum *particularum propositæ definitionis divisionem & subdivisionem complectitur.* Parte 2. cap. 2. *usq;* ad cap. 4.

Tertium *singularum particularum explicatio-*

cationem in se habet: & eo quidem ordine, quem κατὰ δεύτερον λόγον *in praxi eas habere* Galenus *in fine cap. secundi dicit: & quem secuturum se in fine cap. tertij pollicetur. Adeò ut & istud tertium* ἐργασίας *membrum rursus in tria alia, juxta triplicem rerum consideratarum differentiam, secari possit.*

Primum siquidem agit de Corporibus: *secundum de* Signis: *tertium de* Causis.

De Corporibus *tractatur capitibus 4. 5. & 6. & differentiæ eorum, quæ medicæ sunt considerationis, explicantur.*

De Signis *præcipitur in genere & in specie. In genere quidem* cap. 7. *ubi genera eorum exponuntur. In specie verò à* cap. 8. *usque ad* cap. 84. *exclusivè: quemadmodum liquet ex fine* cap. 83. *ubi doctrinæ de Signis finis imponitur.*

Quia verò in generali signorum doctrinâ dicitur, alia signa esse διαγνωστικά: *alia* προγνωστικά: *alia* ἀναμνηστικά: *hæc tanquam minùs utilia,* Galenus *omittit. Duo autem priora persequitur: & de diagnosticis primo: de prognosticis posteriore loco disserit.*

Cùm autem διαγνωστικά *vel patefaciant corpora sana: vel ægra: vel neutra: de sanorum*

signis agit à cap. 8. *usq; ad* cap. 75. *De signis ægrotantium* à cap. 75. *usq; ad* cap. 82. *De signis neutrorum, quæ in morbos lapsura sunt*, cap. 82. Προγνωστικὰ *verò, quæ exitum morbi portendunt*, cap. 83. *attingit.*

De Causis *disseritur à* cap. 84. *usq; ad partem posteriorem* cap. ultimi.

Primùm autem Galenus *generalem doctrinam causarum præmittit, h.e. differentias earum enarrat, & quo ordine de illis agere velit, significat*, cap. 84.

Deinde specialem subjungit: & I. de causis salubribus conservantibus, tanquam dignitate & tempore prioribus, tractat. II. de causis salubribus efficientibus, seu curativis, verba facit. III. de causis prophylacticis, seu præservantibus, docet. IV. de causis analepticis, h. e. reficientibus & instaurantibus sermonem instituit.

Quantum ad causas φυλακτικὰς *attinet*, Galenus *earum numerum primùm investigat:* Parte 1. cap. 85.

Deinde, investigatas corpori optimè constituto applicat, & quomodo suo in statu cõservari debeat, ostendit: Parte 2. cap. 85. *&* primâ ac secundâ parte cap. 86.

Ter-

Tertiò, quâ ratione illa tractanda sint corpora ostendit, quæ sana quidem sunt, sed ab optimâ constitutione nonnihil recesserunt, & vitium aliquod habent, leve tamen, vel in solâ temperaturâ, vel in solâ compositione: vel in solâ unione, sive continuitate: Parte postremâ cap. 86. c. 87. & parte primâ cap. 88.

Causis salubribus sanorum corporum, quæ φυλακτικαὶ, *conservantes dicuntur, absolutis, ad causas salubres* ποιητικὰς καὶ θεραπευτικὰς, *quæ ægrotantibus debentur corporibus, progreditur: & quo pacto singula morborum genera curari debeant, demonstrat.*

Primùm autem curationem primi morborũ generis, quod similaribus accidit partibus, intẽperiei nimirũ, tùm simplicis, tùm cõpositæ: ejúsq; tàm fientis, quàm factæ ꝓponit, c. 89.

Deinde curationem illius morborum generis, quod utrisq; partibus, similaribus & dissimilaribus, commune est, & Continui solutio nuncupatur, indigitat. Simplicis quidem & solitariæ, quæ cum nullo alio affectu est complicata c. 90. 91. & parte prima c. 92. *cũ alijs verò affectibus cõplicatæ* parte alterâ c. 92.

Tertiò curationem tertij morborum generis, quod dissimilares partes occupat, persequitur, usq; ad c. 99.

 Et

Et vitia quidem cõformationis, figuræ scil. cavitatum, & superficiei in lævitate atque asperitate curare docet cap. 93. 94. & 95. *Vitiis autem in numero, magnitudine, & positione, sive situ, medelam adhibet* cap. 96. 97. & 98.

Causas προφυλακτικὰς *quod spectat, de illis* Galenus *sermonẽ instituit* c. 99. *& quomodo corpora neutra decidentiæ, quæ in ægritudines incidere parata sunt, præservari debeant, significat.*

Ἀναληπτικὰς *verò* καὶ ἀναθρεπτικὰς, *refocillantes, reficientes, & instaurantes* parte priore cap. ultimi *perpendit: ac quomodo neutra corpora cõvalescentiæ, quæ nuper ex ægritudine emerserunt, tractanda sint, præscribit. Cúmque eodem penè modo Senes sint affecti, quo qui non ita pridem ægrotârunt; idcircò ad hanc partem etiam* γεροκομικὴν *refert.*

EPILOGUS, *sive* CONCLUSIO *libri habetur* parte posteriore cap. ultimi: *in quâ catalogum suorum scriptorum nobis* Galenus *offert: ut sciatur, undenam plenior fusiórque doctrina haurienda sit eorum, quæ tantùm per capita & summas hîc proponuntur.*

SUBJECTUM *est corpus humanum: non abso-*

absolutè consideratum: sed quatenus sanitati & morbo est expositum: quod universæ quoque Medicinæ subjectum statuitur. In illo enim omnis artis operatio versatur. Sunt quippe Medicinæ operationes generales 4. φύλαξις, προφύλαξις, θεραπεία, καὶ ἀνάληψις, ἢ ἀνάθρεψις. At φύλαξιν exercet in corpore sano: προφύλαξιν in neutro decidentiæ: θεραπείαν in ægro: ἀνάληψιν in neutro convalescentiæ: idque præstat triplici instrumētorum genere: nimirùm διαίτῃ, φαρμακείᾳ καὶ χειρουργίᾳ. Et hasce operationes etiam hoc in libro Galenus *docet: quemadmodum ex divisione illius liquet.*

INSCRIPTIO *patet ex* l. 5. de tuend. san. c. 11. l. 7. meth. med. c. 3. & l. de proprijs libris c. 3. *Inscribitur enim* ἰατρικὴ τέχνη, *ars medicinalis: quoniam artem totam, in compendium tamen redactam, nobis exhibet: ad differentiam aliorum* Galeni *librorum: qui licet & ipsi medicinales sint: tamen cùm non artem totam, sed aliquam duntaxat ejus particulam explicent, artes medicinales dici non possunt.*

Arabes, ut suprà monuimus, Μικροτέχνην, *artem parvam nominant: ob causam modò allatam; quoniam totius Medicinæ, quæ μακρὴ*

τέχνη

τέχνη ab Hippocrate aphor. 1. ſ. 1. appellatur, veluti ſumma quædam eſt, atq; epitome. Scribit Haly, fuiſſe libellum iſtum à quibuſdam artem parvam cognominatum, ad differentiam methodi Galeni therapeuticæ, quæ ars magna ab iiſdem vocabatur. Sed rectè eos hoc argumento refutat: quoniam ars parva dicitur reſpectu Medicinæ totius, cujus præcipua capita συνοπτικῶς comprehendit. At methodus illa tota Medicina non eſt: ſed duntaxat aliqua illius pars, quæ modum curandi docet.

METHODUS, quâ Μικροτέχνη eſt conſcripta, ex argumento conſtat. Cùm enim triplex ſit ſecundum Galenum methodus, ſeu ratio tradendarum artium ac diſciplinarum: ἀναλυτικὴ, συνθετικὴ, καὶ ὁριστικὴ, hanc ultimam in μικροτέχνη elegit: duplici de causâ, velut ipſe cap. 1. declarat: tùm quia ad artis compendium conducit plurimùm: tùm quia memoriæ non parùm inſervit: quemadmodum in Textu infrà dicturi ſumus.

ORDO conſiderari poteſt duplex: alter loci, quem μικροτέχνη habere debet reſpectu aliorum Galeni librorum: alter lectionis: num ſcilic. ante alia Galeni ſcripta legenda: an iis perlectis & cognitis demùm evolvenda?

Quan-

Quantum ad priorem, arbitramur, habere μικροτέχνην locum inter Galeni *opera postremum. Ait enim ipse* c. 1. & ult. *se illam memoriæ causâ conscripsisse, eáq; capita solùm & conclusiones eorum, quæ aliis in voluminibus κατὰ διέξοδον pertractata sunt, complexum esse. Itaq; μικροτέχνη præsupponit libros alios, tanquam jam in lucem editos: ad quos etiam* Galenus *sæpißimè nos remittit, ut sciatur, undenam plenior cognitio petenda sit eorum, quæ compendiosè hic proponuntur? quemadmodum ex* cap. *69. 74. 81. 83. 85 86. 89. 92. 95 96. 98. 99.* & posteriore parte cap. 100. *ubi catalogum suorum monumẽtorum nobis offert, apparet. Huc accedit, quòd μικροτέχνη quasi quædam summa sit & epitome illorum, quæ alibi copiosè explicata. Atqui summa & capitulatio posterior esse solet iis, quæ breviter & summatim recensita.*

Posteriorem ordinem quod attinet, censemus, μικροτέχνην primo loco initiatis & tyronibus Medicinæ *legendam esse. Monet enim* Gal. l. 3. de caus. puls. c. 1. *tyronibus initio ea esse proponenda, quæ sunt εἰσαγωγικὰ, & illos quasi manu in penitiora artis adyta ducunt. Talia autem sunt, quæ continet μικροτέχνη.*

Tra-

Tradit enim generalissima artis capita, quibus imbuta tyronum ingenia προυπαρχοῦσαν τινα γνῶσιν *ad lectionem aliorum* Galeni *librorum secum adferunt: horúmque dogmata rectiùs faciliùsq; intelligunt.*

Quâ in CLASSE *librorum* Galeni *contineatur* μικροτέχνη, *pespicitur, si sciverimus, duas illorum classes, sive genera esse.*

Alij enim sunt extra artem: *qui de rebus nil quidem ad artem pertinentibus agunt: sed quæ tamen nonnihil ad artem possunt conferre: ut sunt Philosophici & Philologici. Alij* in arte: *qui docent ea, quæ ad artem propriè spectant. Sunt autem rursùs duplices. Quidam n. pleniùs atq; uberiùs Medicæ artis partes exponunt: ut* Φυσιολογικοὶ, *de elementis, de temperamentis, de naturalibus facultatibus, de usu partiũ, de semine &c.* παθολογικοὶ, *de morborum differentijs & causis, de symptomatum differentijs & causis &c.* σημειωτικοὶ, *de locis affectis, de dignotione, differentijs, & causis pulsuum, de præsagitione ex pulsibus, de crisibus, de diebus decretorijs, de urinis, comment. in Hipp. prognostica & prorhetica, &c.* ὑγιεινοὶ, *de tuendâ sanitate, commentar. in l. Hipp. de salubri diætâ &c.* θεραπευτικοὶ, *de metho-*

methodo medendi, de cur.rat. ad Glauconem, de cur.rat. per ſanguinis miſsionem &c. Nonnulli iſagogici ſunt & epitomici: ijq; iterùm duplices: alij ſpeciales, qui unam artis particulam compendioſè exponunt: ut Introductorius de pulſibus, & libellus de oſsibus ad Tyrones &c. alij generales, qui totam artem μεθοδικῶς καὶ συνοπτικῶς *comprehendunt. Et in hoc poſtremo genere continentur liber de artis cõſtitutione &* μικροτέχνη. *In illo enim ars traditur ordine analytico: in hac definitivo.*


AUTHOR *eſt Claudius Galenus Pergamenus, Niconis, Mathematici inſignis, Filius. Nam* Galenus *ipſe* μικροτέχνην *pro ſuo fœtu agnoſcit* l. de proprijs libr. *& ſcriptorum elenchum in fine illius annectit, quæ* Galeni *eſſe, extra controverſiam eſt: &* l. 5. tuend. ſan. c. 11. *nec non* l. 7. meth. med. c. 3. μικροτέχνης *meminit. Eandem ipſi tribuunt interpretes omnes,* Turiſanus, Montanus, Akakia, Argenterius, Sclanus, Bieſius, *alij. Et Stylus,* Galeno *uſitatus, idem planum facit. Deniq; rerum dogmata, quia cum aliorum* Galeni *monumentorum dogmatibus concordant, teſtantur,* μικροτέχνην γνήσιον *eſſe* Galeni *partum. Nec eſt, quòd* βραχυλογίαν,

Gale-

Galeno *aliâs inuſitatam, quiſpiam hîc obÿciat. Licet enim aliâs Aſianâ dicendi ubertate delectetur: eam tamen hîc minimè effundit: propterea quòd artem longam in parvam contrahere intendat.*

UTILITAS *μικοτέχνης eſt inſignis. Artem enim magnam velut in exiguâ depictam tabellâ repræſentat: adeò ut intra exigui temporis ſpatium ſumma præcipuáq; ejus capita diſcere liceat. Scribit namq;* Galenus com. 1. in l. de vict. acut. t. 3. *omnia, quæ in Medicinâ traduntur, ad* διάγνωσιν, πρόγνωσιν, καὶ θεραπείαν *referri poſſe. Atqui de* διαγνώσει *corporum ſanorum, ægrorum, & neutrorum, uti & de* προγνώσει *in ægrotantibus præcipitur in doctrinâ de Corporibus & Signis: de* θεραπείᾳ *verò in doctrinâ de cauſis, tùm conſervantibus, tùm efficientibus. Dicere quoque licet, ſi vera & accurata eſt Medicinæ diviſio in practicam & theoricam,* θεωρίαν *nos diſcere ex tractatu de corporibus & ſignis:* πρᾶξιν *ex doctrinâ de cauſis: quibus ſana corpora conſervamus: ægra curamus: neutra decidentiæ præſervamus: & neutra convaleſcentiæ reficimus & refocillamus.*

THE-



THESIS I.



Res sunt in universum διδασκαλίαι τάξεως ἐχόμεναι, doctrinæ ordini inhærentes: hoc est, tres sunt modi & rationes ordinatè docendi scientias & disciplinas, quas methodos vulgò appellare solent. *Exordiū artis parva.*

I. dicitur methodus ἀναλυτικὴ: quæ orditur à fine, eúmque resolvit in ea, quæ finem præcedunt, & ad illum diriguntur: cujusmodi sunt media, quæ finis obtinendi gratiâ suscipiuntur. II. συνθετικὴ: quæ ex compositione constat eorum, quæ per resolutionem fuerunt inventa: & ordine priori opposito progreditur, nimirùm à prioribus ad posteriora. III. ὁριστικὴ: quæ primùm disciplinæ tradendæ definitionem proponit: deinde eam in partes dividit: tùm singulas partes explicat: ac ob id varias à varijs Authoribus appellationes est sortita. *Cap. 1.*

II.

Nam & definitionis διάλυσις, dissolutio: & διάπτυξις, explicatio: & ἀνάλυσις, resolutio: &

διαίρεσις, divisio: & ἐξάπλωσις, explanatio: & ἐξήγησις, expositio nuncupatur: nimirùm quia in hac methodo definitio artis, aut scientiæ in sua membra dissolvitur, singuláque rursùs subdividuntur, & ordine explicantur. *Cap.* I.

III.

Et conati quidem sunt Medicinam methodo ὁριστικῇ tradere *Herophiliorum* aliqui, inter quos haud postremus erat *Heraclides Erythræus.* Conati sunt & methodo συνθετικῇ eandem conscribere, tùm ipsi *Herophilij*, tùm quidam *Erasistrati* sectatores, tùm etiam *Athenæus Attaleus.* Nemo tamen ante *Galenum* medicam artem methodo ἀναλυτικῇ, ex quâ artes omnes viâ quadam atq; ordine cõstituuntur, adornavit. *Cap.* I.

IV.

Ipse verò usus hac est methodo alibi, nimirùm *l. de constit. art. ad Patrophilum.* Hîc verò methodo ὁριστικῇ, definitivæ incũbit: quæ quantum ab ἀναλυτικῇ, & dignitate & ordine docendi superatur: tantum rursus eam superat in eo, quòd & ad totius artis compendium fabricandum, & ad particularium juvandam memoriam sit accommodatissima. *Cap.* I.

V.

Facilè namque memoriæ mandantur membra ex definitionis διαλύσει resultantia: quoniam pauca sunt. Continet enim definitio in se totius artis capita. *Cap.* I.

VI. Nun-

VI.

Non quidem definitio quævis; sed illa solùm, quæ est optima. Talis autem est, quæ ὀσιώδης, essentialis dicitur: non quæ ἐννοηματικὴ vocatur. *Cap.* I.

VII.

Illa quippe ἀπὸ τῆς ὀσίας ἀυτῆς, ab ipsâ rei definite essentiâ: hæc verò ab ejusdem solùm accidentibus constituitur. *Cap.* I.

VIII.

Descripta autem est à *Galeno* Medicina universa voluminibus pluribus: quæ sic collocari queunt, ut vel analyticâ, vel syntheticâ, vel definitivâ methodo ars tradita videri possit. Nunc verò eandem methodo ὁριστικῇ proponere *Galenus* intendit: sic tamen, ut solùm capita & quasdam veluti conclusiones eorum, quæ alibi latiùs sunt demonstrata, proponat. *Cap.* I.

Corollaria.

I.

An vocabulum Medicinæ unam perpetuò eandémq; habeat significationem? *Propriè quidem mede͂di artem significat. Legimus tamen apud Authores, sonare etiam, & officinā medicamentariam: & medicamentum, quod morbis medetur: & venenum: & rem quamvis, quæ cuivis rei alij auxiliatur: & quintam quandam essentiam, in natu-*

râ latitantem, quam Spagirici varijs solent exprimere nominibus.

I I.

Habeatnè Medicina nomen suum à medendo: an à verbo μέδω, μεδέω, ἢ μεδεύω, quod significat regno, impero: an à modo, h. e. temperaméto, quia modicè adhibetur: an à medio, quòd medium, h. e. temperantiam præcipiat, ad mediũ extrema reducat, & medijs ac temperatis rebus in medendo utatur: an à Mediâ, Asiæ regione, quæ medicamentis abundat? *A medendo, tanquam actione propriâ, cujus etiam nomine Medicina cumprimis expetitur.*

I I I.

Utrum ars tota Medicinæ nomen rectè sibi vendicet, cùm tamé sola θεραπευτικὴ mederi doceat? *Rectè: quoniam pleraq; omnia, quæ in arte traduntur, ad benè medendum diriguntur. Itaq; meritò ars tota ab hoc fine nomen suum est sortita.*

I V.

Num Medicina sit scientia? *Affirmamus cum* Galeno *c. 2.* μικροτέχν. *si vocabulum scientiæ sumatur* κοινῶς, *pro cognitione & disciplinâ quavis. Negamus, si usurpetur* ἰδίως, *pro habitu* ἀποδεικτικῷ ἐξ ἀναγκαίων, *quemadmodum definitur ab* Aristotele 6. ethic. c. 3.

V.

An Medicina sit ars eâ in significatione, in quâ Aristot. artem 6. ethic. c. 4. definivit? *Affirmat. Est enim* ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγου ἀληθοῦς.

VI. Nun-

VI.

Nunquid Medicina partim ſcientia ſit, partim στοχασμὸς, conjectura? *Neg. Una enim res duo genera, & ex parte ſibi contraria, habere nequit.*

VII.

An ſit ars στοχαστική? *Habet quidem στοχασμοὺς plurimos, præſertim in διαγνώσει rerum præſentium, & προγνώσει rerum futurarum. neutiquam tamen tota in στοχασμῷ poſita dicitur: quia ſolidis nititur principijs atq; fundamentis.*

VIII.

Utrum ſit ars μηχανική? *Si per artem mechanicam intelligatur illiberalis, quæ corpore magis, quàm animo, & quidem lucri potiſsimùm causâ exercetur, negantem tuemur.*

IX.

An ſit artium omnium præclariſſima? *Affirm. cum* Hipp. ἐν νόμῳ: *idq; ob ſubjecti nobilitatem: doctrinæ ἀκρίβειαν: & finis utilitatem ac neceßitatem.*

X.

Recténe illi divina tribuatur origo? *Omninò: hócq; probari poteſt, tùm ex ſacris literis: tùm ex ſcriptoribus profanis: qui omnes uno ore atq; conſenſu eam divinam pronunciant.*

XI.

Nunquid verè perimmenſum ac profundum pelagus à Jano Damaſceno aph. 1. appelletur?

Verißimè: ídq; propter rerum, quas tradit, difficultatem & multitudinem.

XII.

An ſit Phyſicæ ſubalternata? *Non videtur: quoniam Medicina eſt ars: Phyſica ſcientia. At ars ſcientiæ non ſubordinatur. Sunt enim res ordinis diverſi, & eſſentialiter inter ſe differunt.*

XIII.

Poſſitne definiri ars benè medendi? *Poteſt: ſi τὸ mederi ſumatur latiùs pro quavis Medicinæ actione.*

XIV.

Utrum duæ tantùm generaliſſimæ ſint Medicinæ actiones: πρόσθεσις τῶν ἐλλιπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων? *Ita placet* Hippocrati l. de flatibus.

XV.

An non illius actiones ſint 4. φύλαξις, προφύλαξις, θεραπεία καὶ ἀνάληψις, ἢ ἀνάθρεψις? *Affirmatur: ſed hæ ad duas illas* Hippocratis *referri poſſunt.*

XVI.

Unde hæ quatuor actiones natæ? *Ex quadruplici corporis humani cõſtitutione: quæ vel ſana eſt, cui debetur* φύλαξις: *vel ægra, quæ* θεραπείαν *poſtulat: vel neutra decidentiæ, quæ* προφύλαξιν *requirit, quò minus in morbum cadat: vel neutra cõvaleſcentiæ, cui* ἀναλήψει, *refectione & refocillatione opus: quoniam vires ejus à morbo ſunt dejectæ.*

XVII.

Num ὄργανα, quibus hæc præſtat Medicina, tan-

tantùm tria sint: diætetica, pharmaceutica & chirurgica præsidia? *Ordinariè & naturaliter tantùm tria principalia. Sunt enim & quædam alia: sed extraordinaria & ὑπερφυσικά: aut minùs principalia: ideóq; ad tria illa reducenda.*

XVIII.

An duo Medicinæ sint crura, Ratio & Experientia? *Ita sentit* Gal. *l* 8. *med. comp.* κ.τόπ. c. 7. *Sunt enim ejusmodi instrumenta, quibus res inveniuntur, & inventæ stabiliuntur ac confirmantur: velut idem infinitis in locis docet.*

XIX.

Utra harum præstantior sit, Experientia an Ratio? *Experientia præstat rationi & arti respectu* πράξεως. *Hinc experti minùs aberrant à fine & scopo, quàm artifices inexperti. Est enim experientia notitia rerum singularium, in quibus* πρᾶξις *versatur. Ars contrà & ratio præstat experientiæ, respectu cognitionis: quoniam experientiâ tantùm* τὸ ὅτι *novimus: arte utrumq;,* τὸ ὅτι καὶ τὸ διότι.

X X.

Sitné Natura, an Medicina morborum curatrix? *Utraq; secundum* Hippocratem: *sed Natura, tanquam Hera, & causa principalis: Medicina ut ministra.*

X X I.

Quâ methodo Medicina tradenda? Ἀναλυτικῇ. *Est enim ars. At arti omnium primò finis est propositus: posteà ad media transit, quibus finem consequatur. Incipere autem à notione finis, &*

pro-

progredi ad media, quæ finem nobis comparant, methodi analyticæ proprium est.

XXII.

An Galenus in μικροτέχνῃ observârit methodum ὁριστικὴν? *Sic arbitratur* Galenus *ipse.* At Zabarella *l. 2. de meth c. 14. monstrat, observari in illâ ἀναλυτικήν. Orditur enim à corporibus salubribus, hæcq; per sua signa dignoscit posteà accedit ad causas salubres, quæ media sunt, quibus sanitas tùm conservatur, tùm amissa recuperatur. Orditur ergò à fine artis, & in medijs, tendentibus ad finem, desinit.*

XXIII.

An methodus, sive ordo ὁριστικὸς, tertia sit ordinis species, reali iter à συνθετικῷ καὶ ἀναλυτικῷ distincta? Negat Zabarella *l. 2. de methód. huncq; ordinem l. 2. meth. c. 4 refellit: & c. 6. probat, duos tantùm esse ordines, συνθετικὸν καὶ ἀναλυτικόν: & c. 15. utrumq; ex Aristotelis & Platonis sententiâ confirmat.*

FINIS.

Disputatio EX ARTE PARVA GALENI II.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

MATTHÆO WAGNERO
Augustano.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

Actenùs *Exordium*. Sequitur ἐργασίας
Tractatio: cujus tria membra membrũ
in προλεγομένοις constituimus: primum.
pro ut methodus ὁριστικὴ tria requisita habet. I. ut artis definitio præmittatur. II. ut partes definitionis dividantur, & eò usque subdividantur, quò usque divisionem admittunt. III. ut singulæ partes explicentur.

II.

Medicinæ definitionem mutuatur *Galenus* ab *Herophil*: quemadmodum ex c. 6. *Isagog.* constat: & est ista. ἰατρική ἐστιν ἐπιστήμη ὑγιεινῶν, καὶ νοσωδῶν, καὶ οὐδετέρων, Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. *Cap.* 2.

III.

Nihil verò refert, & si quis loco νοσωδῶν, νοσερῶν, hoc est, ægrorum dixerit. *Cap.* 2.

IV.

Nomen autem ἐπιστήμης accipere oportet κοινῶς: (nimirùm pro quacunque cognitione, sive notitiâ:) non ἰδίως: (pro ἕξει ἀποδεικτικῇ ἐξ ἀναγ-

κάίων) quâ ſignificatione uſus legitur *Ariſtoteles 6.ethic.c.3.*

V.

Ἐργασίας membrū ſecundum. Cæterùm, ſalubria, inſalubria & neutra de tribus rebus dicuntur: de Corporibus, Signis & Cauſis. Quodlibet enim horum ſalubre, inſalubre, & neutrum dici poteſt. *Cap.2.*

VI.

Verùm non eodem modo. Nam *Corpus* tale dicitur, quia ſanitatis, inſalubritatis, & neutralitatis eſt ἐπιδεκτικὸν, ſuſceptivū. Aptum enim eſt ad ſuſcipiendam ſanitaté, ægritudinem, & neutralitatem. Ideóque hæc tria de corpore prædicantur, tanquam accidentia de ſuo ſubjecto. *Cauſa* talis perhibetur, non ſubjectivè, aut formaliter: ſed effectivè & virtualiter: quia ſanitatis, ægritudinis, & neutralitatis eſt ποιητικὴ καὶ φυλακτική. *Signum* denique tale pronunciatur: quoniam ſanitatis, ægritudinis & neutralitatis eſt δηλωτικὸν, indicativum. *Cap.2.*

VII.

Poteſt verò in harum rerum explicatione duplex ordo obſervari. Nam κατὰ πρῶτον λόγον, hoc eſt, ratione principalis Medici ſcopi & intentionis, quæ circa cauſas ſalubres, ſive circa remedia verſatur, primum locum tenent Cauſæ: & inter eas 1. ſalubres: 2. inſalubres: 3. neutræ. Secundum *Corpora*: 1. ſalubria: 2. inſalubria: 3. neutra. Tertium *ſigna*: 1. ſalubria: 2. inſalubria: 3. neutra. *Cap.2.*

VIII. Ka-

VIII.

Κατὰ δεύτερον δὲ λόγον, cùm in praxi versamur, & artis tractamus opera, primum occupant locum *Corpora*: secundum *Signa*: tertium *Causæ*. *Cap*. 2.

IX.

Primò enim *Corpus* nobis objicitur, vel conservandum, vel curandum. Deinde hujus constitutio indagatur per signa. Tandem corporis constitutione per signa exploratâ, causæ, h.e. remedia investigantur, & corpori ritè applicantur. Atque hunc posteriorem ordinem *Gal*. hîc sequitur: quemadmodum ex fine c. 3. liquet.

X.

Progrediamur dividendo ulteriùs, & commemorata definitionis membra minutiùs concidamus.

XI.

Τὸ ἐπιδεκτικὸν corpus, τὸ ποιητικὸν αἴτιον, καὶ τὸ δηλωτικὸν signum, sive salubre sit, sive insalubre, sive neutrum, tale est, vel ἁπλῶς: vel ἐν τῷ νῦν: & utraque differentia in Medicinâ consideratur. *Cap*. 3.

XII.

Rursùs, quod ἁπλῶς salubre, insalubre, aut neutrum est, sive Corpus sit, sive Signum, sive Causa, tale est, aut διὰ παντὸς, semper: aut ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, magna ex parte: & utrumque similiter in Medicinâ pertractatur. *Cap*. 3.

XIII.

Neutrum verò rursus dividitur tripliciter. Aliud enim neutrius extremorum particeps est; aliud utriusque: aliud interdum hujus, interdum illius. *Cap.* 3.

XIV.

Quod utriusque contrariorum particeps est, duobus iterum modis dicitur. Vel enim utrumque contrariorum ἐξ ἴσȣ, ex æquo participat: vel aliquando magis participat alterum. *Cap.* 3.

XV.

Porrò, videtur in definitione artis suprà allatâ ἀμφιβολία esse κατὰ τὴν λέξιν, ambiguitas quædam, si verba spectemus. Ideóque illam priùs διαλύεσθαι, dissolvere decet, quàm ad alia accedatur. *Cap.* 3.

XVI.

Cùm enim dictum sit. Medicinam esse ἐπιστήμην ὑγιεινῶν, καὶ ȣ̓δετέρων, καὶ νοσερῶν, significari videtur, & quòd πάντων τῶν κατὰ μέρος, omniũ singularium salubriũ, insalubrium & neutrorum sciẽtia sit: & quòd τινῶν, quorundam solùm salubrium, insalubrium, & neutrorum sit scientia: & quòd ὁποίων, qualium, h.e. universalium, sub quibus singularia comprehenduntur, sit scientia. *Cap.* 3.

XVII.

At scientia omnium singularium non est. Hæc enim cùm sint ἀπεριόριστα, infinita, impossibile est, ut mente concipiantur, & in arte explicentur. *Cap.* 3.

XVIII.

XVIII.

Neque scientia est τινῶν, quorundam tantùm salubrium, insalubrium, & neutrorum: Sic enim doctrina eorum esset ἐλλιπὴς τε καὶ ἐ τεχνικὴ, manca & inartificiosa. *Cap. 3.*

XIX.

Superest ergò, ut scientia sit ὁποίων, h. e. universalium, sub quibus particularia continentur. Sic enim doctrina salubrium, insalubrium & neutrorum est τεχνική τε ἅμα καὶ διαρκὴς εἰς ἅπαντα τῆς τέχνης τὰ κατὰ μέρος, artificiosa pariter atque ad omnia artis particularia sufficiens. Et sic quoque salubria, insalubria, ac neutra in propositâ artis definitione intelligenda sunt. *Cap. 3.*

XX.

Cæterùm, cùm artis definitio jam sit præmissa: ejúsque membra singula divisa & subdivisa: sequitur, ut rem ipsam aggrediamur, & habito respectu πρὸς δεύτερον λόγον, 1. disseramus de Corporibus, & qualia nam sint, tùm salubria, tùm insalubria, tùm neutra, indicemus. 2. de Signis verba faciamus. 3. de Causis aliquid proferamus in medium. *Cap. 3.*

COROLLARIA.

I.

AN Medicina rectè definiatur scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum? *Reprehenditur à quibusdam triplici nomine. 1. quia ge-*

nus habet improprium. 2. quia ponit neutralitatem: cùm tamen inter ſanitatem & morbum nullum detur medium. 3. quia operationis non meminit, quæ tamen anima quaſi artis eſt: cùm hæc ſit ἕξις ποιητική.

I I.

Uſuſnè Galenus genere ambiguo & improprio? *Non videtur: quoniam ipſus indicat, quo in ſignificatu Medicinam ſcientiam appellet.*

I I I.

Utrum neutra corporis conſtitutio admitti poſſit? *Poteſt: non quidem ἀκριβῶς & philoſophicè loquendo. Sunt enim ſanitas & morbus ſecundum* Ariſt. l. prædic. c. 10. *contraria ἄμεσα. Sed loquendo duntaxat παχυλῶς in foro Medico, ut corpora inter ſe diſtinguantur, & actiones Medici, quas circa illas exercet, clariùs eluceſcant.*

I V.

An operatio in definitione modò poſitâ prorſùs omittatur? *Minimè. Fit enim mentio cauſarum: quæ, ut ipſe* Gal. *docet, vel ſunt φυλακτικαὶ, præſentem ſanitatem conſervantes: vel ποιητικαὶ, abſentem reſtituentes: ſiquidem ſint ſalubres. At tales ſunt ὄργανα operationis.*

V.

Num Hipp. l. de flatib. rectè definiat Medicinam adjectionem deficientium: & ſubtractionem redundantium? *Non definit: ſed eam duntaxat deſcribit à generaliſſimis actionibus, quas exercet.*

VI. An

VI.

An benè definiatur ars ſanitatis conſervatrix, & morborum curabilium profligatrix? *Omninò. Sic enim &* Galen. *eam definit* l. ad Thraſyb. de ſan. c. 5.

VII.

Nunquid rectè dividatur in ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν? *Duas quidem principaliſsimas Medicinæ partes hæc diviſio continet: omnes autem minimè exprimit.*

VIII.

Integréne & perfectè in φυσιολογικὴν, παθολογικὴν, σημειωτικὴν, ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν diſpeſcatur? *Affirmamus cum* Gal. in Iſagog. c. 7. *&* 8. *nec non* l. de partib art. med. c. 1. *quia exhaurit totum diviſum: nihil quod neceſſarium omittens: nihil quod ſuperfluum addens.*

IX.

An non plures Medicinæ partes, quàm illæ quinque, tradantur? *Traduntur quidem: v. g.* ἐυεκτικὴ, προφυλακτικὴ, ἀναληπτικὴ, γηροκομικὴ, παιδοτροφικὴ, κοσμητικὴ, διαιτητικὴ, φαρμακευτικὴ, χειρουργικὴ καὶ γυμναστικὴ: *ut liquet ex* l. de part. Med. l. ad Thraſyb. de ſan. c. 30. & 40. *nec non ex* Iſagog. c. 7. & 8. *Verùm ſciendum, quinq; tantùm primarias, proprias & majores eſſe Medicinæ partes: reliquas eſſe minores & minùs principales, ideóq; ad illas commodè referri poſſe: quemadmodum luculenter alibi demonſtravimus.*

X.

Dividaturné Medicina rectè ab Avicennâ in

θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν. Perperam sanè: quia tota, quanta est, ποιητικὴ est. Aestimatur enim, ut artes aliæ, ex fine, qui ἐν πράξει, vel rectiùs ἐν ποιήσει consistit.

XI.

An definitio Galeni c. 2. μικροτέχν. tradita omnes Medicinæ partes in se contineat? *Maximè. Nam per salubria & insalubria intelliguntur corpora, signa & causæ: eæq; tùm conservantes, tùm efficientes. At corpora salubria indigitant φυσιολογίαν, quæ sanum corpus describit. Insalubria nos monent de παθολογίᾳ, quæ hominem depingit ægrum. Signa σημειωτικὴν nobis in memoriam revocant. Causæ conservantes ὑγιεινὴν insinuant. Efficientes autem θεραπευτικὴν repræsentant.*

XII.

Nunquid omnia, quæ in quinq; Medicinæ partibus docentur, ad 3. classes, velut ad locos quosdam communes, nempè ad res naturales, non naturales, & præter naturam referri possint? *Affirmatur.* Nam φυσιολογία *pertinet ad res naturales.* Παθολογία *ad res præter naturam.* ὑγιεινὴ *ad non naturales, quæ necessariò nos alterãt.* Σημειωτικὴ *ad omnes: quoniam omnia signa vel à rebus naturalibus, vel præternaturalibus, vel non naturalibus petuntur.* θεραπευτικὴ *ad non naturales utrasque, tùm eas, quæ necessariò, tùm illas, quæ non necessariò nos alterant, reducitur.*

XIII.

Sitnè φυσιολογία Philosophorum eadem cum

Medi-

Medicorum? *Nequaquam: ſed à Medicorum longè diſtat, & ſubjecto, & amplitudine atque ἀκριβείᾳ doctrinæ, & fine.*

XIV.

Utra nobilior, ὑγιεινὴ, *an* θεραπευτικὴ? *Prior: idq; ob dignitatem ſubjecti, quod tractat: corporis ſcil. ſani, quod nobilius ægro.*

XV.

Verúmne illud Jani Damaſceni, aphor. ult. diætetica medicina præſtantior eſt pharmaceuticâ & chirurgica? *Omninò, 1. quia naturæ familiarior. 2. quia tutior. 3. quia frequentior. 4. quia adhiberi poteſt omnibus. Id quod tamen intellectũ volumus de ejusmodi affectu, quæ triplicem hanc medicinam expoſcunt.*

XVI.

An adæquatum Medicinæ ſubjectum ſit Corpus humanum, quâ ſanum, vel ægrum? *Affirmatur: quoniam tàm latè patet, quàm latè patet Medicina ipſa: & ad illius extenſionem ſe extenpit: adeò, ut in nullâ Medicinæ parte aliquid tractetur, quod non vel ad principium, vel ad partem, vel ad affectionem & accidens corporis humani, ſani, aut ægri, reduci queat. Eſt inſuper illa materia, in quâ omnes Medicinæ actiones verſantur:* φύλαξις *ſcil.* προφύλαξις, θεραπεία καὶ ἀνάληψις, ἢ ἀνάθρεψις.

XVII.

Quale hominis corpus deſcribatur in φυσιολογίᾳ? *Sanum. In illâ enim & principia, tùm remotiſſima, tùm propinqua, tùm proxima; & partes*

tes : & affectiones atque accidentia ejus declarantur.

XVIII.

Quæ ſint principia? *Remotiſsima ſunt quatuor elementa. Propinqua ſunt humorrs. Proxima, ſemen & ſanguis menſtruus.*

XIX.

Quæ ſint partes? *Corpora ſimilaria : ut os, cartilago, membrana, caro, ligamentum, tendo, vena, nervus, arteria &c. & diſsimilaria : ut caput, collum, thorax, abdomen, artus &c.*

XX.

Quæ ſint accidentia, ſive affectiones? *Temperamēta, quæ ex miſtione elementorum reſultant: & Facultates atq; Actiones, quæ ab Animâ, tanquam à principio primo, proficiſcuntur: partibus verò corporis, velut organis, per quæ vires Animæ ſuas actiones exercent, tribuuntur.*

XXI.

Quale corpus hominis explicetur in ὑγιεινῇ Medicinæ parte? *Itidem ſanum: quod in φυσιολογίᾳ deſcriptum: in ὑγιεινῇ verò, ut ſuâ in ſanitate conſervandum ſit, oſtenditur.*

XXII.

Quale hominis corpus proponatur in παθολογίᾳ? *Aegrum. In illâ ſiquidem 3. affectus præter naturam, Morbus, Cauſa morbi, & Symptoma, qui corpus ægrum reddunt, explicantur.*

XXIII.

Quale corpus tractetur in θεραπευτικῇ Medicinæ

cinæ parte? *Similiter ægrum: quod in παθολογίᾳ depictum: in θεραπευτικῇ autem, quomodo curandum sit, monstratur.*

XXIV.

Quale corpus enarretur in σημειωτικῇ? *Sanum & ægrum. Ibi enim signa traduntur, quibus præsens corporis status dignosci: præteritus in memoriam revocari: & futurus prænosci possit: sive sanus sit, sive æger.*

XXV.

An sanitas scopus & finis sit universæ Medicinæ? *Omninò: quia ad eam omnia Medicinæ præcepta, omnesq; Medici actiones diriguntur.*

XXVI.

Possitné Medicinæ ope vitæ terminus prorogari? *Quidam affirmant: multi negant. Nos vitam ultra terminum à DEO præscriptum nullius artis beneficio produci protrahive posse credimus.*

XXVII.

An Medicinæ aliqua sit utilitas & necessitas, cum neque naturalis, neque accidentalis mors illius subsidio vitari possit? *Affirmatur. Licet enim mors vitari nequeat: artis tamen beneficio præsentem sanitatem conservamus: & amissam recuperamus, ut usque ad tempus à DEO præfinitum officio nostro ritè fungi possimus.*

XXVIII.

Utrum Medici officium sit, appositè curare ad sanandum? *Fernelius affirmat. Nos angustius hoc esse officium arbitramur. Nam non tantùm*

ægros

ægros curat: sed etiã sanos conservat. Officium ergò Medici esse censemus, appositè uti præsidijs diæteticis, pharmaceuticis, & chirurgicis, ad sanitatem tuendam, & morbos profligandos.

XXIX.

An is curet appositè, qui citò, tutò, & jucundè curat? *Affirmativa placet.*

XXX.

Num Medicus rectè dicatur naturæ minister, sive adjutor, spectator, & imitator? *Rectißimè. Adjutor est: quia impeditæ, aut debilitatæ naturæ fert opem, & manca inchoataq; opera perficit. Spectator est: cùm natura rectè & sufficienter operatur: velut in* κρίσει *contingit perfectâ. Imitator est, quia quæ vel tuẽdâ sanitate & profligandis morbis natura rectè gerit, imitatur consilióque dirigit: unam sanitatem scopum agendorum sibi proponens.*

XXXI.

An non Medicus naturam quandóq; superet? *Sic sanè videtur: præsertim in operationibus chirurgicis: v. g. repositione oßium luxatorum, adductione disiunctorum labiorum in vulneribus, extirpatione polyporum, eradicatione verrucarum, ablatione hypersarcoseωn, directione distortorum crurum in varis & valgis, divisione partium, quæ præter naturam coaluerunt, retrusione uteri prolapsi ad locum solitum &c.*

XXXII.

An

An optimus Medicus idem ſit & Philoſophus? *Sic videtur cum Galeno.*

XXXIII.

An Medicus Philoſophus ἰσόθεος? *Ita cenſet Hippocr. l.de decenti ornatu. At nobis hoc aſſerere piaculum.*

XXXIV.

Num verum illud Jani Damaſceni aph. 48. Medici illiterati, rerum imperiti, & adoleſcentes, utplurimùm homicidæ? *Veriſſimum: quia duobus Medicinæ cruribus, Ratione & Experientiâ, deſtituuntur. Ideóq; medicamentis utuntur, ut maniaci cultro & gladio.*

XXXV.

Utra magis Medico practico neceſſaria, Eruditio exquiſita, an Experientia longa? *Videtur Experientia. Eſt enim notitia rerum ſingularium, in quibus actiones verſantur.*

XXXVI.

An Fortuna requiratur in Medico? *Negativam tueri videtur* Hipp. l. de loc. in hom. *Et ſanè non immeritò. Nam qui ſcientiam & experientiam rerum medicarum habet ſufficientem: inciditq; in ejusmodi tùm ægros, tùm adſtantes, qui ſuum faciunt officium, & unà cum Medico pugnant adverſus ægritudinẽ, ſuntq; inſtructi à rebus ad hanc rem neceſſariis, nullius externæ egent Fortunæ: præſertim ſi adſit pietas, & ardens nominis divini invocatio. Non enim dubium, quin DEVS daturus ſit incrementum & benedictionem ſuam, quam*

nos

nos veram esse fortunam & felicitatem in praxi arbitramur.

XXXVII.

Sitne de officio Medici, medicamenta præparare & componere? *Non putamus. Officium enim illud est, quod Coroll. 28 descriptũ. Medicaminum præparationem & compositionem coquo suo, Pharmacopœo, demandat. Interim ipse inventione & præscriptione remediorum est contentus.*

XXXVIII.

Num puniendus, aut culpandus saltem Medicus, cùm fine suo frustratur? *Si præstitit, quod debuit, h. e. si secundum artis præscriptum curavit, adeóq; munere suo ritè perfunctus est, neq; puniri, neq; culpari debet. Commune menim omnium artificum sortem experitur, quos nemo sanæ mentis punit, aut culpat, si quandoq; ob certa quædam impedimenta finem suum minimè assequantur.*

XXXIX.

Quinam dicatur curare ex artis præscripto? *Qui speciem affectûs, partem affectam, causam affectûs, & vires ægri cognitas habet, hincq; indicationes desumit, & secundum eas convenientia remedia adhibet, in illorúmq; usu, & legitimam quantitatem, & decentẽ utendi modum, & opportunum applicandi tempus, & locum, cui illa admovenda, diligenter observat.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
III.


In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente
JOAN: BALTHASARO TAGIO
Werthemiano.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.



Uo membra ἐργασίας artis medicinalis explicuimus: Medicinæ definitionem, & singularum ejus partium divisioné. Sequitur tertium: nimirùm partium istarum declaratio.

Ἐργασίας membrū tertium: q̃ est de Corporibus.

II.

Differemus igitur de illis eo ordine, quem habere eas κατὰ δεύτερον λόγον præcedenti disputatione diximus: & 1. de *Corporibus*: 2. de *Signis*: 3. de *Causis* agemus.

III.

Corpora, ut constat ex disputatione eádem, vel sunt salubria, vel insalubria, vel neutra.

IV.

Salubre autem vel ἁπλῶς, vel ἐν τῷ νῦν salubre est. Rursus τὸ ἁπλῶς salubre, aut est tale διὰ παντὸς: aut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

V.

Corpus ἁπλῶς ὑγιεινὸν, simpliciter salubre est, quod ἐκ γενετῆς, ab ipso naturæ ortu, in simplicibus & primis particulis, quæ similares

dicuntur, εὔκρατον est, h. e. bonam habet temperaturam: & in dissimilaribus, quæ ex similaribus sunt cõpositæ,& organicæ vocantur, σύμμετρον, commensuratum. *Cap.* 4.

VI.

Salubre νῦν, NUNC, illud est, quod κατὰ τὸ παρὸν, in præsenti sanum est. Eo verò tempore, quo sanum existit, εὔκρατον quidem est in similaribus,& σύμμετρον in dissimilaribus: verùm ἀρίστην εὐκρασίαν καὶ συμμετρίαν, optimam temperaturã & commensurationem non habet: ἀλλὰ τὴν οἰκείαν, sed sibi propriam. *Cap.* 4.

VII.

Salubre διὰ παντὸς, semper, id est, quod est εὐκρατώτατον καὶ συμμετρότατον, in similaribus partibus optimè temperatum, & in dissimilaribus optimè compositum. *Cap.* 4.

VIII.

Salubre ὡς τὸ πολὺ, ut multùm, est, τὸ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἀπολειπόμενον οὐ πολλῷ, quod ab optimâ constitutione non valdè admodùm deficit. *Cap.* 4.

IX.

Corpus νοσῶδες insalubre, vel ἁπλῶς, vel ἐν τῷ νῦν insalubre est. Et τὸ ἁπλῶς insalubre, aut est διὰ παντὸς, aut ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tale.

X.

Insalubre ἁπλῶς est, quod ab ipso naturæ ortu, vel in similaribus partibus est δύσκρατον, malam temperaturam habet; vel in organicis est ἀσύμ-

ἀσύμμετρον, incommenſuratum: vel utroq; vitio laborat. *Cap.* 5.

X I.

Inſalubre Nunc eſt, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat: neq; obſcurum eſt, quod eo tempore, quo ægrotat, vel in ſimilaribus ſit δύσκρατον: vel in organicis ἀσύμμετρον: vel utroque vitio affectum. *Cap.* 5.

X I I.

Inſalubre διὰ παντὸς eſt, quod ex ipſo naturæ ortu, vel peſſimam habet in ſimilaribus partibus temperaturam: ijſque aut omnibus: aut aliquibus: aut principatum obtinentibus: vel in organicis maximè eſt ἀσύμμετρον: & his iterum, aut omnibus: aut aliquibus: aut ijs, quæ principales vocantur: *Cap.* 5.

X I I I.

Inſalubre ὡς τὸ πολὺ, eſt, quod à vitio quidem corporis διὰ παντὸς inſalubris recedit: nondum tamen τὸ μέσον, mediocritatem attingit. *Cap.* 5.

X I V.

Neutrum corpus, οὐδέτερον græcè, triplex eſt: quemadmodum dictum *cap.* 3. 1. quod neutrius extremæ diſpoſitionis particeps eſt. 2. quod utriuſque. 3. quod aliquando hujus, aliquando verò illius. *Cap.* 6.

X V.

Neutrum ergò corpus juxta primum ſignificatum eſt, quod ἀκριβῶς μέσον, exquiſitè medium eſt, τοῦ ὑγιεινοτάτου σώματος, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου,

ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis. Eſt autem aliud tale ἁπλῶς, quod ab ipſo naturæ ortu, ſic eſt conſtitutum: aliud νῦν, NUNC, quod in tempore præſenti exquiſitè medium eſt ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis. Rurſus τὸ ἁπλῶς neutrum, vel neutrum eſt διὰ παντὸς, quod in omnibus ætatibus tale perdurat: vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quod nonnullas mutationes recipit. *Cap.6.*

XVI.

Neutrum corpus juxta ſecundum ſignificatum, quod quidem ἁπλῶς tale dicitur, eſt, quod ab ipſo naturæ ortu contrariarum ſimul particeps eſt diſpoſitionum: ídque aut in unâ parte: aut in duabus differentibus. In unâ quidem, ſi ſecundum alteram oppoſitionem effectivarum qualitatum bonam habuerit temperaturam: vel etiam ſecundum utramque: ſed in formatione, magnitudine, numero, aut ſitu delinquat. Vel contrà, in his quidem rectè ſe habeat, aut omnibus, aut quibuſdã: peccet autẽ in temperaturâ. In partibus verò differentibus, & juxta omnes oppoſitiones poteſt quicquam ſimul particeps eſſe contrariorum. *Cap.6.*

XVII.

Hoc corpus neutrum ſecundæ ſignificationis, quod ἁπλῶς neutrum dictum, rurſus tale eſt, vel διὰ παντὸς, quod per omnes ætates in eodem ſtatu perſeverat: vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quod aliquâ ex parte evariat. *Cap.6.*

XVIII.

Neu-

Neutrum ſecundæ ſignificationis Nunc eſt, quod κατὰ τὸ παρὸν, vel unâ in parte, vel in differentibus diverſarum particeps eſt diſpoſitionũ: & has quidem ſalubres; illas verò inſalubres habet. Eſt autem tale, non à nativitate; ſed occaſione aliquâ poſt nativitatem in ejuſmodi affectum incidit. *Cap.6.*

XIX.

Neutrum corpus juxta tertium ſignificatum eſt, quod aliquando quidem ſalubre, aliquando verò inſalubre exiſtit. Hoc autem fieri poſſe, experientia docet. Accidit enim quibuſdam, ut in pueritiâ quidem fruantur ſanitate: cùm verò ad juventutem pervenerunt, inſalubres evadant: aut contrà inſalubres ſint in pueritiâ: ſani autem in juventute. *Cap.6.*

X X.

Atque hæc eſt deſcriptio corporis ἁπλῶς neutri ſignificationis tertiæ, quod ab ortu naturæ habet, ut aliquando ſit ſalubre, aliquando inſalubre. Nunc neutrum juxta eandem ſignificationem obſcurè à *Galeno* deſcribitur. Inquit enim, in uno autem tempore, quod ita neutrum eſt, conſiſtere nequit. Latiùs verò ſi accipiatur, contingit. Novimus enim, quòd Nunc dupliciter dicatur. *Cap.6.*

X X I.

Nam cùm neutrum corpus hujus ſignificationis debeat in diverſis temporibus quandoque hujus, quandoque illius particeps eſſe diſpoſi-

tionis, impossibile videtur, neutrum NUNC hoc modo dari. Ideóque respondet *Galenus*, si τὸ νῦν accipiamus propriè pro momento, sive pro indivisibili temporis puncto, verum esse, quod tale Neutrum dari nequeat. At si accipiatur largiùs, pro spatio temporis, reperiri posse. Hujus generis ea sunt corpora, quæ frequenter nunc in morbos incidunt: nunc ex morbis cōvalescunt. Et conjectandum, illa fuisse à principio simpliciter insalubria, h. e. non actu quidem ægra; valetudinaria tamen & infirmâ sanitate prædita. Quare, ob frequentes istas mutationes neutra NUNC appellantur. Cùm autem sana sunt, in latitudine sanitatis continentur: cùm incidere incipiunt in morbos, aut convalescunt, in latitudine neutralitatis consistunt: cùm ægrotant actu, in morbi latitudine comprehenduntur.

COROLLARIA.

I.

AN principium & elementum sint unum & idem? *Negatur: sed vox principij latiùs patet. Omne enim elementum principium est: at non contrà. Plura quoq; sunt principij significata, quàm elementi: quemadmodum patet ex* l. δ. Metaph. c. 1. & *3*.

II.

An elementum & causa sint idem? *Negatur: quia*

quia vocabulum causæ generalius est. Omne enim elementum causa est: sed non contrà. Sunt etiam plures elementi, quàm causæ significationes: veluti constat ex l. ♪. Metaphys. c. 2. & 3.

III.

Quot modis vocabulum elementi accipiatur? *Variis. 1. pro quovis corpore simplici, sive recto, sive circulari motu moveatur. Unde* 1. Meteor. c. 3. *cœlum* πρῶτον στοιχεῖον φερόμενον κύκλῳ *appellatur. II. pro 4. simplicibus corporibus, sub concavo Lunæ contentis: quæ significatio apud Philosophos & Medicos est usitatissima. III. pro primis principiis & causis rerum. IV. pro rudimentis artium & disciplinarum, quibus Tyronum ingenia exercentur, & ad altiora quasi præparantur. V. pro earundē Maximis. Hinc* l. 1. poster. analyt. c. 19. *propositio immediata, quæ una est ex Maximis,* στοιχεῖον *vocatur. VI. pro quavis re minimâ, simplicissimâ, & indivisibili, ex quâ aliquid componitur.* Hâc *ratione literæ dictionum, & termini syllogismorum elementa dicuntur.*

IV.

Unde elementa denominentur? *Denominata videntur quasi* alimenta: *quoniam illis mixta corpora aluntur, foventur, & conservantur. Vel quasi* elevamenta: *quoniam ex ipsis cætera corpora, quæ sunt mixta, generantur. Vel quasi* elimenta, *h. e.* fabricamenta: *quia ex illis omnia sublunaria corpora sunt fabricata.*

V.

Utrùm Medicinæ sit, de elementis docere? *Maximè. I. ut corporis humani, quod Medicinæ subjectum est, principia cognoscantur. II. ut doctrina de Temperamentis, quæ ex mistione elementorum resultant, tùm generalis, tùm specialis, quatenus humoribus, anni temporibus, ætatibus, partibus, spiritibus, cibis, potibus, & medicamentis applicatur, pleniùs ac faciliùs percipiatur. III. ut sanitas & ægritudo partium similarium cognita sit atq; perspecta. Illa enim in convenienti & legitimâ temperaturâ: hæc verò in dyscrasiâ consistit. IV. ut morbus dictarum partium ritè curetur. Ritè autem curatur, si lex contrarietatis observetur, & intemperiei contraria remedij qualitas opponatur, indicatione ab ipsâ intemperie desumptâ.*

VI.

Differatné Physica elementorum tractatio à medica? *Omninò: & quidem tripliciter.* I. Materiâ, *sive subjecto: quia Physica agit de elementis omnium mistorum corporum: Medicina solùm de corporis humani.* II. Modo docendi. *Doctrina namq; Physica multò est accuratior & uberior medica.* III. Fine: *quia Physica nudâ θεωρίᾳ contenta est, & in elementorũ cognitione acquiescit. Medicina cognitionẽ eorum ad πρᾶξιν accommodat: ut scil. sanitas partium similarium conservari: & ægritudo profligari possit.*

VII.

Num Galenus l. 1. elem. c. 1. benè elementum definiat, minimam rei, quam constituit, portionem? *Affirmatur.*

VIII.

VIII.

An per τὸ minimum intelligat, quod planè ἀδιαίρετον, insectile? *Nequaquam. Sunt enim elementa corpora: & per consequens quanta. Omne autem quantum dividuum est.*

IX.

Inaudiatné per minimam portionem eam, quæ est prima & simplicissima? *Ita planè videtur. Elementis enim non sunt corpora priora, neque simpliciora.*

X.

An elementa principia habeant se priora? *Affirmatur: Materiam scil. & Formam, ex quibus, ut reliqua omnia corpora, sunt conflata.*

XI.

Sintné ergò elementa σύνθετα, composita? *Affirmatur. Sunt enim σύνθετα respectu suorum principiorum essentialium, materiæ & formæ. Dicuntur autem ἀσύνθετα, quia non ex aliis corporibus se prioribus, & simplicioribus confecta.*

XII.

Quomodo sint dividua? *Sunt dividua primùm in materiam & formam, tanquam in principia compositionis: deinde in suas partes. Sunt autem individua, quia resolvi non possunt in corpora specie diversa. Divisio enim κατὰ τὸ μέγεθος καὶ κατὰ τὸ εἶδος diligenter hîc notanda est.*

XIII.

Recténe elementa corpora dicantur prima & ultima? Rectè. *Prima namque sunt ratione συνθέσεως*

θέσεως mixtorum: quia priora & simpliciora corpora non dantur, quæ mixta constituant. Vltima sunt, ratione ἀναλύσεως, quoniam mixta in elemẽta ultimò resolvuntur: cúmq; in ea resoluta sunt, in ulteriora corpora resolvi nequeunt.

XIV.

An definitio elementi Aristotelica eadem sit cum Galenica? *Aristoteles l. 3. de cœlo. c. 3. ait, elementum esse, in quod reliqua corpora (puta mixta) resolvuntur: quódq; iisdemq; inest actu, aut potentia.* Et l. 5. Metaphys. c. 3. *scribit elementũ dici, ex quo quid primo inexistente componitur, quod non dividi queat in specie differentia. Quæ definitiones verbis quidem discrepant à Galenicâ: sensu verò cum eâdem conveniunt. Esse enim minimam, h.e. primam & simplicissimam misti portionem, & esse id, quod primò inexistit, & in quod alia: ipsum verò in alia specie diversa dividi nequit, συνώνυμα sunt καὶ ἰσοδυναμοῦντα.*

XV.

Num quatuor tantùm sint elementa? *Affirmatur. I. quia mista in quatuor tantùm resolvũtur:* Hipp. l. de Nat. hum. *II. quia tantùm 4. legitimæ sunt primarum 4. qualitatum tactilium συζυγίαι, quæ elementis πρώτως tribuũtur:* Arist. 2. gen. & inter. c. 3. *III. quia motus rectus, qui elementis, tanquam corporibus simplicibus πρώτως competit, tantùm 4. fit modis:* Arist. 3. de cœl. c. 3. *IV. quia tantùm 4 corpora, non simplicia quidem, attamen ἀναλογίᾳ quadam simplicibus respondentia, terrea*

scil.

ſcil. aquea, aërea & ignea, in animalium corporibus demonſtrari queunt : Gal. 1. de elem. c. 5.

XVI.

An elementa in mundo ſint ſimplicia, pura, ſincera, & impermixta? *Negatur: ídq; propter commodiorem habitationem, generationem, nutritionem & conſervationem rerum mixtarum.*

XVII.

Inſintné homini ἐνεργείᾳ, an δυνάμει? *Poſterius placet. Non enim inſunt pura, ſincera & integra: ſed alterata, retuſa, fracta, repreſſa & caſtigata. Sic enim omnibus illa ineſſe mixtis* Ariſtot. 1. gen. & corrupt. c. 10. & 3. de cœlo. c. 3. docet.

XVIII.

An quatuor qualitates ſint elementorum principia? *Non videtur: quia neq; elementa componunt: neq; eadem generant. Ineſſent enim corporibus aliis: & ſic elemēta non eſſent corpora prima: ſed alia ſe priora haberent. Dici tamen illa poſſunt principia, per quæ elementa ſunt ad aliarum rerum generationem efficaciſſima.*

XIX.

An quatuor qualitates ſint elementorum formæ ſubſtantiales? *Negatur: I. quia ſunt accidentia. II. quia tactiles. III. quia inter ſe contrariæ: quorum nihil de formis ſubſtantialibus dici poteſt.*

XX.

Utrùm rectè à Philoſophis & Medicis in activas & paſſivas dividantur? *Rectiſſimè. Activæ ſunt, Calor & Frigus: paſſivæ, Siccitas & Humiditas.*

tas. Arist 4. Meteor. c. 1. & l. 2. gen. & inter. c. 2.

XXI.

Sintné Calor & Frigus tantùm activæ: Siccitas & Humiditas tantùm passivæ? *Negatur. Omnes enim activæ sunt: sed duæ priores potentiores sunt, & in rerũ productione superiores partes obtinent: duæ posteriores infirmiores debilioresque. Propterea illæ καθ' ἐξοχὴν ἐνεργητικαὶ: hæ παθητικαὶ appellantur.*

XXII.

An in quolibet elemento duæ sint qualitates summæ, h. e. gradibus pares? *Negatur: sed altera alteram vehementiâ superat.* Id quod etiam Aristoteles l. 2. gen. & inter. c. 3. *probare videtur.*

XXIII.

Nunquid calor in igne & aëre: frigus in aquâ & terrâ: siccitas in terrâ & igne: humiditas in aquâ & aëre, specie sint eædem? *Affirmatur. Easdem enim definitiones habere videntur.*

XXIV.

Sitné aër humidior aquâ? *Affirmatur: quia difficiliùs suo termino continetur, quàm aqua. Diffluit enim & per omnia penetrat ac permeat.*

XXV.

Num terra siccior sit igne? *Affirmatur: quia facilè suo termino continetur: h. e. intra suam superficiem facilè se continet: ignis contrà vagus magis est, & liberior.*

XXVI.

An non aqua humidior aëre, cùm magis humectet?

mectet? *Negatur: quia humiditas non ex humectatione, sed propriâ naturâ & definitione æstimanda est. Videmus autem, aquã faciliùs intra limites suos contineri posse, quàm aërem.*

XXVII.

Cur aqua magis humectet, quàm aër? *Quia humiditas aquæ in craßiore densioréq; materiâ hæret: ac ob id magis est unita, atq; ad humectandum potentior.*

XXVIII.

Cur ignis magis siccet, quàm terræ? *Quia & siccus ipse, & summè calidus. Calor autem humiditates rerum exhaurit. Siccat verò & terra quia siccißima. Combibit ergò & absorbet humiditates.*

XXIX.

Qualis sit ignis? *Levißimus, calidißimus, subtilißimus, rarißimus, inter elementa purißimus, supremum locum in regione mundi sublunari occupans, siccus, putredini minimè obnoxius, maximè mobilis, elementum tale, quod congregat homogenea; segregat autem, sive disiungit, quæ sunt heterogenea: quod deniq; aquæ & terræ frigiditatem temperat, certúmq; temperationis modum statuit, ut mixta producantur.*

XXX.

Sitné ignis noster culinarius & διακονικὸς ejusdem naturæ cum elemento ignis? *Ab eo quidem oritur: sed ejusdem cum illo conditionis non est. Indiget enim pabulo, urit, lucet, cernitur, estq; cum vaporibus & craßâ aliquâ materiâ mistus: quæ de elemento ignis dici nequeunt.*

XXXI.

XXXI.

Qualis sit aër? *Humidissimus, naturâ calidus, levis, tenuis, rarus: multò tamen minùs, quàm ignis: per cuncta rerum, ob substantiæ subtilitatem, permeabilis: elementum summè utile & necessarium: præsertim animalibus: quorum calorem contemperat inspiratus, & spiritus animales ac vitales reficit atq; instaurat: &, ut volucres volare possint, facit.*

XXXII.

An temperamentum aëris semper sit æquale? *Negatur. Sed ex aliorum elementorum contactu, & propter varios situs respectu cœli à suis naturalibus qualitatibus intra quosdam terminos recedit.*

XXXIII.

Dividaturné in certas partes, sive regiones? *Aristoteles eum dividit in regiones tres: supremam, mediam, & infimam.* 1. Meteor. 3.

XXXIV.

An hæ regiones inter se differant? *Maximè: quantitate scil. & qualitate.*

XXXV.

Quomodo quantitate? *Suprema reliquis longè est major. Incipit enim à cacumine montium altiorum, & sese usq; ad sphæram ignis extendit. Infima initium sumit à superficie terræ, & eò usq; protenditur, quousq; radij Solis à terrâ reflexi resiliunt. Media inter utrasque interjacet.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
IV.


In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente
AUGUSTO SALADIN,
Wormatiensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

DE Corporum dispositionibus, quæ vel conservandæ, vel mutandæ & corrigendæ sunt Medico, diximus. Sequitur, ut progrediamur ad *Signa*, quæ dispositiones illas nobis patefaciunt, & quid futurum sit, indigitant.

Ἐργασίας membrũ tertium, quod est de Signis.

II.

Præmittemus autem generales quasdam signorum differentias: pòst quæ singularum corporis dispositionum notæ sint, declarabimus.

III.

Signa ratione dispositionis, quam notam faciunt, sunt triplicia: salubria, insalubria, & neutra.

De Signis in genere.

IV.

Ratione temporis similiter triplicia: quoniam tempus vulgò triplex statuitur: διαγνωστικὰ, quæ præsentem sanitatem, morbum, & neutralitaté indicant: προγνωστικὰ, quæ futuram sanitatem, morbum, & neutralitatem portendunt: & ἀναμνηστικὰ, quæ præteritam sanitatem, morbum &

neutralitatem in memoriam revocant. *Cap.7.*

V.

Cæterùm, cùm neutrum corpus triplex ſit: aliud per abnegationem utriuſq; extremæ diſpoſitionis: aliud per participationem utriuſque in eodem tempore: aliud denique per participationem utriuſque, ſed temporibus diverſis: ſciendum, ſigna quoque haſce neutri corporis differentias manifeſtantia in triplici eſſe differentiâ: & eas quidem vel præſentes ſignificare: vel futuras portendere: vel præteritas memoriæ ſubijcere. *Cap.7.*

VI.

Etſi verò inter hæc ſigna diſcrimen ſit manifeſtum: & διαγνωστικὰ diſpoſitiones corporis præſentes: προγνωστικὰ futuras: ἀναμνηστικὰ præteritas ſignificent: veteres tamen quandoque omnia appellârunt προγνωστικά. *Cap.7.*

VII.

Quodſi ſigna hæc utilitatis ratione inter ſe conferantur, magnam diagnoſticorum & prognoſticorum eſſe deprehendetur: minorem longè anamniſticorum. *Cap.7.*

VIII.

Præmiſſis ſignorum diviſionibus, ſalubris corporis ſigna proponenda ſunt. Verùm repetendæ priùs differentiæ illius cap.4. traditæ.

IX.

Aliud enim ſalubre eſt ἁπλῶς: aliud ἐν τῷ νῦν, quod & ὑγιαίνον dicitur. Rurſus ἁπλῶς ſalubre

tale

tale eſt, vel διὰ παντὸς: vel ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Illud ἀρίστην ἔχει κατασκευὴν, optimam conſtitutionem habet: hoc μὴ πολλῷ ταύτης ἀπολείπεται, non magnoperè ab illâ recedit. *Cap.* 7.

X.

Signa διαγνωστικὰ optimæ corporis cōſtitutionis petuntur ex duobus fontibus. I. ἐκ τῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας αὐτῆς λόγον, ex ijs, quę ſecundum eſſentiæ rationem ipſi inſunt. II. ἐκ τῶν ἐξ ἀνάγκης τούτοις ἑπομένων, ex illis, quæ ex neceſſitate conſequuntur. *Cap.* 8. *De Signis in ſpecie.*

XI.

Inſunt autem ſecundum eſſentiæ rationem duo: Temperamentum, quod ſimilaribus competit partibus: & Compoſitio, quæ diſſimilaribus tribuitur. *Cap.* 8.

XII.

Conſequuntur itidem duo: Actiones & συμπτώματα, quæ propriè vocantur συμβεβηκότα, accidentia. *Cap.* 8.

XIII.

Itaque, quodcunq; corpus in partibus ſimilaribus optimam habet temperiem 4. primarū qualitatum, ita ut neque juſto calidius, neque frigidius, neque humidius, neque ſiccius deprehendatur: & in diſſimilaribus optimam συμμετρίαν nactum eſt ratione formationis, magnitudinis, numeri, & poſitionis, id ex primo ſignorum fonte optimè conſtitutum perhibetur. *Cap.* 8.

X I V.

Similiter, quod corpus actiones strenuè perfectéque exercet; adhæc, quod neque propter abundantem humiditatem molle, neq; propter excedentem siccitatem durum, sed medio modo se habens sentitur: bono insuper præditum est colore: tùm neque omninò depile est, neque planè hirsutum; denique quod in dissimilaribus partibus probè est commensuratum, adeò ut ex aptâ convenientíque earum compositione eximia eluceat pulchritudo, id inquam ex fonte secundo ἄριστα κατεσκευασμένον, optimè constitutum nuncupatur. *Cap*. 8.

X V.

Sequuntur signa eorum, quæ sana quidem adhùc sunt: sed ab optimè constituto, quod salubre est διὰ παντὸς, & reliquorum veluti norma & regula, deficiunt.

X V I.

Est autem hic eorum defectus varius ac multiplex. Nam corpora ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ salubria quod attinet, quædam eorum in similarium partium temperamento vitium aliquod habent, sed exiguum: quædam in dissimilarium compositione defectum sunt adepta; verùm similiter parvum & levem. *Cap*. 8.

X V I I.

Hi defectus, sive sint in temperamento, sive in compositione, rursùs subdividi possunt: sed hujus subdivisionis *Galenus* non meminit, utpote

pote omnibus notæ. Nam defectus, sive recessus ab optimâ constitutione in temperamento similarium partium potest esse, vel in simplicibus, vel in compositis qualitatibus. Similiter defectus in compositione partium dissimilariũ, aut est in conformatione, aut in magnitudine, aut in numero, aut in situ ac positione: sed ita levis, vix ut percipiatur.

XVIII.

Porrò, cùm unicum vitium sufficiat, ut corpus ab optimâ constitutione recessisse dici possit: ideò monet *Galenus*, non necessarium esse, ut vitium in omnibus reperiatur partibus. Nil enim referre, sive sit in omnibus similaribus; sive in omnibus dissimilaribus; sive in aliquibus tantùm similaribus: sive in aliquibus duntaxat dissimilaribus: sive in utrisq; simul: dummodò vitiũ in corpore sit: & id quidẽ *μικρὸν*, leve & exiguũ. *Cap.* 8.

XIX.

Tot autem sunt vitiorum genera, quot sunt ea, quæ *τὴν ἀρετὴν*, virtutem perficiunt. Perficiunt autem eam tria, quæ in corpore optimè constituto reperiuntur in summo gradu: I. optima in similaribus partibus tẽperatura. II. optima in dissimilaribus compositio. III. conveniens in utrisque *ἕνωσις*, unio, quam & *συνέχειαν*, continuitatem appellare solemus. Itaq, cùm in unoquoque horum defectus accidere possit, cujus causâ corpus vitiosum reddatur: rectè concluditur, tot esse vitiorum genera, quot sunt ea,

quæ virtutem perficiunt. Nam quemadmodum proba temperies ſimilarium partium: congrua compoſitio diſſimilarium: & decens unio, ſive cōtinuitas partium utrarúmq;, cauſæ ſunt virtutis & perfectionis in corpore: ſic horum oppoſita, intemperies ſcil. mala compoſitio, & ſolutio continuitatis corpus vitiant. *Cap.* 8.

XX.

Si quæras, cùm defectus corporis ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſalubris, & in temperamento, & in compoſitione, & in unitate conſiſtere poſſit; in quibus ergò rebus vitia inſalubriū corporum ſint poſita? Reſpondet *Galen.* in iiſdem planè, ſecūdùm utrumq; inſalubritatis ſignificatū: h. e. ſive corpora illa ſint ἁπλῶς, ſive ἐν τῷ νῦν inſalubria. Terminum autem utrumque corpus, ἁπλῶς & νῦν inſalubre diſtinguentem, eſſe τὴν τῆς ἐνεργείας αἰσθητὴν βλάβην, ſenſibilem actionis læſionem. *Cap.* 8.

XXI.

Nam licet corpus ἁπλῶς inſalubre malè ſit conſtitutum: ſenſibiles tamen functionum læſiones minimè patitur: ac propterea ab eo, quod νῦν inſalubre, dicitur, actúque ægrotat, & ſenſibiles actionū læſiones habet, hoc modo diſtinguitur.

XXII.

Corpora, quæ ab optimâ conſtitutione βραχύ τι, parùm deficiunt, cujuſmodi ſunt τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſana, reverà quidem & ipſa in ali-

quo

quo ſunt offenſa, v.g. vel in temperaméto ſimilarium, vel in compoſitione diſſimilarium, vel in continuitate utrarumque partium: vitium tamen illud adeò leve eſt atq; exiguum, ut ſenſibus deprehendi nequeat *Cap.* 8.

XXIII.

Diſtinguuntur autem ab optimá conſtitutione duobus modis. I. quia corpora ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſana non ita perfectas edunt actiones, ut corpora optimè conſtituta. II. quia non adeò fortiter, ut illa, morboſis cauſis reſiſtunt. *Cap.* 8.

XXIV.

Corpora ἁπλῶς νοσώδη à corporibus optimè valentibus itidem dupliciter diſtinguuntur. I. τῷ ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν νοσωδῶν αἰτίων νικᾶσθαι, quòd facilè à cauſis morbificis ſuperentur, inque affectum aliquem p. n. trahantur: quoniam ijs non validè reſiſtunt. II τῷ πολύ τι κατὰ τὴν ἀρετὴν τῶν ἐνεργειῶν ἀπολείπεσθαι, quòd ijs longè ſint inferiora, quantum ad virtutem actionum attinet. *Cap.* 8.

XXV.

In medio amborum corporum, ſalubrium ἁπλῶς & ſalubrium ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, poſita ſunt neutra, tùm ea, quæ ἁπλῶς, ſimpliciter & exquiſitè: tùm quæ σὺν τινὶ πλάτει, cum latitudine quadam neutra dicuntur. *Cap.* 8.

XXVI.

Intelligit autem *Gal.* per ἁπλῶς neutra ea, quæ talia ſunt διὰ παντός. Per neutra cum latitudine

illa, quę talia ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Illa ἁπλῶς neutra vocantur, quoniam inter extrema media ſunt, & neutra per abnegationem. Nullum enim extremorum participant. Hæc verò cum latitudine neutra appellantur: quia ad aliquod extremorum, ſalubre ſcil. vel in ſalubre corpus, magis inclinant. Utraque ergò neutra in medio corporum ἁπλῶς καὶ ὡς ἐπὶ πολὺ ſanorum conſiſtunt, & ab optimâ conſtitutione deficiunt: ſed neq; adeò leviter, ut corpora ὡς τὸ ἐπὶ πολὺ ſana: neque ita evidenter, ut ἁπλῶς inſalubria. Quo fit, ut actiones edãt, nec adeò ſtrenuas, ut ἁπλῶς καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſana: nec ita debiles, ut ἁπλῶς inſalubria. Adhæc, nec adeò fortiter morbificis cauſis reluctantur, ut ſalubria: nec ita facilè ab ijſdem vincuntur & ſuccumbunt, ut inſalubria.

XXVII.

Ex his concluditur, τὸ τῆς ὅλης ὑγιείας πλάτος, totam ſanitatis latitudinem, in tres partes dividi: quarum tamen ſingulæ iterùm non parvam latitudinem habent. *Cap.* 8.

XXVIII

Etenim, in primâ latitudinis parte collocantur corpora ὑγιείνοντα; in secundâ οὐδέτερα: in tertiâ νοσώδη, quæ inſalubria ἁπλῶς dicuntur. Poſt hæc corpora ſequuntur τὰ ἤδη νοσοῦντα, quæ ſcil. actu ipſo ægrotant, & ſenſibilibus functionum læſionibus à prædictis diſtinguuntur, & in ſanitatis latitudine minimè continentur. *Cap.* 8.

Hæ

XXIX.

Hæ verò læſiones ſunt triplices. Vel enim actiones ſunt depravatæ; vel abolitæ: vel ſaltem diminutæ. *Cap.* 8.

XXX.

Actiones depravatæ & abolitæ ἐναργεῖς ἔχουσι τοὺς ὅρους, manifeſtam habent determinationem; h. e. perſpicuè admodùm ſignificant, corpus ægrum eſſe. Debiles verò & diminutæ, non item. *Cap.* 8.

XXXI.

Illæ quidem, quæ debiles ſunt admodùm, & multùm à benè valentium corporum actionibus diſtant, oſtēdunt, corpus manifeſtè ab optimâ conſtitutione receſſiſſe, & ad inſalubre ἁπλῶς pertinere. Quæ verò debiles quidem ſunt, non ita tamen debiles, ut corporum inſalubrium: nec adeò validæ, ut ſalubrium, ambiguæ ſunt, h.e. demonſtrant, corpus neque ad ſalubre, neque ad inſalubre, ſed ad neutrum referri debere. *Cap.* 8.

XXXII.

Ex actionum igitur imbecillitate ac perfectione facilè dignoſcitur, qualianam ſint corpora, & ad quam ſanitatis claſſem reducenda?

XXXIII.

Obſervandum autem, in διαγνώσει horum corporum ſenſum eſſe judicem debere: non αὐτὴν τῶν πραγμάτων φύσιν inſpiciendam; ne in δόγμα τῆς ἀπαθείας incidamus. *Cap.* 8.

Sa-

XXXIV.

Sanum quippe corpus, ut hoc majoris perſpicuitatis gratiâ contextui addamus, duobus modis ſanum dici poteſt. Uno, κατ' αὐτὴν τοῦ πράγματος φύσιν: altero, κατὰ τὴν αἴσθησιν. Priori modo id ſanum vocatur, quod exactè & exquiſitè ſanum eſt: poſteriori, quod licet ab exactâ exquiſitáque iſtâ ſanitate abſit, quia tamen ſenſibilem actionum ſuarum læſionem non habet, ſanum adhùc dicitur. Itaque ſana corpora non ratione, ſed ſenſu dijudicanda ſunt. Nam ſi rationem vellemus ſtatuere judicem, tunc id ſolùm corpus ſanum foret, quod perfectâ ſanitate eſſet præditum: reliqua omnia, quæ ab ejus perfectione receſſiſſent, ægra vocanda: atque ſic neceſſariò dogma ἀνυπαθείας introduceretur.

XXXV.

Porrò, ut certò ſciatur, quæ nam corpora ὑγιεινὰ, quæ νοσώδη, quæ denique οὐδέτερα appellanda ſint? *Galenus* hanc regulam præſcribit. Ponendi ſunt duo termini cõtrarij, optima ſcil. conſtitutio, & morbus nuper genitus, conſiderandúmque, cuinam eorum corpora ſint viciniora? Nam quæ propiora ſunt ἀρίστῃ κατασκευῇ, ὑγιεινὰ: quæ ab hac longiùs diſtant, ipſi verò ægrotanti corpori viciniora ſunt, νοσώδη: quæ denique intermedia ſunt, & æqualiter ab utriſq; diſtare videntur, οὐδέτερα ſtatuenda ſunt. *Cap.* 8.

XXXVI.

Ex dictis patet, quæ ſint optimæ conſtitutio-

nis

nis signa. Cùm verò & alia corpora in sanitatis latitudine comprehendantur, quæ tamen ab illius perfectione recedunt: & inter se quoque non parùm per majorem ac minorem recessum à corpore optimè constituto differũt: nimirùm corpora ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ sana, quę ita levem habẽt defectũ, ut sentiri ferè nequeat: corpora ἁπλῶς insalubria, quæ defectum habent evidentiorẽ: & corpora neutra, quæ medio quasi modo affecta sunt: nec ita benè, ut corpora ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ sana: nec ita malè, ut corpora ἁπλῶς insalubria: propterea monet *Galenus*, se brevitatis habitâ ratione corporum solùm ἁπλῶς insalubrium signa traditurum. Ex horum enim, tanquam omnium maximè ab optimâ constitutione recedentium signis, etiam corpora ὡς ἐπὶ πολὺ sana, & simpliciter neutra nota nobis fore. *Cap.* 8.

XXXVII.

Licet verò corporum ἁπλῶς insalubrium indicia suprà, cùm de notis optimæ constitutionis ageretur, tradita sint: *thesi scil.* 24: nimis tamen generalis ea fuit doctrina. Ideoque, ut rectiùs corpora ἁπλῶς insalubria cognoscantur, specialior subjungenda: priùs tamen partium corporis humani differentiæ ponendæ: & posteà quibus signis singularum κράσεις dignoscendæ sint significandum. Sic enim totius corporis ἁπλῶς insalubris constitutio innotescet.

Corol.

Corollaria.

I.

Sitné æqualis semper mediæ & infimæ aëris regionis magnitudo? *Nequaquam. Nam æstivo tempore infima major est: media minor. Hyeme infima minor: media major. Causa est Solis in æstate sublimitas. Est enim puncto nostro verticali vicinus. Unde recti magis ejus sunt radij: ac proinde altiùs reflectuntur. Hyeme verò Sol est depreßior, & à puncto nostro verticali remotior. Ideoq; radij ejus obliqui in latus reflectuntur, nec in altum resiliunt.*

II.

Quomodo discrepent qualitate? *Suprema calida est & sicca: tùm propter vicinitatem ignis, tùm propter primi mobilis motum perpetuum, cum quo circulariter rapitur. Media minus caloris habet, quàm suprema & infima. Unde & frigida statuitur. Est enim à cœlo & igne distantior. Remotior quoq; à terrâ: quo fit, ut radij Solares reflexi eò minimè penetrent. Infima calida est propter radios Solares à terrâ reflexos. Humida, tùm ob propriam aëris naturam tùm ob vapores humidos ex terrâ & aqua quotidiè exhalantes.*

III.

Sitné infima regio ubique æquè calida? *Negatur: sed modò magis: modò minùs: nimirùm pro temporum tempestatúmq; & locorum regionúmque diversitate.*

IV. Qua-

IV.

Qualis sit aqua? *Frigidißima, humida, gravis: sed comparatè, respectu scil. ignis & aëris, quibus subjacet: levis autem respectu terræ, cui supereminet: deniq; elementum tale, quod in mistione dura quæ sunt emollit, ut formas introducendas faciliùs suscipiant, partésq; siccas glutinis in modum connectit: terram rigando fœcundam reddit: sitim refrigerando humectandóq; animalibus extinguit: usus alios, & plurimos, & singularißimos belli pacisque tempore, omnibus vitæ ordinibus, in secundâ, & adversâ valetudine, largitur.*

V.

Qualis terra? *Siccißima, gravißima, densa, solida, frigida, & quasi fundamentum totam mundi machinam, & quæcunq; ejus complexu continẽtur, sustinens: ideóq; naturali situ infima, & veluti centrum in medio mundi collocata: corpora concreta consolidans, & durabiliora reddens, atq; ad conservandas figuras, ac formas aptiora: temperans mollitiem aëris & aquæ suâ siccitate: & humorem per se naturáq; suâ fluentem veluti repagulo cohibens ac sistens.*

VI.

An temperamentum & mistio sint idem? *Non videtur: etsi secus videatur aliis. Mistio enim est naturâ prior: temperamentum veluti soboles ex mistione resultat.* Hinc dicit Fernelius *l. 4.* φυσιολ. *c. 1. non mixtionem, sed mixtionis rationem, seu proportionem esse temperamentum.*

VII An

VII.

An mixtio sit appositio? *Negatur: quoniam in appositione nulla fit alteratio: sed duntaxat eorum, quæ misceri dicuntur, conjunctio Priùs autem in particulas adeò exiguas dividuntur, ut qualibet earum minimè internoscatur. Patet hoc in cumulo farinæ, ex hordeo, tritico & siligine facto.*

VIII.

An mixtio sit confusio? *Nequaquam. Est quidem confusio, ut & appositio mixtio impropria & artificialis: sed vera, realis & physica non est. Et secantur quidem in confusione miscibilia in particulas admodùm minutas, ut discerni nequeant: & ita inter se confunduntur, ut non poßint separari: sed per tota minimè mutantur.*

IX.

An propria & vera, sive physica mixtio sit miscibilium alteratorum unio? *Sic placet cum Aristotele* 1. de gen. & inter. c. 10.

X.

Possintné quævis hoc modo inter se misceri? *Nequaquã.* Aristot. *enim requirit in miscibilibus tria. I. ut sint ejusdem generis physici, h. e. ejusdem materiæ, quò in se agere & à se invicẽ pati poßint. II. ut sint* εὐδιαίρετα, *& in minutißimas partes dividi queãt. Sic enim miscentur meliùs. III. ut inter ipsa certa sit quantitas atq; proportio. Si n. multa cum paucis, vel magna cum parvis conjungãtur,* μίξιν *non efficiẽt: quoniam id, quod superat, alterũ in suam naturã convertit, et interimit.* 1. gen. & inter. c. 10.

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
V.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

PHILIPPO ANSORG,
Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

PRomiſerat *Galenus* c. 8. ſpecialia ſe corporis ſimpliciter inſalubris ſigna traditurũ: priùs autem partium corporis diviſionem propoſiturum: forſan ut innoteſceret, quænam præcipuè partes vim haberẽt corpus immutandi, ídque ſimpliciter reddendi inſalubre, ſi vitium aliquod contraxiſſent. Ideóque promiſſi memor id ipſum jam præſtat.

II.

Statuit autem quatuor partium differentias. Aliquæ enim ſunt ἀρχαί τινὲς, principia quædã: ut Cerebrum, Cor, Hepar & Teſticuli. Nonnullæ ἀπ' ἐκείνων ἐκπεφύκας, ab ijs originem trahunt: ut nervi & ſpinalis medulla à cerebro: arteriæ a corde: venæ ab hepate: vel ijs ſaltem ὑπηρετοῦσι, miniſtrant: ut vaſa ſeminaria teſtibus. Quædam οὔτ' ἄλλων ἄρχουσι τῆς διοικήσεως, neq; aliarum gubernationi præſunt: οὔθ' ὑπ' ἄλλων ἄρχονται συμφύτους ἔχουσαι τὰς διοικοῦσας αὐτὰς δυνάμεις, neq; aliunde gubernantur, cùm vires habeant à naturâ inſitas, à quibus reguntur: ut cartilago, os,

ligamẽtum, membrana, caro ſimplex, glandula,
Sunt denique, quæ *συμφύτους τε ἅμα καὶ ἐπιρρύτους ἔχουσι δυνάμεις*, inſitas ſimul & aliunde emanantes obtinent potentias: quales ſunt reliquæ, quæ arterijs, venis & nervis eguerunt. *Cap.* 9.

III.

Hæc *Galeni τετραχοτομία* in ſequentem *διχοτομίαν* redigi poteſt. Nam quædam partes ſunt principes, quædam non. Quæ principes ſunt, vel ſpectant ad conſervationem individui: ut cerebrum, cor & hepar: vel ad propagationem ſpeciei: ut teſtes. Quæ principes non ſunt, vel ortæ ſunt à principibus, ijſq; famulantur: ut nervi cerebro: arteriæ cordi: venæ hepati: vel non. Et hæ vel inſitis ſolùm gubernantur viribus: ut os, cartilago, ligamentum &c. vel inſitis ſimul & influentibus: ut muſculi, ventriculus, inteſtina, renes &c.

IV.

Partibus corporis diviſis, ſequitur, ut ſigna tradantur, quæ temperaturas earum nobis patefaciant: ſumpto initio à ſignis temperaturarum cerebri.

V.

Signa tẽperaturarum Cerebri. Hoc enim, ut & reliquæ principes partes, ad corporis immutationem magnas habet vires: ac propter eâ, ſi vitium aliquod concepit, corpus ſimpliciter inſalubre reddere valet.

VI.

Sunt autem duo fontes, ex quibus ſigna temperatu-

peraturarum cerebri hauriuntur. Unus est τῶν συμφύτων, eorum, quæ sunt cōnata: alter τῶν ἔξωθεν, quæ forinsecus occurrunt, & cerebrum alterant. *Cap.* 10.

VII.

Τῶν συμφύτων quinque genera *Galenus* proponit. I. est ἡ τῆς συμπάσης κεφαλῆς διάθεσις, totius capitis dispositio. II. ἡ τῶν αἰσθητικῶν ἐνεργειῶν ἀρετή τε καὶ κακία, sensitivarum actionum virtus & vitium. III. ἡ τῶν πρακτικῶν ἐνεργειῶν ἀρετή τε καὶ κακία, activarum, sive motivarum functionum virtus ac vitium. IV. ἡ τῶν ἡγεμονικῶν, virtus & vitium operationum principum. V. ἡ τῶν φυσικῶν, naturalium actionum virtus & vitium. *Cap.* 10.

VIII.

Πρὸς τὰ ἔξωθεν refert *Galenus* τὴν προσπιπτόντων τῷ ἐγκεφάλῳ ἀλλοίωσιν, alterationem extrinsecus cerebro advenientem. *Cap.* 10.

IX.

Dispositio totius capitis sumitur ex tribus: 1. ἐκ μεγέθους, ex magnitudine ejus. 2. ἐκ σχήματος, ex figurâ. 3. ἐκ τριχῶν, ex capillis. *Cap.* 10.

X.

Parvum caput proprium signum est μοχθηρᾶς ἐγκεφάλου κατασκευῆς, vitiosæ cerebri constitutionis. *Cap.* 11.

XI.

Magnum verò non necessariò bonam ejusdem constitutionem indicat: quia magnum es-

ſe poteſt, & propter materiæ copiam, & propter facultatis formatricis robur. *Cap.* 11.

XII.

Quodſi ergò ob ſolius materiæ copiam magnum fuerit, haudquaquam bonum ſignum erit. Si verò magnum evaſerit ob formatricis robur, quæ multam & laudabilem materiam probè formârit, ſignum erit optimum. *Cap.* 11.

XIII.

Ut autem ſciatur, quando capitis magnitudo ex formatricis robore: & quando ex ſolius materiæ ubertate provenerit, monet *Galenus*, figuram capitis perpendendam eſſe. *Cap.* 11.

XIV.

Sciri enim hoc poteſt, tùm ex figurâ capitis: tùm etiam ex ijs, quæ ortum à capite ducunt. *Cap.* 11.

XV.

Ex figurâ quidem ipsâ, ſi fuerit εὔρυθμος, cõcinna. Hæc namque bonum perpetuò eſt indicium. Ex ijs autem, quæ à capite ortum ducunt, ſi cervix ſit valida: ſi alijs oſſibus optimè conſtet: hoc eſt, ſi oſſa, quæ eam componunt, magna ſint & dura: ſi denique omnis nervoſa ſubſtantia εὐτραφὴς καὶ εὔτονος appareat, id eſt, habitûs ſit boni & robore eximio prædita. *Cap.* 11.

XVI.

Magnum ergò caput concinnè figuratum, cervici validæ aſſociatum, firmis oſſibus prædi-

tum.

tum, nervis robustis instructum, indicium est vigoris facultatis plasticæ, & copiæ ac bonitatis materiæ. Magnum verò caput, sed vitiosè formatum, debili cervici adjunctum, infirmis ossibus circumdatum, debilibúsque stipatum nervis, signum est tantùm materiæ copiosæ: ac ob id minimè bonum.

XVII.

Si quæras, quænam capitis figura concinna sit,& naturalis? Respondet *Galenus*, eam, quæ sphæram refert exquisitè rotundam, leviter tamen utrinque depressam. In hac enim necesse est, ut anterior & posterior pars gibbosior sit, quàm sphæræ conveniat: quæ verò utrinque consistunt, rectæ magis, planæ atque æquales appareant. *Cap.* 11.

XVIII.

Caput igitur naturaliter figuratum secundum *Galenum* illud est,quod quidem rotundum existit: sed ob levem partium lateralium depressionem oblongum: atque ita à lateribus juxta tempora aliquantulùm rectum: in anticâ verò & posticâ parte gibbum,h.e. protuberans.

XIX.

Cæterùm, quemadmodum ex parvitate & magnitudine totius capitis haud obscurè cerebri constitutio elucet: sic non minùs ea ex diminutione & auctione prominentiarum anticæ & posticæ partis innotescit.

XX.

Nam si v. g. prominentia occipitis aliquatenus sit diminuta, cõsiderare oportet ea, quę à posteriori capitis parte oriuntur: cervicem scil. nervos & ossa. Hæc enim si κατὰ φύσιν se habuerint, h. e. si cervix fuerit valida, ossa robusta; & nervi firmi, indicium est, ἐνδείᾳ τῆς ὕλης, οὐ δυνάμεως ἀῤῥωςίᾳ, ob materiæ defectũ, non facultatis imbecillitatem, prominentiam istam diminutam esse. Si verò malè & contrario planè modo se habuerint, cogitandum, τὴν ἀρχὴν, cerebrum scil. debile esse: & tùm formatricis facultatis infirmitatem, tùm materiæ penuriam in causâ esse hujus defectûs. *Cap.* 11.

XXI.

Raro tamen accidit, inquit *Galenus*, ut orta ab hac cerebri parte valida sint, si occipitis protuberantia sit imminuta. Nam plerumq; hanc diminutionem & cervicis, & ossium, & nervorum consequi solet imbecillitas. *Cap.* 11.

XXII.

Quodsi eveniat contrarium, & occipitis ἐξοχὴ, prominentia, augeatur, adeò ut ejus nomine caput existat φοξότερον, acutius, κατ' ἰνίον, juxta occiput: tùm eadem illa consideranda sunt, quæ suprà magno existente capite consideranda diximus. *Cap.* 11.

XXIII.

Nam si aucta hæc occipitis prominentia decenter & concinnè sit figurata, & quæ oriuntur

tur à posteriore capitis parte benè se habeant, bonum erit indicium. Si verò figurata sit malè: & inde orta debilia sint atq; infirma, malum. *Cap.* II.

XXIV.

Utplurimùm verò & hîc optimum est signum, figura concinna ejus partis, quæ cerebro adhæret, & communiter παρεγκεφαλίς, à quibusdam verò Medicis ὀπίσθιος ἐγκέφαλος, posterius cerebrum appellatur. Sita enim hæc pars est posteriùs, quemadmodum & illa sutura, quæ lambdoidea nominatur. *Cap.* II.

XXV.

Est verò pars hæc principium spinalis medullæ: & ejus ratione etiam omnium nervorum προαιρετικῶν, qui motibus inserviunt. *Cap.* II.

XXVI.

Ipsa autem pars posterior καθ' αὑτὴν perpaucos habet nervos αἰσθητικοὺς: plurimos verò προαιρετικούς. Anterior contrà, paucos admodùm προαιρετικοὺς sortita est; plurimos verò αἰσθητικούς. *Cap.* II.

XXVII.

Quare, si utraque pars, antica & postica, probè sit affecta, rationi consonum est, etiam τὰς ἀποφύσεις, h. e. ea, quæ ab utraque oriuntur, valida esse atque robusta. *Cap.* II.

XXVIII

Porrò, quæ distinctiones adhibendæ sunt in prominentiâ occipitis: eædem etiam in prominentiâ syncipitis locum habent. Ideóq; & anteriorum partium capitis, quæ ad frontem pertinent,

tinent, magnitudo ac parvitas inſpicienda eſt: & perpendenda figura: & ſenſus ibi locati, viſus, guſtus, & odoratus, conſiderandi. Hæc enim ſe invicem ſignificant, & de ſe mutuò teſtantur. Nam orta à principio de principij virtute ac vitio: & rurſus principium de principiatis ſuis teſtimonium perhibet. *Cap.* 11.

XXIX.

Accedamus ad ἐνεργείας ἡγεμονικὰς, & quomodo cerebri conſtitutionem patefaciant? ſignificemus.

XXX.

Vocat autem *Galenus* ἐνεργείας ἡγεμονικὰς, actiones principes eas, quæ à ſolo principio, ipſo ſcil. cerebro, ſine alterius alicujus organi miniſterio, proveniunt. *Cap.* 12.

XXXI.

Quæ cauſa eſt, quòd harum actionum virtus ac vitium de ſolius etiam cerebri conſtitutione atteſtentur. *Cap.* 12. Ratio eſt: quoniam in ſolo exercentur cerebro: non in parte aliâ: quemadmodum actiones ſenſitivæ & motivæ. Hæ enim, licet etiam à cerebro proficiſcantur: quia tamen per organa, à cerebro diverſa, peraguntur, idcircò non ſolius cerebri, ſed etiam ſuorum organorum ſunt indicia.

XXXII.

Ergò ἀγχίνοια, ingenij ſolertia, ſive acumen, nota eſt ſubtilis cerebri ſubſtantiæ. Βραδύτης διανοίας, tarditas intellectûs, craſſæ. Εὐμάθεια, diſcendi facilitas, ſeu facilis diſcendarum rerum appre-

apprehensio, formarum facilè susceptivæ, quā *Galenus* εὐτύπωτον appellat. Μνήμη, memoriæ constantia, stabilis ac firmæ, quæ *Galeno* μόνιμος dicitur. Δυσμάθεια, discendi difficultas, talem cerebri substantiam indigitat, quæ rerum species non facilè admittit. *Galenus* eam δυστύπωτον nuncupat. Ἐπιλησμοσύνη, oblivio, signum est substantiæ cerebri διαῤῥεούσης, fluidæ. Τὸ εὐμετάβολον ἐν δόξαις, inconstantia & mutabilitas opinionum, calidæ: constantia verò & stabilitas, sive perseverantia, frigidæ. *Cap.* 12.

XXXIII.

Supersunt adhùc duo signorum genera, ex quibus æquè, atque ex præcedentibus, cerebri constitutionem cognoscere licet. Unum est τὸ τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν, actionum naturalium: alterum τὸ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων, rerum foris occursantium, & corpus nostrū alterantium. Sed de hisce *Galenus*, non, ut de prioribus, generatim & seorsim tractabit: verùm tùm demùm, cùm in specie de qualibet cerebri temperaturâ acturus. *Cap.* 12.

XXXIV.

Causa forsan est, quia de hisce signis commodè agi in genere non potest; sed necesse est, ut speciales temperaturæ considerentur. Cùm enim naturales cerebri functiones potissimùm ex ejus excrementis deprehendantur: hæc autem & quantitate, & qualitate varient: ideò singulæ temperaturæ percurrendæ sunt. Sic namque patebit, quomodo ex recrementis

cere-

cerebri temperaturæ dignoſcantur? Planum quoq; fiet, ſub quibus temperaturis cerebrum magis à calidis, ſub quibus magis à frigidis cauſis lædatur? Eadem ratio poteſt adferri, ſi quæratur, cur nil hic de capillis præcipiatur? cum illi tamē θ.9. ſub capitis διαθέσει fuerint comprehenſi? De illis enim commodiùs in ſpeciali de ſingularum cerebri temperaturarum ſignis doctrinâ doceri poteſt: quoniam pro diverſitate temperaturarum, & in colore, & in ſubſtantiâ, & in mollitie, & in duritie, & in figurâ, & in quantitate diverſi eſſe ſolent.

COROLLARIA.

I.

AN Temperamentum, quod aliâs etiam temperies, tēperatura, Græcis κρᾶσις, Hippocrati κῆρσις dicitur, à verbo κεράννυμι, κεραννύω, καὶ κεράω, miſceo, rectè Complexio vocetur? *Affirmatur: quia plura in ſe complectitur. Reſultat enim ex mixtione elementorum.*

II.

Recténe idem vocetur Natura? *Quamvis vocabulum Naturæ ſignificationes habeat varias: ex* Galeno *tamen liquet, & Naturam ſumi pro temperamento: & hoc pro illâ.* Utrumq; *enim ex primordijs noſtræ generationis nobis eſt inſitum.*

III.

Utrum Temperamentum rectè à Fuchſio *l. 1. Inſtit. ſ. 3. c. 1.* ſtatuatur ſubſtantia? *Negatur.*

Eſt

Est enim perpetuò in aliquo subjecto: & sine subjecto vim subsistendi nullam habet. Est etiam temperamentum temperamento contrarium; quæ de substantia dici nequeunt.

IV.

An sit misti forma substantialis? *Negatur: quia accidens est: quia alteratur: quia tangitur: quia ex qualitatibus primis, quæ substantiæ non sunt, nascitur: quia cognitum est: forma ignota.*

V.

Verène definiatur quatuor elementorum congrua & proportionalis mistio, ad actiones rectè obeundas? *Non videtur. Per se enim & formaliter mistio non est: sed ex mistione resultat.*

VI.

Sitné temperamentum quinta qualitas, eáq; simplex, & primarum quatuor vires complectens, quæ ex interitu earum emerserit? *Negatur. I. quia hoc pacto nulla ampliùs in corpore foret contrarietas: & per consequens neq; causa aliqua interna morborum, senectutis, & mortis. II. quia fieri nequit, ut omnes quatuor elementorum qualitates pereant: sed necessum est, ut ea saltem supersit, quæ est potentior. Non enim par est elementorum in* κράσει *portio. III. quia animali defuncto elementa suis qualitatibus instructa non ampliùs recedere & mundi immisceri elementis possent. Essent enim hoc modo qualitates jam dissipatæ, nec in composito mansissent.*

VII. An

VII.

An temperamentum nuda ſit relatio, & quatuor qualitatum concentus, proportio, ſive harmonia? *Non videtur. Nam temperamentum eſt partium ſimilarium ὄργανον, per quod actiones ſuas exercent. Efficax ergò eſt, vimq; agendi habet. At nuda & mera relatio, concentus, proportio & harmonia vi agendi caret.*

VIII.

Utrum temperamentum rectè definiatur qualitas ex mutuâ actione & paſſione primarum orta, atque ad functiones ſimilarium partium obeundas comparata? *Ita planè credimus.*

IX.

Quomodo probetur, qualitatem eſſe? *I. quia corpora ab eo dicuntur qualia; calida ſcil., frigida, humida, ſicca, &c. II. quia ex qualitatibus provenit. III. quia tactu percipitur.*

X.

Quomodo probetur, ortum eſſe ex mutuâ primarum quatuor qualitatum actione & paſſione? *Certum eſt, temperamenta ab elementis ducere originem. Ab his enim nomen ſuum acquiſiviſſe videntur. Temperamenta quippe dicuntur, quòd ſint quaſi mixturæ & complexiones elementorum. Indubitatum, qualitates ab elementis removeri non poſſe. Earum namq; actiones & vires adhuc manifeſtè in temperamentis elucent, & ab ijs temperamenta nomen ſuum obtinent, ut aliud appelletur calidum, aliud frigidum, aliud ſiccum, aliud*

liud humidum. Creditum ſanioribus Philoſophis, qualitates elementorum in miſtione rerum non manere integras: ſed repreſſas, retuſas, atq; remiſſas. Sequitur ergò, cùm concurrunt, mutuò ſe adoriri, & eò uſq; progredi earũ pugnam, donec omnes ſint refractæ, depoſitisq; contrarietatum quibuſdam gradibus, quibus inter ſe vehementer diſsidebant, amicitiâ quadam coiverint, & quaſi unam, eamq; veluti mediam qualitatem, quæ moderatior, conſtituerint.

XI.

Sitné hæc qualitas, quæ ex quatuor remiſſis atque refractis nata, ſimplex? *Negatur. Eſt enim quaſi omnium* συνδρομὴ *atq; congeries. Suam verò denominationem accipit ab illâ qualitate, quæ in pugnâ palmam obtinuit: ſive una ſit, ſive duæ.*

XII.

Quomodo probetur, temperamentum comparatum eſſe ad ſimilarium partium actiones obeundas? *Probatur ex eo: quia ſalvo exiſtente temperamento, actiones ſimilarium procedunt benè: læſo verò, offenduntur. Liquet hoc ex morbo earum, qui* νοσώδης δυσκρασία *vocatur.*

XIII.

Num in temperamento unio quædam ſit, quemadmodum in miſtione? *Omninò. Sed miſtio extenditur ad unionem ſubſtantiarum elementorum: temperamentum ad unionem qualitatum. Eſt enim temperamentum qualitas quædam, quæ ex primis qualitatibus certâ proportione concurrenti-*

bus

bus ac coëuntibus resultat. Ex pugnâ namq; primarum qualitatum, hoc est, ex mutuâ illarum actione & passione, substantiæ elementorum uniuntur, & qualitates, quia reprimuntur, ad concordiam & unitatem quandam deveniunt.

XIV.

Unde oriantur temperamentorum differentiæ? *Ex diversitate proportionis elementorum existentium in mixtis. Quot enim modis proportio hæc variari potest in mixto, tot etiam sunt temperamentorum differentiæ.*

XV.

Quot ergò modis varietur ista proportio? *Modis novem: ac proinde etiam novem sunt temperamentorum differentiæ.*

FINIS.



Disputatio EX ARTE PARVA GALENI VI.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOH. HENRICO ARCULARIO,
Paderbornâ-VVestphalo.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.



EREBRI κατὰ τὰς τέσσαρας ποιότητας εὐκράτε, quod bonam sortitum est primarum quatuor qualitatum temperaturam, signa sunt sequentia. *Signa temperati Cerebri.*

II.

I. Omnia, de quibus c. 11. & 12. dictum, ut sunt dispositio capitis, quæ in magnitudine, figurâ, & capillis consistit: orta à capite, ossa & nervi: denique actiones sensitivæ, motivæ, & principes: omnia inquam hæc moderata habet. *Cap.* 13.

III.

II. Excrementa, quæ vel per palatum, vel per aures, vel per nares, vel per oculos expurgantur, moderata sunt. *Cap.* 13.

IV.

III. A rebus extrinsecùs occursantibus, quæ calefaciunt, refrigerant, humectant, & siccant, ἥκιστα βλάπτεται, minimè læditur. *Cap.* 13.

V.

IV. Capilli in infantiâ sunt ὑπόπυῤῥοι, subru-

ſi, ſive ſubaurei, (Bleichgelb/ inſtar aureorum Rhenenſium) in pueritiâ ὑπόξανθοι, ſubflavi, ſive aurei & fulvi: (Goldtgelb / ad modum auri puri) in adoleſcentiâ & juventute, cùm adoleverunt & τελειόμενοι facti, ξανθοὶ, flavi: & quo ad figuram, medij inter eos, qui ſunt ἀκριβῶς οὖλοι καὶ ἁπλοῖ, exquiſitè criſpi & ſimplices: & calvitium non facilè patiuntur. *Cap.* 13.

VI.

Cæterùm, cùm ſigna, de quibus jam dictum, & de quibus dicetur deinceps, ſive ea ad Cerebri, ſive ad aliarum partium κράσεις pertineant, ob regionum temperaturas variari poſſint, & judicium hanc ob cauſam pervertere, monet *Galenus*, accipienda ea eſſe, ut in εὐκράτοις οἰκήσεσι, locis & regionibus temperatis. Intemperatas enim ea mutare. Ne igitur tribuamus temperaturæ partium, quod regioni potiùs adſcribendum erat, neceſſe eſt, ut ſigna hæc non niſi in regione temperatâ examinentur, ex ijſq; de cerebri aliarúmque partium temperaturis judicium feratur. *Cap.* 13.

VII.

Quæ verò de capillis dicta ſunt, non ſolùm ad locorum & regionum, ſed etiam ad humorum temperaturam, qui cerebri temperaturæ proportione reſpondent, referenda ſunt. *Cap* 13.

VIII.

Vult enim *Galenus*, capillorum colorem non tantùm à κράσει cerebri: verùm etiam à regionū natu-

naturâ & humorum qualitate provenire. Tùm autem nota eſt κράσεως cerebri, cùm humores tales ſunt, ut ex eorum naturâ minimè proveniat. Nam ſi inde manat, nil de cerebri temperaturâ ſignificat. Sint enim v. g. humores in qualitate moderati: appareant autem capilli nigri & criſpi: cùm ejuſmodi capilli redundantium humorum naturam minimè ſequantur, caliditatis cerebri indicia erunt. Itaque talem eſſe oportet humorem, ut illi qualitates capillorum adſcribi nequeant: ſed ſolius cerebri tẽperaturæ. Quod fiet, ſi humor vel mediocritatem habeat inter omnes exceſſus: vel cerebri temperamento adverſetur.

I X.

Traditis ſignis cerebri εὐκράτου, conſequens eſt, ut δυσκράτου proponantur.

X.

Verùm hoc priùs documentum probè notandum, quòd varij ſint temperaturarum gradus, ratione majoris ac minoris. Sunt enim δυσκρασίαι vel magnæ & inſignes: vel leves atque exiguæ. Ex quo conſequitur, etiam τὰ γνωρίσματα εἶναι ἰσχυρὰ, ἢ ἀμυδρὰ, ſigna earũ aut fortia, hoc eſt, clara & evidentia eſſe admodùm: aut obſcura. *Cap.13.*

X I.

Nam ſi v.g. cerebrum notabilem habeat & evidentem in caliditate exceſſum, ſigna caliditatis clara erunt admodùm atque perſpicua. Sin

 levem

levem & exiguum, signa quoque obscuriora erunt. *Cap.* 13.

XII.

Atque hoc documentum non tantùm in cerebri, sed etiam in aliarum partium intemperiebus, quarum signa tradentur in sequentibus, locum habet. Quò enim intemperies sunt intensiores, eò signa sunt clariora: quò remissiores, eò obscuriora. *Cap.* 13.

COROLLARIA.

I.

POssintné novem dicti variationis modi, quibus proportio elementorũ in mixtis variatur, exprimi? *Maximè. Nam cùm omnia mixta corpora conflata sint ex elementis, necesse est, ut in mixtione, aut æqualis concurrat elementorũ quantitas, sive portio ac mensura: aut inæqualis. Si æqualis, ita ut qualitates contrariæ æqualibus planè viribus cõcurrant, temperamentum nascitur* εὔκρατον, σύμμετρον, μέτον ἁπλῶς, καὶ πρὸς ὄγκον, *quod est proportionis arithmeticæ. Si inæqualis, id rursus fit bifariam. Aut enim ea est elementorum mistio, quæ naturæ maximè convenit, quæq; actionibus laudabiliter exercendis cũprimis est necessaria. Vocatur hoc temperamenti genus temperatũ suo in genere, sive specie: item temperamentũ proportionis geometricæ, &* εὔκρατον πρὸς δικαιοσύνην, *ad justitiã & æquitatem: quoniam per id cuiq; corpori tribuitur, quod sibi ad functiones benè feliciterq; obeundas*

undas congruit. Aut ab eâ temperie, quàm corpus ejusq; partes naturaliter habere deberent, deflectitur: oritúrq; temperamentum δύσκρατον, *& sunt illius differentiæ octo: quatuor simplices: in quarum qualibet una tantùm qualitas excellit, & immoderata est: reliquæ autem modum servant: ut calida, frigida, humida, & sicca: totidémq; composita; in quibus duæ qualitates modum excedunt: duæ verò intra limites mediocritatis se continent: ut calida & sicca: calida & humida: frigida & sicca: frigida & humida.*

II.

Utrum necesse sit, varias statuere temperamenti differentias? *Omninò. Dictum enim disputatione præcedenti, temperamentum esse* ὄργανον *partium similarium, quo ministrante illæ suum officium peragant. At varia sunt variarum partium officia. Ergò varia etiam sunt* ὄργανα: *& per consequens varia quoque temperamenti genera.*

III.

An dentur temperaturæ simplices, calida, frigida, humida, & sicca? Averroës *negat*: Galenus *affirmat l 1. temperam. cap. 8. ídq; probat ex eo: quoniam utraque ex activis cum utraque ex paßivis consistere potest: & vice versâ, utraque ex paßivis copulari potest cum utraq; ex activis. Sequitur ergò, nil impedire, quin utraq; activarũ, caliditas scil. & frigiditas, copulari queat cum paßivis temperatis, nimirùm siccitate & humiditate. Aut contrà, utraq; paßivarum conso-*

ciari poßit cum activis moderatis, v. g. caliditate & frigiditate.

IV.

An reperiatur temperamentum calidum & humidum? *Veterum quidam hoc negabant: ut patet ex* l. 1. temperam. c. 2. *quòd calor excedens humiditatem absorbeat. Sed humiditatem cum calore aliquandiu persistere posse, multa docent, quæ calida sunt & humida.*

V.

An concedendum temperamentum frigidum & siccum? *Et hoc nonnulli ex priscis reÿciebant: teste eodem* Galeno loc. cit. *quòd abundante frigore, nihil sit, quod humorem exiccet. Verùm frigiditatem cum siccitate stare posse, plurima corpora ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus testatum faciunt.*

VI.

An admittendum temperamentum ad pondus? *Galenus* l. 1. tuend. san. c. 5. *scribit, istud temperamentum, in quo æquales primarũ quatuor qualitatum vires occurrunt, imaginatione potiùs concipi quàm reverà existere: &, si alicui animali contingeret, ne momento quidem durare posse: eò quòd corpus sit in aßiduo fluore, & quotidiè siccius evadat. Traditur autẽ, ut habeatur norma aliqua mensura excessuum ac defectuum in reliquis temperamentis, quæ ab hac æqualitate deflectunt. Per id enim, tanquam per mensuram alia temperamenta examinamus & intelligimus.* Unde Galenus *il-*

lud

lud ſtatuæ Polycleti comparavit, quam artifices vocant regulam, ſive Canonem, ad quem, velut ad normam, collineare ſolent.

VII.

An εὐκρασία illa ſumma & perfectiſſima, de quâ Gal. 1. tuend. ſan. c. 5. eadem ſit cum temperamento ad pondus? *Negatur. Sed pertinet ad temperamentum* πρὸς δικαιοσύνην. *Eſt enim optimarum laudatiſsimarúmq; actionum cauſa. At ejus modi actiones ab eo temperamento proficiſcuntur, quod cuilibet parti ſecundum naturam debetur.*

VIII.

An in propoſitis temperamentorum differentijs aliqua ſit latitudo? *Magna ſanè, quemadmodum & in ſanitate. Nam quæ calida ſunt, frigida, humida, & ſicca, non in eodem caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis gradu conſiſtunt, ſed alia plus, alia minus harum qualitatum habent. In compoſitis verò temperamentis, vel ambæ qualitates ſunt intenſæ; vel ambæ remiſſæ: vel alterâ intenſior & excellentior eſt alterâ.*

IX.

Recténe duplex in homine ſtatuatur temperamentum; unum, quatenus corpus habet miſtum ſimpliciter: alterũ, quatenus vivens corpus obtinet? *Affirmatur. Prius ſortitur ex elementorum miſtione: & relinquitur illud etiam aliquandiu poſt mortem in hominis cadavere: donec vel per putredinem, vel per combuſtionem diſſolvatur. Poſterius partim viventibus partibus inſitum*

est, & per calidum innatum à primo ortu inhæret: partim verò à principibus partibus, præcipuè verò à corde, influit, totiq; corpori communicatur. Atque hoc temperamentum in cadavere non manet.

X.

Utrum temperamentum rectè sanguineum, cholericum, melancholicum, & phlegmaticum statuatur? *Negat* Fernelius *l. 3.* φυσιολ. *c.* 11. *quia hæc non sunt temperamentorum, sed humorum dominantium nomina. At nos hanc divisionem non planè damnandam censemus, si dicatur, petitam illam esse ab effectu, nimirùm ab eo humore, cujus temperamentum causa est. Quemadmodum enim rectè causam aliam appellamus salubrem, aliam insalubrem, aliam neutram: quòd salubritatem, insalubritatem & neutralitatem efficiat, vel conservet: sic non malè temperamentum cholericum, melancholicum, phlegmaticum, & sanguineum dicitur, quoniam choleræ, melancholiæ, phlegmatis & sanguinis causa est.*

X I.

Num originale temperamentum mutari possit? *Eradicari nequit: quia ex primordiis generationis nobis est implantatum. Alterari autem secundum quid potest per victum, medicamenta, ætatem, morbos &c.*

X I I.

Sintné pueri humidissimi? *Affirmatur. I. quia principiis generationis, quæ humida, vicini sunt. II. quia molles: & adeò quidem, ut & ossa*

eorum,

eorum, quæ tamen omnium membrorum ficcißima sunt, & durißima, ceræ caseive recentis in modum flecti formariq; à nutricibus poßint. III. quia augentur. Atqui ad auctionem aptißima est corporis humiditas & mollities, quoniam sequax.

XIII.

Habeantné plurimùm nativi caloris? *Asseritur. I. quia principijs suis, quæ calida sunt, propinqui. II. quia calidi tactu sentiuntur. III. quia feliciter nutriuntur & crescunt: IV. quia sanguine abundant.*

XIV.

Utri calidiores, pueri an juvenes? *Extensivè & quantitativè pueri: intensivè & qualitativè juvenes. Est quidem puerorum calor major: sed blandus, mitis, suavis & halituosus: ídq; ob adjunctam partium humiditatem. Est verò juvenum calor acrior & mordacior: & id ob corporis siccitatem, quæ caloris lima?*

XV.

An senes sint frigidi? *Affirmatur:* id quod Galen l. 2 temperam. c. 2. *sequentib. probat argumẽtis. I. quia tangentibus frigidi apparent. II. quia facilè in frigidum statum mutantur. III. quia & nigri, & lividi fiunt. IV. quia frigidis morbis facilè corripiuntur: v. g. apoplexiâ, paralysi, stupore, tremore, spasmo, destillatione, raucedine. V. quia paupertate sanguinis laborant. VI. quia coloris rubor in ijs perijt. VII. quia & concoctio, & digestio, & sanguificatio, & appositio, & nutritio, & appeti-*

tus.

tus, & sensus, & motus est oblæsus, vitioséq; affectus. VIII. *quia senium est quasi via quædam ad mortem At mors est caloris extinctio. Ergò senium veluti tabes quædam ejus fuerit.*

XVI.

An senes sint sicci? *Affirmatur: non obstante, quod excrementis abundent. Nam oculi eorum lachrymis suffunduntur: nares destillatione manant: in ore salivæ copia exuberat: vexantur tußi: excreant pituitam, quæ in pulmonibus collecta: venter pituitæ plenus est: articuli mucosi sunt. Verùm hæc omnia siccos esse senes testantur, ait* Galenus l. 2. temperam. c. 2. *Ideò namq; particula quævis siccior, quàm antè evadit, quòd per caloris imbecillitatem similiter non nutriatur. Foris siquidem illi copia humidi excrementi superfluitat: corpus autē cujúsq; intrinsecus siccum est; ut quod nec trahere intrò nutrimentum valeat, nec eo sufficienter frui. Est ergò humidus senex non proprÿs suis particulis, sed excrementis. Rursùm, siccus, non excrementis, sed particulis ipsis: ita nimirùm alio genere siccus, alio humidus. At de excrementis ejus non est disceptatio, sed de proprÿs partibus. His igitur siccus est senex, quibus puer erat humidus, ipsis nimirùm solidis particulis, oßibus, membranis, ligamentis, arterÿs, venis, nervis, tunicis, & carnibus.* Unde Aristoteles *Senium non immeritò marcenti stirpi assimilat. Etenim, stirpes, novellæ dùm sunt, molles humidæq; deprehenduntur: senescentes, aßiduè magis siccescere videntur: tandem aridæ prorsùs redduntur:*

duntur: ídq; ipſis mors eſt. Galen. 2. temperam. cap. 2.

XVII.

Sitné ſexus maſculinus calidior fœminino? *Affirmatur. I. quia mares ex calidiori potentioríq; ſemine generantur. II. quia citiùs in utero formantur. III. quia celeriùs in eodem moventur. IV. quia citiùs in lucem emittuntur. V. quia fœminis ſunt animoſiores. VI. quia corpus marium eſt poroſius & rarius. VII. quia vaſa eorum ſunt ampliora. VIII quia corpus marium eſt piloſius, durius, ſolidius, ſiccius. IX. quia vox mari gravior & major, quàm fœminæ. At* μεγαλόφωνοι *multū habet calidi, teſte* Hipp. 6. epid. ſ. 4. *X. quia mas ſit* ἀμφιδέξιος; *fœmina ſecundū* Hipp. 43. ſ. 7. *nequaquā. XI. quia mas frigoris magis eſt patiens, quàm fœmina XII. quia mari pulſus & reſpiratio major, ut vehementior ejus calor magis ventiletur XIII. quia mas crudelior & ferocior fœminâ XIV. quia ſic docet tota ſaniorum Philoſophorum & Medicorum ſchola.*

XVIII.

Utrum quatuor anni temporibus rectè temperamenta aſſignentur? *Negatur. Sed* ἔυκρατα καὶ δύσκρατα *dicuntur propter aërem: qui in qualitatibus primis diverſimodè ſe habet in diverſis anni temporibus.*

XIX.

An Ver ſit calidum & humidum? *Negat* Gal. l. 1. temperam. c. 4. *ſed* ἔυκρατον *id eſſe ſtatuit. I. quia tale ſenſu deprehenditur, præſertim in ejus medio. Non enim immodicum in illo frigus percipitur,*

pitur, ut in hyeme: nec immodicus calor, ut in æstate. Rursus, neq; tot pluvias in eo observamus, ut in hyeme: neq; tantum squalorem & siccitatem, ut in æstate. II. *quia* Hipp. *ver dicit esse* ὑγιεινότατον καὶ ἥκιστα θανατῶδες. *At tale non esset, si calidum humidúmq; esset. Calida namq; humidáq; aëris tēperatura pessima est, & tùm pesti, tùm fluxionibus, tùm putridis affectibus ansam præbet. Vide* Galen. loco citato.

XX.

Num Autumnus frigidus & siccus: an inæqualis? *Siccus dici potest: quia in eo siccitas humiditatem vincit. In activis autem inæqualis videtur.* In *eo enim modò nos frigus, modò calor afficit. Calidior quippe est horis pomeridianis, quàm matutinis & vespertinis. Absoluto ergò sermone frigidus dici nequit, si ipse per se spectetur: quoniam frigiditas caliditatem minimè superat.*

XXI.

An Autumnus acutissimorum & perniciosissimorum morborum ferax? *Sic visum* Hippocrati aphor. 9. s. 3. I. *quia inæqualis: cujus nomine multorum pravorum humorum genitor.* II. *quia per æstatem prægressam mali humores collecti.* III. *quia per illam natura insigniter debilitata.* IV. *quia vitiosi humores ob fructuum copiam denuò coacervantur.* V. *quia hi ob ambientis frigiditatem, quæ manè ac vesperi viget, profundum corporis iterùm petere solent.*

XXII. An

XXII.

An Hyems frigida & humida? *Ita plerisque placet. Superat enim in illâ frigiditas caliditatem, & humiditas siccitatem.*

XXIII.

An Æstas calida & sicca? *Annuimus si secundum naturam se habeat: quod etiam de aliis anni temporibus intelligi volumus. Superatur enim in eâ humiditas à siccitate, & frigiditas à caliditate.*

XXIV.

An Cutis illud sit μέσον καὶ εὔκρατον, cujus respectu partes dicantur calidæ, frigidæ, humidæ & siccæ? *Sic videtur* Galeno: *& quidem ea, quæ est in volâ manûs hominis benè se habentis, quæ nullâ ex causâ contraxit callum. Est enim similis nervo sanguine prædito: ac proinde in siccitate, humiditate, caliditate ac frigiditate medium tenet.*

XXV.

Quæ ergò partes dicantur calidæ? *Quas tactus sentit cute calidiores: ut sunt cor, hepar, lien, renes, pulmones, musculi, testes &c. Differunt tamen inter se ratione majoris ac minoris.*

XXVI.

Quæ statuantur frigidæ? *Quas tactus percipit cute frigidiores: ut sunt, cerebrum, spinæ medulla, os, cartilago, vena, nervus, arteria, ligamentum, tendo, membrana. Quæ tamen & ipsæ καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον frigiditatis causâ, inter se discrepant.*

XXVII. Re-

XXVII.

Recténe pili, ungues, adeps & ossium medulla inter frigidas nostri corporis partes à quibusdam recenseantur? *Minimè. Veræ enim & propriè dictæ partes non sunt. Adeps prætereà & medulla oßium frigidæ naturæ non sunt: sed calidæ, quia aëreæ & oleosæ substantiæ.*

XXVIII.

Quæ partes sint humidæ? *Quas tactus percipit molles esse: ut sunt, cerebrum, pulmo, lien glandulæ, musculi. Ex quibus aliæ alijs humidiores censentur.*

XXIX.

Quæ siccæ? *Quas idem tactus duras sentit: ut sunt os, cartilago, tendo, ligamentum, membrana, vena, arteria &c. quæ & ipsæ majoris & minoris ratione inter se differunt.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
VII.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:


Respondente

JOHANNE REINHARDO Widt/
Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,

Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.



Alido existente *Cerebro*, sequentia se offerunt indicia. *Signa simplicium temperaturarum Cerebri.*

II.

I. sumitur à colore eorum, quæ circa capitis & faciei superficiem externam conspiciuntur. Ἐρυθρότερα, inquit, τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν σύμπαντα, ea, quæ circa caput sunt, rubicunda magis sunt, quàm in cerebro temperato. *Cap.* 14.

III.

II. à tactu. Θερμότερα τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν σύμπαντα, calidiora sentiuntur omnia, quæ circa caput existunt. *Cap.* 14.

IV.

III. à venis oculorum. Αἱ γὰρ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φλέβες αἰσθηταὶ, venæ oculorum sensui magis patent. *Cap.* 14.

V.

IV. à capillorum ortu, substantiâ, colore, & defluvio. Capilli in ejusmodi tẽperaturâ maturè nascuntur. Mox enim, ut in lucem editi sunt homines, apparent. Et, cùm cerebrum plurimùm

mùm in caliditate à mediocri temperaturâ recesserit, nigri, robusti, & crispi fiunt. Cùm verò non multùm, ab initio quidem ὑπόξανθοι, subflavi sunt: deinde nigricant: progressu denique ætatis defluunt, calvitiúmque suboritur. Id quod ijs maximè accidit, qui plus modico calidum habent cerebrum. *Cap.* 14.

VI.

V. à quantitate & qualitate excrementorum. Hæc enim, quæ per palatum, nares, oculos, & aures egeruntur, βραχέα sunt, pauca, καὶ πέπονα, & concocta: ídque cùm benè valent homines. Cùm verò caput ijs repletur (id quod ijs evenit συνεχῶς καὶ μάλιστα, facilimè, præsertim cùm ἀφυλάκτως διαιτῶνται, nullam servant victûs rationem) plura quidē in ipsis generantur excremēta, ἀλλ' οὐκ ἄπεπτα, sed non incocta. *Cap.* 14.

VII.

VI. à rebus extrinsecus occursantibus. Quibus calidior est cerebri constitutio, ijs caput impletur & aggravatur à calidis tùm cibis, tùm potibus, tùm odoribus, ab omnibus deniq; rebus externis, quæ calefacere possunt caput: in quorum numero est, & qui nobis circumfunditur aër: ídque eò magis, si non tantùm τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα fuerint calida, verùm etiam humida. *Cap.* 14.

VIII.

VII. à somno. Brevibus somnis calida cerebri κρᾶσις contenta est: nec admodùm profundos habet, *Cap.* 14.

IX. *Fri-*

I X.

Frigidioris, quàm oporteat, *cerebri* indicia sunt ista.

X.

I. sumitur à quantitate excrementorum. Πλείω περιττώματα κατὰ τὰς οἰκείας ἐκροάς, plura in proprijs meatibus excrementa reperiuntur. *Cap.* 15.

X I.

II. à capillorum figurâ, colore, ortu & substantiâ. Capilli, ait, sunt recti, & ruffi (πυῤῥοὶ) & stabiles, (μόνιμοι) & qui longo post nativitatem tempore nascuntur, λεπτοὶ καὶ ἄτροφοι τὸ πρῶτον, tenues, atque ab initio malè nutriti. *Cap.* 15.

X I I.

III. à causis extrinsecus occurrentibus. A causis frigidis hæc temperatura facilè offenditur: hócq; ipso offensionis tempore destillationibus & gravedinibus capiuntur homines. *Cap.* 15.

X I I I.

IV. à qualitate tactili. Si tetigeris partes ad caput attinentes, non admodùm calidæ sentiuntur. *Cap.* 15.

X I V.

V. à qualitate visibili. Partes capitis exteriores si inspexeris, minimè apparent rubicundæ. *Cap.* 15.

X V.

VI. à venis oculorum. Venæ oculorum sunt ἀόρατοι, visum effugiunt. *Cap.* 15.

XVI.

VII. à ſomno. Homines cerebro præditi frigido, ὑπνοδέστεροι πῶς εἰσὶ, quodammodò ſunt ſomnolentiores. *Cap.*15.

XVII.

Siccioris cerebri indicia ſunt I. τὸ ἀπέριττον ἐν ταῖς ἐκροαῖς, paucitas excrementorum effluentium. *Cap.*16.

XVIII.

II. τὸ τῶν αἰσθήσεων ἀκριβὲς, ſenſuum perſpicacitas. *Cap.* 16.

XIX.

III. Promptitudo ad vigilias. *Cap.*16.

XX.

IV. Capillorum robur, & velox eorum generatio. *Cap.* 16.

XXI.

V. Capilli ſunt οὖλοι μᾶλλον καὶ εὐθεῖς, criſpi potiùs, quàm recti. *Cap.* 16.

XXII.

VI. Calvitium experiuntur maturè homines ſicco cerebro præditi. *Cap.* 16.

XXIII.

Humidi cerebri ſigna ſunt, I. capilli ἁπλοῖ, plani. *Cap.*17.

XXIV.

II. οὐδὶ ὅλως φαλακροῦνται, calvitium nequaquam patiuntur. *Cap.*17.

XXV.

III. αἰσθήσεις ἀχλυώδεις, ſenſus turbidi. *Cap.*17.

IV. Πε-

XXVI.

IV. περιττωμάτων πλῆθος, excrementorum multitudo. *Cap.* 17.

XXVII.

V. ὕπνοι πολλοὶ καὶ βαθεῖς, somni multi & profundi. *Cap.* 17.

XXVIII.

Calidi & sicci Cerebri γνωρίσματα sunt: I. homines sunt ἀπέριττοι, superfluitatibus carent. *Cap.* 18. *Signa cōpositarū temperaturarum cerebri.*

XXIX.

II. Sunt ἀκριβεῖς ταῖς αἰσθήσεσι, sensibus vigent. *Cap.* 18.

XXX.

III. Sunt ἀγρυπνητικώτατοι, plurimùm vigilant. *Cap.* 18.

XXXI.

IV. φαλακροῦνται ταχέως, citò calui fiunt. *Cap.* 18.

XXXII.

V. ἡ πρώτη γένεσις τῶν τριχῶν ταχίστη τέ ἐστι καὶ εὐτραφεστάτη, prima capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento. Capillos verò habent nigros & crispos, μελανότριχές τε καὶ οὐλότριχες εἰσι, inquit *Galenus*. *Cap.* 18.

XXXIII.

VI. θερμοὶ ψαυόντων τῆς κεφαλῆς, tangentibus caput eorum calidum sentitur. *Cap.* 18.

XXXIV.

VII. ἐρυθροί τε μέχρι τῶν τῆς ἀκμῆς χρόνων, rubicun-

bicundi sunt usque ad ætatem consistentiæ. *Cap.* 18.

XXXV.

Calidi & humidi Cerebri sequuntur. Excedunt autẽ ambæ qualitates τὸ σύμμετρον, mediocritatem, vel βραχὺ parùm: vel ἐπὶ πλεῖστον, plurimùm. *Cap.* 19.

XXXVI.

Si parùm mediocritatem superent, I. adest εὐχροια, coloris bonitas. *Cap.* 19.

XXXVII.

II. θερμότης, calor circa capitis partes sentitur. *Cap.* 19.

XXXVIII.

III. αἱ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φλέβες μεγάλαι εἰσὶν, oculorum venæ magnæ sunt. *Cap.* 19.

XXXIX.

IV. περιττώματα πλείω, μετρίως πέπονα, plura sunt excrementa & mediocriter cocta. *Cap.* 19.

XL.

V. αἱ τρίχες εὐθεῖαι καὶ ὑπόξανθοι, capilli recti, & subflavi existunt. *Cap.* 19.

XLI.

VI. ὀ φαλακροῦνται ῥαδίως, non facilè calvi fiunt. *Cap* 19.

XLII.

VII. πληροῦνται καὶ βαρύνονται τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τῶν θερμαινόντων, implentur atque aggravantur eorum capita à calidis. Quodsi etiam humectentur, tunc multò magis aggravantur & im-

plen-

implentur: præſertim ſi etiam excrementorum adſit multitudo. *Cap.* 19.

XLIII.

Si caliditas & humiditas cerebri creverit ἐπὶ πλεῖσον, ſequentia ſe offerunt σημεῖα.

XLIV.

I. νοσώδης τούτοις ἡ κεφαλὴ, his caput morbis eſt obnoxium. *Cap.* 19.

XLV.

II. περιττωματικὴ, excrementis caput abundat. *Cap.* 19.

XLVI.

III. ῥαδίως ὑπὸ τῶν ὑγραινόντων τε καὶ θερμαινόντων βλαπτομένη, facilè à calefacientibus & humectantibus offenditur. *Cap.* 19.

XLVII.

IV. νότος αὐτῇ πολέμιος ἀεὶ, Auſter illi ſemper inimicus eſt & adverſatur: ἄρισα δ᾽ ἐν τοῖς βορίοις διάγουσι, optimè verò ſe in Aquilone habent. *Cap.* 19.

XLVIII.

V. οὐ δύνανται ἐγρηγορέναι μέχρι πλείονος, diu vigilare nequeunt: cùmque ad ſomnum ſe converterint, ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ καὶ ἄγρυπνοι, gravi ſimul ſomno tentantur, & vigilant, ſomniáq; habent imaginationibus plena: φανταστιώδεις τοῖς ὀνείρασι) *Cap.* 19.

XLIX.

VI. αἱ ὄψεις ἀχλυώδεις, viſus eſt turbulentus, καὶ αἱ αἰσθήσεις οὐκ ἀκριβεῖς, ſenſus perſpicaces non ſunt. *Cap.* 19.

L.

Quodsi cerebrum πολλῷ μὲν τῦ συμμέτρυ θερμότερον: ὀλίγῳ δ' ὑγρότερον, hoc est, plurimùm quidem in caliditate à mediocritate recesserit: paululùm verò extiterit humidius: tùm calidæ temperaturæ indicia prævalebunt: levia autem erunt humidæ. *Cap.* 19.

L I.

Contrà, si cerebrum longè fuerit humidius: paululùm autem calidius, indicia humiditatis erunt ἐναργῆ καὶ σφοδρὰ, manifesta & illustria: caliditatis autem ἀμυδρὰ, debilia atque obscura. *Cap.* 19.

L I I.

Atque hæc ratio in alijs quoque omnibus est temperaturis compositis. Quandocunq; enim una qualitas alteram multùm superat, semper exuperantis signa sunt evidentiora magísq; illustria: obscuriora contrà illius, quæ est remissior. *Cap.* 19.

L I I I.

Sequuntur signa *frigidi & sicci Cerebri*. I. caput est ψυχρὸν, frigidum sentitur tangenti. *Cap.* 20.

L I V.

II. Caput est ἄχρυν, minimè coloratum. Hæ enim duæ cerebri qualitates ὅσον ἐφ' ἑαυταῖς, sui ratione, & quantum ex se est, frigidum miniméque coloratum reddunt caput. Quam limitationem Gal. propterea addit, quia caput sub hac κράσει calidum & benè coloratum esse

potest,

poteſt, non quidem ratione cerebri, ſed ratione prædominantium humorum aliunde ad caput translatorum. Propterea in memoriam revocat canonem c. 13. traditum: quòd nimirùm animadvertere debeamus diligenter, num redundantes in corpore humores cerebro correſpondeant, vel potiùs eidem repugnent, alitérque capitis partes exteriores afficiant, quàm aliàs cerebrum ratione ſuæ temperaturæ faceret? Fieri enim poteſt, ut cor & hepar ſint præcalida: cerebrum autem frigidius: & ſic per communicationem ſanguinis calidi caput neq; frigidum, neque decolor exiſtat: ſed ob aliunde acceptum humorem calidius coloratiúſque appareat.

LV.

III. Ejuſmodi κράσεις ſunt ἄφλεβοι τὰ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς, oculos habẽt venis carentes, hoc eſt, venas habẽt adeò exiguas, ut ſenſum ferè effugiant. *Cap.* 20.

LVI.

IV. Πρὸς τῶν ψυχρῶν αἰτίων ἑτοίμως βλάπτονται, à cauſis frigidis facilè læduntur. *Cap.* 20.

LVII.

V. Ἀνομάλως ὑγιαίνουσι, inæquali fruuntur ſanitate. Ratio eſt: quia aliquando leviſſima habent capita, & moderatos excrementorum effluxus: nonnunquam verò & gravedinibus, & deſtillationibus minimâ ex causâ corripiuntur. *Cap.* 20.

LVIII.

VI. Senſus in juventute ſunt ἀκριβεῖς, h. e. vigent.

vigent, & ἄμεμπτοι τὰ πάντα, omni carent vitio: at ætate progrediente, ἀπομαραίνονται ταχέως, citò marceſcunt, hebetioreſq; evadunt. *Cap.* 21.

LIX.

VII. Ut συλλήβδην, ſummatim dicamus, ταχύγηροι τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἅπαντες εἰσὶ, omnes celerem circa caput ſenectutẽ experiuntur. *Cap.* 21.

L X.

Quare VIII. πολιοῦνται ταχέως, citò cani fiunt. *Cap.* 21.

L X I.

IX. Capilli ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur, & πυῤῥοὶ, ruffi ſunt. In progreſſu autem ætatis, ſuperante magis frigiditate caliditatem, quàm ſiccitate humiditatem, multùm non calveſcunt. Contrà verò, ſi contigerit, ſiccitatem quidem plurimùm dominari humiditati: frigiditatem verò caliditati, parùm calvi ſunt iſti. *Cap.* 21.

LXII.

Superſunt indicia *frigidi humidiq́ʒ cerebri.* I. homines ſunt κωματώδεις, καὶ ὑπνηλοὶ, ad ſomnũ proclives, & multùm ac profundè dormientes. *Cap.* 22.

LXIII.

II. φαῦλοι ταῖς αἰσθήσεσι, ſenſus habent obtuſos. *Cap.* 22.

LXIV.

III. περιττωματικοὶ, capitis excrementis abundant. *Cap.* 22.

IV. εὐ-

LXV.

IV. εὔψυκτοι τὴν κεφαλὴν, facilè à frigore caput illorum læditur. *Cap 22.*

LXVI.

V. εὐπλήρωτοι τὴν κεφαλὴν, facilè caput eorum repletur. *Cap.22.*

LXVII.

VI. εὐάλωτοι κατάῤῥοις καὶ κορύζαις, destillationibus & catarrhis facilè corripiũtur. *Cap.22.*

LXVIII.

VII. ἐ φαλακροῦνται ῥαδίως, calvi facilè non fiunt. *Cap.22.*

Corollaria.

I.

QUi sint fontes, ex quibus signa temperaturam corporis patefacientia hauriuntur? *Sex præcipuè. I. est eorum, quæ* κατὰ τὸν τῆς ὀσίας λόγον *inhærent. II. Actionum animalium, vitalium, & naturalium. III. Excrementorum, tùm universalium totius corporis, tùm particularium. IV. Accidentium, quæ in habitu corporis observantur. V. Morum & pathematum animi. VI. Juvantium & lædentium causarum.*

II.

Utrum actiones corporis temperati sint perfectissimæ omniúmque optimæ? *Affirmatur: quia corpus istud censetur optimè constitutum. Quò autem corpus meliùs constitutum est, eò meliores quoque perfectioresque actiones eduntur.*

An

III.

An corpus temperatum maximè resistat causis morbificis? *Sic videtur Galeno: ut liquet ex* c. 8. μικροτέχν. & l. de opt. const. c. 2. I. *quia ab omnibus excessibus æqualiter distat.* II. *quia ob* εὐκρασίαν *minus apparatûs morbifici, vitiosorúmque humorum gignit.* III. *quia quod genitum est, ob naturæ robur, facilè expellit.*

IV.

An non intemperata corpora minùs offendantur à causis contrarijs, quàm temperata? *Conceditur. Sed non evertitur quod dictum. Faciliùs enim corpora calida causas refrigerantes, frigida calefacientes, sicca humectantes, humida siccantes ferunt quàm temperata: quoniam hæ causæ ratione dictorum corporum insalubres non sunt: sed juvantes. Ratio est: quia intemperiem eorum corrigunt, & ad mediocritatem quandam reducūt.*

V.

Ergóne falsum, temperatum corpus magis resistere causis occurentibus, quàm quodvis aliud intemperatum? *Falsum dicimus, resistere magis omnibus in universum causis. Verum asserimus, resistere magis ijs, quæ sunt morbosæ. Occurrente enim aliquâ morbificâ causa, quæ talis est corporibus omnibus,* εὐκράτοις *pariter &* δυσκράτοις, *temperata sanè magis resistent, minúsque afficientur, quàm* δύσκρατα. *Ratio: quia* εὔκρατα *ab excessibus omnibus æqualiter distant, minúsque morbifici appa-*

apparatus gignunt, ac propterea ex sua natura minùs in morbos delabuntur.

VI.

An ex pilorum colore, substantia, & figurâ aliquid de hominis temperamento statui possit? *Ita cum* Galeno *credimus. Nascuntur enim ex humoribus: humores verò à temperamento ortum trahunt. Hinc nigri, duri, crassi & crispi pili temperamentum arguunt siccum. His contrarij frigidum & humidum.*

VII.

Sitné angustia & amplitudo venarum temperamenti index? *Omninò: præcipuè tamen hepatis, tanquam venarum* ῥιζώσεως. *Deinceps verò & corporis reliqui, quod tali sanguine, qualis ab hepate genitus alitur. Frigidum ergò à frigido, calidum à calido sanguine redditur.*

VIII.

An habitus corporis nota sit temperamenti? *Affirmatur. Nam habitus naturâ gracilis, rarus, & hirsutus arguit temperamentum calidum & siccum: carnosus & mollis, calidum & humidũ: pinguis, albus, mollis & glaber frigidum & humidũ: gracilis, durus, depilis, & niger, frigidum & siccum.*

IX.

An qui naturâ humidi sunt, minùs prosperâ valetudine fruantur, quàm qui naturâ ficciores? *Ajentem tuetur* Hipp. aphor. 2. s. 6. *Intelligit autem per humidos non eos, qui humido radicali abundant, sed qui excrementitio. Illi enim sa-*

niore

niores sunt: hi morbosiores: sive cerebro tantùm, sive corpore universo sint humidi, inquit Galenus in commentar. *Continuò quippe parvâ ex occasione destillationibus corripiuntur: & si superfluitas defluat ad inferiora, subjectæ partes offenduntur: fauces scil. guttur, pulmo, gula ventriculus &c. Itaq; necesse est fieri tusses, dyspnœas, anginas, cruditates & ventris profluvia, aliquando & dysenterias, cùm quod destillat, est salsius. Crebrò etiam, addimus nos, capitis affliguntur doloribus, & si materia in capite retineatur, apoplexiæ, vertigines, lethargi &c. superveniunt. Obnoxij quoq; sunt tales febribus putridis, aliisque morbis, ex putredine nasci solitis.*

X.

Quæ complexio omnium vivacissima? *Sanguinea: minùs cholerica: adhùc minùs phlegmatica: minimè omnium melancholica: quia minus caloris & humoris habet, in quibus vita posita.*

XI.

An mores sequantur temperaturam corporis? *Affirmatur. Sunt enim Sanguinei hilares, in risum proni, mites, benigni, aliorum amantes. Cholerici, iracundi, audaces, animosi, crudeles, vindictæ cupidi. Phlegmatici, lenti & ad iram tardi. Melancholici, tristes, timidi, invidi,* μισάνθρωποι.

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
VIII.


In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente
LUDOVICO EISENHEIM,
Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



Thesis I.

Signa tẽperaturarum oculorum.

SIgna ſimplicium & compoſitarum Cerebri temperaturarum tradidimus: eáque ex duobus fontibus hauſimus: nimirùm ἐκ τῶν συμφύτων, ex ijs, quæ ſunt connata: καὶ ἐκ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων, & ex illis, quæ foris nobis occurrunt, nóſque alterant.

II.

Ex ijſdem planè fontibus poſſunt etiam hauriri ſigna ſenſoriorum. Sed ſufficiet exercitium inſtituiſſe in dignotione temperaturarum oculorum. *Cap.*23.

III

Calidorum igitur *oculorum* ſigna ſunt ſeqq. I. tangentibus manifeſtè ſentiuntur calidi. II. facilè ac crebrò moventur. III. venas habent εὐρείας, latas & amplas. *Cap.*23.

IV.

Frigidorum oculorum ſigna dictis ſunt contraria. I. tangentibus occurrunt frigidi. II. rariùs & tardiùs moventur. III. venas habent exiles, adeò ut vix ſentiantur. *Cap.*23.

V.

Humidi ſunt molles καὶ πλήρεις ὑγρότητος, humiditate pleni. *Cap* 23.

V I.

Sicci αὐχμηροὶ καὶ σκληροὶ, aridi ſunt & duri. *Cap.* 23.

V I I.

Commune autem ſignum, ex quo ſingulæ, non ſolùm oculorum, ſed etiam quarumvis aliarum partium temperaturæ cognoſcũtur, eſt, βλάπτεσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ὁμοίων αἰτίων τῇ κράσει ῥᾳδίως, facilè à ſimilibus ſuæ temperaturæ cauſis offendi: ὠφελεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων τῇ ἐμμέτρῳ χρήσει, juvari verò à modico contrariorum uſu. *Cap.* 23.

V I I I.

Magnitudo oculorum, cùm εὐρυθμία, concinnitas figuræ, & ἀρετὴ τῶν ἐνεργειῶν, virtus actionum adeſt, copiam benè temperatæ ſubſtantiæ oſtendit, ex quâ ſunt conformati. Quodſi hæc duo deſint, multa quidem ſubſtantia, non tamẽ benè temperata ſignificatur. *Cap.* 24.

I X.

Parvitas oculorum, quæ cum figuræ concinnitate & functionum virtute conjuncta eſt, paucam quidem, ſed benè temperatam materiam indigitat, ex quâ oculi ſunt geniti. Si verò ſociam habuerit ἀῤῥυθμίαν καὶ κακίαν τῶν ἐνεργειῶν, paucam ſimul ac vitioſam materiam demonſtrat. *Cap.* 25.

X. Ocu-

X.

Oculorum colores quod attinet, *glauci*, sive *cæsij oculi* fiunt ob splendorẽ multum in humore puro ac pauco consistentem. *Nigri* contrà ob splendorem paucum in multo impuróque humore hærentem redduntur. *Medij* inter glaucos & nigros causas habent medias: nempè splendorem mediocrem in medioci quantitate & puritate positum. *Cap.* 26.

XI.

Oculus glaucus, ut causas colorum explicemus clariùs, quatuor causas habere videtur. Vel enim glaucus est διὰ μέγεθος τοῦ κρυσταλλοειδοῦς, propter magnitudinem humoris crystallini. Vel διὰ λαμπρότητα τοῦ αὐτοῦ, propter splendorem, sive puritatem ejusdem. Vel διὰ προπετῆ θέσιν, propter prominentem illius situm. Vel διὰ τὴν τοῦ λεπτοῦ καὶ ὑδατώδους ὑγροῦ τοῦ κατὰ τὴν κόρην ὀλιγότητά τε καὶ καθαρότητα, propter paucitatem & puritatem humoris tenuis & aquei, qui positus ante pupillam. *Cap.* 27.

XII.

Hæ causæ si omnes simul concurrant, hoc est, si crystallinus humor sit magnus, si splendidus, si promineat, atque ad oculi superficiem vergat, si denique humor aqueus paucus sit & purus, glaucissimus fit oculus. *Cap.* 27.

XIII.

Quodsi quædam earum adsint, quædam desint, magis minusvé glaucus evadet. Magis qui-

dem, si plures adfuerint glaucedinis causæ: minùs verò, si pauciores. *Cap.* 27.

XIV.

Nigredinis oculorum causæ sunt dictis contrariæ. Fit enim oculus niger, vel propter crystallini humoris parvitatem: vel propter profundum situm: vel quia splendidus non est: vel quia aqueus humor, qui inter crystallinum & tunicam corneam situs, superabundat, aut impurus est. *Cap.* 27.

X V.

Potest autem vel unica tantùm ex his nigredinis esse causa: vel omnes. *Cap.* 27.

XVI.

Et quemadmodum glaucus oculus aliâs magis, aliâs minùs talis est: sic quoque niger oculus ratione majoris ac minoris differentias habet. *Cap.* 27.

XVII.

Porrò ex aquei & crystallini humoris qualitatibus hunc in modum de oculorum temperaturis judicare licet.

XVIII.

Tenuis humor, quò est aquosior & copiosior, eò humidiorem arguit oculum. Quò crassior & parcior, eò ficciorem. *Cap.* 27.

XIX.

Crystallinus verò, siquidem durior existat, ficciorem ostendit oculum: sin mollior, humidiorem. *Cap.* 27.

Quod-

XX.

Quodsi idem copiâ plus modico excesserit humorem aqueum, ficciorem: si autem defecerit, humidiorem significat oculum. *Cap. 27.*

COROLLARIA.

I.

AN qui naturâ valdè pingues & obesi sunt, citiùs moriantur & deteriùs valeant, quàm qui graciles? *Affirmantem defendit* Hipp. aph. 44. ſ. 2. *Ratio est: quia frigidiores sunt: & pauciore tùm sanguine, tùm spiritu præditi: nec non arterijs & venis angustis, texturáq; corporis rariore donati. Unde calor illorum debilis est, & vitalis facultas languida. Sunt præterea ob cutis densitatem putridis opportuni febribus. Fuligines enim retinentur, & corrumpunt humores in venis contentos. Ad quod plurimùm etiam facit venarum angustia, quæ facilè obstruuntur. Hinc humorum putredo: hinc putridæ febres. Laborant insuper dyspnœâ, & facilè suffocantur. Graciles non item: quanquam à causis externis promptè eos offendi dicat* Gal. in comment. *quòd partes principes munimento, carne scil. & pinguedine careant. Loquitur autem* Hipp. *de ijs, qui naturâ pingues sunt: non qui victu delicatiore post nativitatem tales facti. Hi enim non ita periclitantur: quoniam calorem habent vegetiorem, venásq; amplas.*

An

II.

An πολύσαρκοι sint calidi & humidi? *Affirmat* Galen. l. 2. de temperam. c. 4. *Nam* πολυσαρκία, *sive carnis abundantia, ex sanguinis copiâ nascitur. Sanguis autem calidus est, & humidus, & à complexione sanguineâ, quæ calida & humida, proficiscitur. Itaq; qualis causa, talis quoq; est effectus.*

III.

An pingues frigidi sint & humidi? *Ajentem idem* Galenus ibid. *tuetur: siquidem pingues sint naturâ: non vitâ delicatâ, otiosâ & molli. Hinc videmus, fœminas, quæ temperamenti sunt frigidi, pinguiores esse viris. Et bruta, quæ calidiora, minus pinguedinis habere experimur ijs, quæ frigida existunt.*

IV.

An calidi frigidíque corporis solus tactus judex sit: humidi autem & sicci unà cum tactu ratio? *Affirmanti rursus patrocinatur* Galen. 2. de temperam. c. 3. *Nam quod siccum est, durum prorsùs est. At hoc tactu omninò dignoscitur. Non tamen si quid durum est, idem statim & siccum est. Inseparabilis quidem à sicco corpore duritia est: non tamen ejus unius propria. Nam & quod à frigore concretum est, durum cernitur: veluti glacies. Non ergò sicci humidiq; adeunda est discretio, quàm æstimatū sit, quomodo se in calore & frigore habeant. Neq; enim si quid cum summo frigore repræsentatur durum id etiam siccum est: nec, si quid cum vehementi calore molle est, id protinùs humidum*

midum censendum. Verùm, cùm mediocriter est calidũ, tùm æstimare oportet, durumne sit an molle? Nam si molle sit, humidum est: sin durum, siccum.

V.

An omne membrum exangue frigidius sit sanguineo? *Sic videtur* Gal. l. 2. temperam. c. 3. *Hinc videmus, ossa, cartilagines, membranas, venas, nervos, arterias, tendines, ligamenta &c. frigidiora esse carnibus musculorum & viscerum. Illa enim exanguia sunt: hæc sanguinea.*

VI.

Utrum temperamentum ad justitiam tactu magis, quàm ratione dignoscatur? *Negatur. Dignoscitur enim potiùs ratione: quoniam ex actionum bonitate cognoscitur. Cùm enim pars laudabiles edit actiones, temperata, & quidem ad justitiam dicitur: quia eam habet quatuor primarũ qualitatum proportionem, quæ sibi congruit ac necessaria est.*

VII.

Recténe Galenus humores animalium sanguineorum elementa nominet? *Sic eos appellat* l. 2. de elem. c. 1. *non quidem prima & communia elementa (talia namq; sunt Ignis, Aër, Aqua & Terra) sed animalium sanguine præditorum propria. Et id quidem non* ἀλόγως: *quoniam ejusmodi animalia ex humoribus generantur.*

VIII.

An solus sanguis nutriat, an simul cum sanguine etiam alij humores? *Per alios humores*

inaudimus portionem massæ sanguineæ phlegmaticam, cholericam, & melancholicam. Hos humores vim alendi partes habere, ex eo liquet, quia excrementitij non sunt. Ideóq; in secunda concoctione à sanguine minimè separantur: sed unà cum illo per venas ad partes alendas ablegantur. Idq́; proptereà, quia tot tàmq; differentes partes uno eodémq; alimento nutriri nequeunt.

IX.

Sitné hepar *αἱματώσεως* officina? *Affirmatur: I. quia receptacula excrementorum, à quibus sanguis repurgatur, partim hepati annexa sunt: partim illi vicina. II. quia venarum est ῥίζωσις.*

X.

An sanguificatio debeatur parenchymati hepatis, an venis? *πρώτως debetur parenchymati: δευτέρως venis. Est enim parenchyma præcipua hepatis pars: & quidem similaris: cui* Galenus *semper actionem organi principaliter tribuit. Vel, parenchymati tribuitur generatio: venis elaboratio & distributio sanguinis.*

XI.

An solis venis cõcessa sit vis conservandi sanguinem, ne in grumos vertatur? *Sic videtur, aut vicarijs venarum: Sunt enim sanguinis locus naturalis. At locus est conservativus locati.*

XII.

Nutriatne ventriculum chylus, an sanguis? *Sanguis. I. quia eum quoq; in utero nutrit, cùm inibi chylo careat. II. quia datæ sunt ventriculo venæ*

plu-

plures à venâ portæ. At hic venarum finis est, ut instar canalium sanguinem, commune omnium partium alimentum, in omne corpus deducant.

XIII.

Utrum bilis vesiculam felleam alat, an sanguis? *Posterius placet. I. quia vesicula venulas habet, cysticas nominatas. II. quia bilis purum putum excrementum est, & quidem valde amarum. Ideóq; nutrimenti rationem habere nequit.*

XIV.

An pituita nutriat cerebrum? *Negatur: sed sanguis pituitosus. I quia pituita merum excrementum est, quod nobilem alere partem non valet. II. quia cerebro natura venas & arterias largita est, & plurimas, & effatu dignas. quæ alium usum & finem non habent, quàm ut sanguineum alimentum cerebro suppeditent.*

XV.

An sanguis nutriat ossa, an medulla, quæ in ossibus continetur? *Utrumq; oßium videtur alimentum: sed sanguis remotum: medulla propinquum. Est enim medulla ex sanguine genita. Id quod* Aristoteles 2. part. an. c. 6. *ex eo probat quoniam videmus, medullam oßium in recens natis sanguineam esse. Omnes enim partes ex sanguine constant: ipséq; fœtus sanguine nutritur. Defendunt hanc sententiam* Hipp. l. *περὶ τροφῆς, &* Galenus l. 11. us. part. c. 8. & l. 3. nat. fac. c. ult. *& confirmat illam ratio: quoniam medulla primùm quidem sanguinem concretum refert: post sanguinis*

acciden-

accidentia mutat, oßibusq́ quoddammodò redditur similis: quia albam eam, solidam & duriusculam cernimus. Tandem oßibus planè aßimilatur, in eorúmq́ substantiam convertitur.

XVI.

An non veriùs ossium excrementum statui possit? *Nequaquam: quia sapida est, suavis, bona, & salutaris: cùm sit ex laudabili sanguinis portione genita. At nullum excrementum tale existit.*

XVII.

An dentes habeantur in numero ossium? *Omninò: quia proprietates oßium habent. Sunt enim corpora frigidißima, siccißima, durißima, solidißima.*

XVIII.

Num ungues sint ex genere cartilaginum? *Non videtur: quoniam cartilagines sunt partes viventes: ungues ex albo partium expunguntur. I. quia certam figuram non habent: sed quam habent, à partibus, quibus adhærescunt, mutuantur. II. quia præcißi regenerantur, etiam in ætate decrepitâ. III. quia reliquis partibus in φθίσει & marasmo consumptis & extenuatis, crescunt. IV. quia etiam in extinctis augentur, sicut & capilli: id quod vel ex suspensis liquet.*

XIX.

Sitné calor, an frigus pinguedinis causa? *Utraq́ qualitas. Consideratur enim pinguedo dupliciter: 1. formaliter, quatenus est corpus concretum. 2. materialiter, quatenus ex sanguine, tanquam*

quam materiâ remotâ, & ex oleosis halitibus, tanquam materiâ proximâ, generatur. Formaliter considerata à frigore provenit. Liquatur enim à calore. Ergo concrescit à frigore, h. e. à tepido calore membranarum, qui Medicis habetur pro frigore. Densitas enim membranarum halitus illos oleosos ulteriùs ferri non sinit. Ideoq; affluentes condensantur. Considerata verò materialiter, calorem agnoscit: sive remotam materiam, sanguinem, sive proximam, oleosos halitus, respicias. Hæc enim materia calida est: & causam quoq; efficiētem, quæ tùm sanguinem generat, tùm ex eo halitus exuscitat, calidam habet.

XX.

Rectène dixerit Alexander Aphrodisæus, oculos esse animi fenestras? *Rectißimè: ut & is, qui oculos animi speculum appellavit. Sunt enim animi indices: & per oculos, veluti per fenestras ad animum usq; penetratur. Id quod vel inprimis in animi affectibus apparet. Etenim in irâ quasi ardent: in mœrore languent: in pudore subsident: in cogitatione & meditatione intensiore fixi sunt & quiescunt: in amore blandiuntur: in gaudio prosiliunt: in odio efferuntur: adeò ut Syenensis Medicus Cyprius animæ sedem in oculis statuerit.*

XXI.

Sintnè oculi igneæ an aqueæ naturæ? *Platonici dicunt, oculos igneos esse: Peripatetici aqueos: quod videtur vero esse similius, si de prædominio sermo instituatur. Nam & principalis oculi pars,*

pupil-

pupilla, aquea est: & vitreus humor, cui illa insidet, est aquosa: & tenuis humor, qui inter corneam & pupillam situs, aqueæ est naturæ.

XXII.

Utrum crystallinus humor pars sit vivens? *Affirmans placet* Galeno 1. me h. c.6. *Ratio est: quia princeps est visivæ actionis ὄργανον. At actiones animæ solis tribuuntur partibus. II. quia propriam habet circumscriptionem & figuram. III. quia nutritur & augetur.*

XXIII.

An vitreus humor inter partes vivẽtes reponi debeat? *Sic videtur* Gal. 1. meth. c. 6. *Habet enim I. propriam circumscriptionem. II. generatur in utero ex purissimâ seminis portione. III. augetur cum partibus reliquis. IV. tunica tegitur propriâ, ut crystallinus. V. effusus semel nunquam resarcitur. VI. peculiari præditus est figurâ.*

XXIV.

Num humor aqueus pro parte haberi possit? *Non videtur. I. quia propriam circumscriptionem & figuram non habet. II. quia fluitat & sanguinis instar deerrat. III. quia deperditus restitui potest: quod vidisse se asserit* Langius l. 1. epist. 7. *Et Columbus* testatur l. 10. *bis se observâsse, quòd humor iste totus per vulnus oculi effluxerit, & progressu temporis iterum fuerit renatus. IV. quia excremẽtum esse videtur, seroso humori simile.* Unde & *aquei nomen habet.*

An

XXV.

An humor cryſtallinus ſit primarium viſûs organum? *Ita perſuaſum habet* Galenus *multis in locis. Ratio videtur eſſe. I. quia humor iſte ea eſt oculi pars ſimilaris, cui ſimilem in toto corpore reperire non licet. II. quia puriſsimus eſt, pellucidiſſimus, & ita in figurâ, ſitu, aliisq́ accidentibus cõparatus, ut ſpecies viſiles optimè recipere poßit. III. quia reliquæ oculi partes illi famulantur atque inſerviunt.*

XXVI.

Fiatne viſio emittendo, an recipiendo, an utroque modo? *Credimus cum Peripateticis fieri recipiendo. I. quia ſenſio eſt paßio. At hæc fit recipiendo. II. quia reliqui omnes ſenſus recipiendo objecta percipiunt. E. & viſus. III. quia excellens viſile corrumpit viſum: quod non fieret, niſi recipiendo videretur.*

XXVII.

An cerebrum propter oculos: an oculi propter cerebrũ facti? *Cerebrum conditum eſt propter totum: & quidem non ſolùm* τοῦ εἶναι, *ſed etiã* τοῦ εὖ εἶναι *gratiâ. Generat enim ſpiritum animalem, eumq́ per nervos in univerſum corpus ſenſûs & motûs causâ diffundit. Similiter & oculi creati ſunt propter totum, utriusq́ finis ergò. Eſt autem cerebrum* locatum in ſublimi *propter oculos. Decebat enim oculos eſſe in alto, ut tanquã exploratores omnia proſpicerent. Sed oportebat eos eſſe cerebro vicinos; idq́ propter nervos opticos, qui de-*

bebant esse ampli, cavi, molles, ut copiosum spiritum oculis subministrarent. At tales longius extra cerebrum citra periculum disruptionis ferri non poterant.

XXIII.

Verumne illud Hippocr. 6. epid. s. 4. oculi ut valent, ita & totũ corpus? *Verißimum. Docet autem* Hipp. *hoc dicto, quòd oculorum constitutio de totius corporis robore & infirmitate nos faciat certiores. In oculis enim tanquam in speculo lucet tùm facultatis robur, tùm ejusdem imbecillitas. Nã si florido vigeant colore, pleniori consistent mole, humorem habeant purum & splendidum, benè & distinctè res videant, alacriter moveãtur, uno verbo, valeant, reliquum etiam corpus robustius esse attestantur. Contrà si color eorum naturalis mutetur, si cavi fiant, si turbidi, si caliginosi, si lãguidi in motu, ita ut ægrè aperiantur, aut exquisitè minimè claudantur, etiam reliquum corpus virium laborare infirmitate significant. Causa est: quia oculi aliis mẽbris plus animalis spiritus continent. Id quod nervorum opticorum amplitudo & medullosa substantia satis probat. Quare, si oculorum contigerit debilitas per morbum, certum est, & reliqua membra, quibus tanta spirituum copia minimè concessa, languere. Atq; hæc causa est, quòd* Hipp. *in prognosticis, prorrheticis & aphorismis diligentẽ admodùm rationẽ habeat oculorum: &* Gal. com. 4. in 6. epid. t. 28. *dicere minimè vereatur, nil certi de viriũ robore sciri posse, si vel maximè reliquæ corporis partes inspiciantur, nisi etiam oculi diligenter examinentur.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
IX.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,

Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente


JOANNE GEORGIO Leytterspergern Argentoratensi.




ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI,

Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.



Icendum deinceps eſt de temperaturis Cordis. Sed in memoriam priùs revocandum, ad quid comparatio fieri debeat, cùm partem aliquam aut calidiorem, aut frigidiorem, aut ſicciorem, aut humidiorem dicimus factam? *Cap.* 28. *Signa ſimplicium tẽperaturarum Cordis.*

II.

Eſt autem comparatio facienda non ad partem aliam: ſed ad illam ipſam, quæ calidior, frigidior, humidior, ſicciorvé dicitur. *Cap.* 28.

III.

Sic enim utcunque cor naturâ exciterit frigidiſſimum, multò tamen calidius erit cerebro calidiſſimo. *Cap.* 28.

IV.

Ut hoc præceptum rectiùs à Tyronibus intelligatur, ſciendum, quamlibet partem, ſive calida ſit, ſive frigida, ſive ſicca, ſive humida, ſuo in genere temperatam eſſe, ſi temperamentum nacta ſit ad actiones feliciter obeundas aptum atque accommodatum. Sic cor cum a-

lijs partibus collatum, calidum eſt: temperatum verò, & quidem ad juſtitiam, ſi ſuo munere atque officio probè fungatur: & ſic de cæteris. Quandocunque ergò partes haſce calidiores, frigidiores, ſicciores, aut humidiores dicimus, non ad alias partes eas referre debemus, ſed ad temperamentum ſibi ipſi debitum ac conveniens. Debitum autem eſt, quod ad actiones benè laudabilitérque exercendas neceſſarium eſt. Itaque calidius cor id dicitur, quod majorem caliditatem habet, quàm tẽperata humani cordis natura poſtulet: non quod alijs partibus eſt calidius. Sic enim comparatio falſa eſſet. Utcunque enim cor frigidum extiterit, nunquam tamen frigidius cerebro, quantumvis calido, ſtatui poteſt. Imò nullâ parte in univerſum, utcunq; calidâ, frigidius cenſeri poteſt: eò quòd majorẽ ſemper cæteris partibus calorẽ habeat, cùm ipſum ſit fons caloris. Eodem modo cerebrum, licet calidiſſimum pronuncietur, corde tamen, quantumvis frigido, nunquam eſt calidius. Quapropter, comparatio non ad partes alias, ſed ad mediocritatem temperaturæ cuiq; parti competentem facienda.

V.

Calidioris igitur *cordis* ſigna ſunt ſequentia. I. eſt μέγεθος τῆς ἀναπνοῆς, magnitudo reſpirationis. *Cap.* 29.

VI.

II. Σφυγμοῦ τάχος, pulſus velocitas & frequentia. *Cap.* 29.

III. Ἐυ-

VII.

III. Ἐυτολμία, audacia. *Cap.29.*

VIII.

IV. Τὸ πρὸς τὰς πράξεις ἄοκνον, natura ad actiones prompta. *Cap.29.*

IX.

V. Ὀξυθυμία μανιώδης, καὶ θρασύτης, furibunda quædam iracundia & temeritas, si scil. cor multùm in caliditate excesserit. *Cap. 29.*

X.

VI. Pilositas thoracis, & cumprimis sterni, partiúmq; hypochondrijs vicinarum. *Cap.29.*

XI.

VII. Calor universi corporis. Magnâ quippe ex parte calidi cordis temperatura universum corpus reddit calidum: nisi hepar vehementiùs obstiterit: ídque propterea, quoniam frigidius est, ac ob id cordis calorem infringit. *Cap.29.*

XII.

VIII. Ἡ τοῦ θώρακος εὐρύτης, thoracis latitudo: nisi hîc quoque cerebrum plurimùm obstiterit. *Cap.29.*

XIII.

Quâ verò ratione cerebrum obstare possit, *Galenus* hunc in modum ostendit: hisce præsuppositis fundamentis. I. quòd magnitudo spinalis medullæ proportionaliter respondeat magnitudini cerebri. II. quòd magnitudini spinalis medullæ proportionales sint vertebrę spi-

næ: ita ut si cerebrum sit magnum, magna quoque sit spinalis medulla: & si magna sit medulla hæc, magnæ quoque & amplæ sint vertebræ. III. quòd vertebrarum magnitudini totius spinæ magnitudo respondeat.

XIV.

Ex his ostendit *Galenus*, quomodo cerebrum obstare possit. Nam cùm thorax conjungatur cum eâ spinæ parte, quæ μετάφρενον, dorsum nominatur, tanquam navis cum carinâ: necessariò longitudo thoracis tanta erit, quanta dorsi. Latitudo verò thoracis erit pro ratione crassitiei vertebrarum. Nam secundum quod vertebræ dorsi 12. fuerint crassæ, fient costæ ab ijs prodeuntes longiores: unde thorax evadit latior: nõ secus ac in navi evenire solet. Quemadmodum enim longâ latáque existente carinâ, navis necessariò lata fit & longa: sic longo existente dorso, quod carinæ est ἀνάλογον, & vertebris ejus magnitudinem & crassitiem habentibus, longus etiam amplúsque fieri thorax consuevit.

XV.

Ex quibus liquet, latitudinem thoracis non semper cordis calorem sequi: sed illius causam quandóque esse posse cerebrum: quia magnum cerebrũ magnam producit spinæ medullam: magna spinæ medulla amplas requirit vertebras: amplæ vertebræ, & longiorem, & latiorem thoracem constituunt: quoniam thorax cum vertebris dorsi copulatur.

Cæte-

XVI.

Cæterùm, quemadmodum pro cerebri quantitate thorax longus latúſque fieri ſolet: ita quoque pro cordis calore intenſo ac remiſſo.

XVII.

Nam ſi calor cordis ſit intenſus, thoracem in primo ſtatim ortu ſecundum proportionem ſui exceſſus dilatat. *Cap.29.*

XVIII.

Quare, cùm caput fuerit parvum, thorax autem amplus, maximum hoc erit calidioris cordis indicium. *Cap.29.*

XIX.

Cùm verò caput fuerit magnum, thorax verò parvus, proprijſſimum hoc erit frigidioris cordis ſignum. *Cap.29.*

XX.

Si verò thorax fuerit capiti proportione reſpondens, tùm nihil ex thoracis amplitudine de cordis calore judicari poteſt. Ideóque aliunde illius petenda ſunt ſigna. *Cap.29.*

XXI.

Frigidioris cordis indicia ſunt ſequentia. I. *Σφυγμοὶ μικρότεροι τῶν συμμέτρων*, pulſus ſunt mediocribus minores; non tamen neceſſariò tardiores, aut rariores. *Cap.30.*

XXII.

II. Ἡ *ἀναπνοὴ τοῖς σφυγμοῖς ἀνάλογος*, reſpiratio pulſibus proportionalis eſt: ſiquidé thorax tantò minor extiterit, quantò cor frigidius.

Si verò major fuerit, quàm pro frigiditatis quãtitate, non minor est tantùm, sed etiam rarior ac tardior. *Cap.* 30.

XXIII.

III. Δειλία, timiditas naturalis, καὶ ἀτολμία, diffidentia & quasi quædam desperatio in rebus agendis. *Cap.*30.

XXIV.

IV. ὀκνία, segnities & ad actiones pigritia. *Cap.*30.

XXV.

V. ψιλὸν αὐτοῖς τὸ στέρνον τριχῶν ἐστι, pectus talibus hominibus, quibus cor est frigidius, pilis caret. *Cap.* 30.

XXVI.

VI. Σμικρότης τοῦ θώρακος, thoracis angustia, nisi cerebri spinalísque magnitudo obstiterit. Potest enim, ut hoc addamus obiter, in frigido corde thorax esse magnus & amplus: non quidem ratione caloris cordis: sed respectu cerebri, quod, uti dictũ suprà, si fuerit magnum, magnam producit spinæ medullam: quæ magnas requirit vertebras: cum quibus conjunctæ costæ longiores latiorésque magnum quoq; thoracem efficiunt. *Cap.*30.

XXVII.

VII. ψυχρότης ὅλου τοῦ σώματος, frigiditas universi corporis. *Cap.* 30.

XXVIII.

Siccioris cordis I. signum est σφυγμὸς σκληρότερος, pulsus durior. *Cap.* 31. II. θύ-

XXIX.

II. θυμὸς οὐχ' ἕτοιμος μὲν; ἄγριος δὲ καὶ δύσπαυστος, ira non prompta quidem; fera tamen, & quæ facilè ſedari nequit. *Cap*.31.

XXX.

III. ὡς τὰ πολλὰ ὅλον τὸ σῶμα ξηρότερον magnâ ex parte totum corpus ſiccius eſt: niſi hepar obſtiterit hnmiditate ſuâ. *Cap*.31.

XXXI.

Humidioris cordis ſignum I. eſt σφυγμὸς μαλακὸς pulſus mollis. *Cap* 32.

XXXII.

II. ἦθος εὐκίνητον μὲν πρὸς ὀργὴν: εὐκατάπαυστον δὲ, mores ad iram quidam proclives: ſed talem, quæ facilè poſſit placari. *Cap*. 32.

XXXIII.

III. τὸ σύμπαν σῶμα ὑγρότερον, univerſum corpus humidius exiſtit, niſi hepar ſiccitate ſuâ contra pugnârit. *Cap*. 32.

Corollaria.

I.

AN Cerebrum ſit ſensûs & motûs principium? *Sic placet* Galeno *& Medicorum ſcholæ toti. I. quia cerebrum eſt origo nervorum, qui ſunt* ὄργανα, *per quæ reliquis corporis partibus ſenſus & motus à cerebro communicatur.* II. *quia cerebro vel in temperie, vel in compoſitione, vel in*

continuitate læso, sensus statim & motus læditur. III. *quia cerebro sanato, motus & sensus reparatur: siquidem cerebri causâ sit læsus.*

II.

Verumnè, quòd cerebrum nervorum sit principium? *Imò verißimum, si de principio non* γενέσεως, *quod semen est, sed* διοικήσεως καὶ ῥιζώσεως *loquare: quicquid somnient Peripatetici.* Αὐτοψία *enim hoc monstrat, cui magis credendum, quàm rationi.* II. *quia inde* ὄργανον *derivatur, unde facultas manat.* Ὄργανον *enim propter facultatem & actionem est fabrefactum. At à cerebro omnis motus* προαιρετικὸς *omnísque sensus prodit: quoniam videmus, affecto cerebro in affectibus saporosis sensum & motum lædi.* III. *quia in epilepsiâ, cerebri affectu, totum genus nervosum in consensum trahi cernimus. Argumento igitur est, cerebrum nervorum principium esse.* IV. *quia nervi, non secus atque cerebrum, duplici substantia constant, medullosâ & membranosâ* Unde Galenus *nervum vocat parvum cerebrum: sed durius & resiccatum.*

III.

An non spinalis dicta medulla nervorum principium rectiùs statuatur? *Recentiores Anatomici medullam istam secant in eam, quæ adhuc est intra cranium, & in illam, quæ extra cranium in vertebris spinæ continetur; eámque per se totam principium omnium nervorum faciunt. Sed nobis minimè repugnant. Nam & medulla hæcce à cerebro originem trahit: estque nil aliud, quàm cauda,*

sive

sive appendicula cerebri, & cerebrum quoddam oblongum. Itaque, quod est causa causæ, id etiam est causa causati & principiati. Est ergò cerebrum omnium nervorum origo, sed mediatum. Est & spinæ medulla eorundem principium, sed proximum & immediatum.

IV.

Utrum cerebrum sentiat? Ἐνεργητικῶς *sentire, hoc est, partibus præbere sensum per spiritus animales, qui in nervis continentur, ex dictis liquet. An verò sentiat* παθητικῶς, *disceptatur. Meninges, quibus velatur, sensu pollere, certum est. Incertum, an medullaris substantia sentiat? Negat autem* Gal. 1. de symptom. caus. c. 8. *cerebrum sentire. Et id quidem non immeritò. Vulneratum quippe cerebrum nil sentit, quamvis acuto specillo ejus prematur substantia, aut de eadem aliquid detrahatur, quemadmodum experientia docet. Desideratur insuper in cerebri substantia medullari sensûs tactus, de quo quæstio instituitur, instrumentum. At sensus sine sensorio fieri nequit.*

V.

An cerebrum propriâ & insitâ virtute moveatur? *Ajentem defendit* Galenus *multis in locis, præcipuè verò* l. 3. de placit. Hipp. & Plat. c. ult. l. 13. us. part. c. 8. & in fine l. de instrum. olfact. *Motum quoq; ejus confirmat* αὐτοψία. *Vulnerato namq; cerebro, effracto cranio, & detectis meningibus, manifestus deprehenditur motus. Et in recens natis tam evidenter in sincipite dilatari & constringi*

ſtringi cerebrum deprehenditur, ut ipſa quoq; oſſa, quæ in infantibus ſunt molliſſima, moveantur.

VI.

An cerebrum motu moveatur arteriarum? *Sic multi credunt. At credibile non eſt, tantæ molis membrum, quanta cerebrum eſt, támq; lentum & denſum, ab arteriolis elevari: cùm inſignes illæ & plurimæ, quæ lieni conceſſæ, lienem minimè moveant: cùm tamen lien viſcus ſit parvum, reſpectu cerebri, & rarum, laxum ac ſpongioſum, adeóq; leve, ut alieno motu cieri poſſit faciliùs. Quis præterea dixerit, cerebrum moveri quia arteriæ ejus moveantur? Cur non aliæ quoq; partes moveri dicuntur, quibus arteriæ tributæ? Nam & iſtæ dilatantur & contrahuntur.*

VII.

Sitné is cerebri uſus, ut calorem cordis refrigerando contemperet? *Ita olim docebat* Ariſtoteles: *ut patet* ex l. 2. part. an. c. 7. *Sed prolixè refutatur à* Galeno l. 8. uſ. part. c. 2. & 3. *I. quia cerebrum quovis aëre æſtivo calidius eſt. II. quia longiùs à corde abeſt. III. quia undiq; eſt obvallatum meningibus & cranio. IV. quia cor ſatis refrigeratur per reſpirationẽ, per pulſum, per aquã pericardij, per inſenſilem totius corporis* διαπνοὴν. *V. quia animalia, quibus cor calidius, majus haberẽt cerebrum quàm homo. At homo magnitudine cerebri animalia omnia ſuperat, etiam leonem, animal calidiſſimum. VI. quia ſi refrigerandi ſolùm cordis causâ cerebrum fuiſſet conditũ, nil opus fuiſſet*

ſet

set tàm mirabili illius structurâ, totq; cavitatibus & particulis, quot in cerebro videmus.

VIII.

An non cerebrum eâ saltem ratione cor refrigerare dici possit, quòd spiritus cordis, qui sunt præcalidi, contemperet? *Sic quidem* Averroës, *& quidam ex recentioribus* Peripateticis Aristotelem *tueri satagunt. Sed frustrà.* I. *quia* Aristoteles *de ejusmodi spirituum refrigeratione ne gry quidem habet loco allegato.* II. *quia licet concedatur, spiritus cordis à cerebro contemperari, non tamen ab eo cor refrigerari poterit. Spiritus enim illi manent in cerebro; ad cor autem minimè revertuntur.* III *quia hoc esset refrigerare effectum, non causam, quæ longius à cerebro abest.*

IX.

Possitné aliâ aliquâ ratione verè dici, cerebrum cor refrigerare? *Potest, sed valdè per accidens. Dictum enim, cerebrum motus voluntarij esse principium. Et constat, thoracem moveri voluntariè, huncque motum præcipuè ad ventilationem & refrigerium cordis spectare. Quicquid ergò movet thoracem & respirationis author est, id cordis fervorem contemperat. At cerebrum hoc facit, facultatem scilic. movendi communicando musculis thoracis per nervos. Ergò cordis fervorem contemperat.*

X.

Rectené Aristoteles spinalis medullæ naturam explicârit? *Ex* l. 2. part. an. c. 7. *liquet,* Ari-

stote-

ſtotelem crediḋiſſe, ſpinæ medullam medullis aliȷs, quæ in oſsibus continētur, ſimilem eſſe. Eſſe enim calidam, quia pinguis & oleoſa: & contineri in oſsibus: junctámq; eſſe cerebro propterea, ut à cerebri frigiditate temperetur. Habere enim naturam hoc in more poſitum, ut contra cujuslibet rei exuperantiam auxilium moliatur per conjunctionem rei cōtrariæ: quò exceſſum alterius altero compenſet ac moderetur. Verùm maxima eſt inter ſpinæ medullam & medullam aliorum oſsium differentia. Etenim, materia ſpinæ medullæ ſemen eſt, quemadmodum & cerebri: medullæ aliorum oſsium ſanguis. Temperamentum ſpinæ medullæ frigidum eſt & humidum: aliarum medullarum calidum & aëreū. Spinæ medulla pars eſt corporis vivens. Alia medulla oſsium nutrimentum. Spinæ medulla calefacta nunquam liquatur. Liquatur autem medulla alia. Spinæ medulla origo eſt nervorum: alia nequaquam. Spinæ medulla cum aliȷs partibus in primâ ſtatim generatione gignitur: alia non item. Spinæ medulla duabus cingitur meningibus, ſuiſq; venis & arteriȷs eſt inſtructa: alia minimè.

X I.

Num Galenus cap. II. μικροτ. nervos rectè dividat in αἰσθητικοὺς καὶ πρακτικοὺς ἢ κινητικούς? *Ita quidem dividi poſſunt: verùm non per ſe, & ratione naturæ ſuæ, quaſi hæc eorum ratio eſſet, ut aliȷ tantùm eſſent motoriȷ: aliȷ tantùm ſenſifici: ſed per accidens, ratione partium, in quas illi inſeruntur. Unus enim & idem nervus per ſe & naturâ*

ſuâ,

ſuâ, tùm ſenſum, tùm motum communicare poteſt. Eſt enim idem omnium principium: eadem ſtructura: idem temperamentum: idem ſpiritus: unus & idem facultatis animalis influxus. Quòd autẽ quædam ſenſum ſolùm præbeant: quædam ſenſum & motum ſimul, in causâ ſunt partes: quarum aliæ tantùm ſensûs ſunt capaces: ut membranæ: aliæ & ſensûs & motûs, ut muſculi.

XII.

Verumné illud Galeni loco eodem, pars cerebri poſterior paucos habet nervos ſenſitivos, plurimos motorios: anterior contrà ſenſitivos quidem plurimos: paucos autem motorios? *Cùm probatum jam ſit, unum eundémq; nervum ex ſe, & ſensûs, & motûs* ὄργανον *eſſe: patet, poſteriorem cerebri partem tot habere ſenſitivos nervos, quot activos: & vice versâ, anteriorem tot activos, quot ſenſitivos. Nec obſtat diſtinctio nervorum in molles & duros. Ajunt enim quidam, illos ſenſui: hos motui deſtinatos eſſe: illos à cerebro, quod mollius: hos à ſpinæ medullâ, quæ durior, oriri.* Αὐτοψία *namq; monſtrat, nervos omnes immediatè à medullâ cerebri oblongatâ, partim intra, partim extra calvam contentâ, ortum ducere: nullos à cerebro. Eadem quoq; docet, nervos omnes, etiam illa paria quæ creduntur à cerebro immediatè orta, primo ſolùm, quod* ὀπτικὸν, *excepto, movendi vim tribuere.*

XIII.

Utrum cerebrum rectè & principium, & inſtrumen-

strumentum animalium actionum vocari possit? *Notum est ex* cap. 10. μικρολ. *animales actiones esse sensitivas, motivas, & principes. Duæ priores exercentur potissimùm extra cerebrum: postrema in ipso cerebro. Itaq; respectu motivarum & sensitivarum actionum, quæ per alia* ὄργανα *extra cerebrum peraguntur, cerebrum propriè principiũ dicitur: quoniam cerebrum, & spiritus & nervos ad partes ablegat, ut sensus & motus in ijs fieri queat. Respectu verò principum* ὄργανον *rectiùs appellari videtur: quoniam id est membrum, quo anima utitur ad operationes hasce exercendas. Observandum tamen, philosophicè & accuratè loquendo, animam omnium functionum principium & causam esse principalem: & sic quoq; ab* Aristotele 2. de an. definiri: *corpus autem & membra ejus* ὄργανα *tantùm esse, per quæ illa suas operationes exerceat. In foro autem medico partes appellari actionum principia & causas: eò quòd ad illas obeundas earum constitutio &* διάθεσις *adeò sit necessaria, ut sine illâ anima suas exercere functiones nequeat.*

XIV.

Cur ratiocinatio, imaginatio & memoria dicantur functiones ἡγεμονικαὶ, principes? *Quia omnium sunt nobilissimæ, præsertim ratiocinatio, quæ soli homini, creaturæ præstantissimæ, concessa. Proximum ab eâ locum tenet imaginatio, quæ in brutis suprema est animi facultas.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA GALENI
X.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

M. JOANNE GEORGIO Erhardt Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



VIRO

Reverendo atque Clarissimo

Dn. GEORGIO Erhardt/
Pastori in Liechtenaw/ parenti
suo sanctè vene-
rando;

Exercitium hoc medicum observantiæ Ergò

dicat & offert

M. Iohannes Georgius
Erhardt. Arg.

THESIS I.


Alidi & ficci cordis indicia sunt, I. σφυγμοὶ σκληροὶ, καὶ μεγάλοι, καὶ ταχεῖς, καὶ πυκνοὶ, pulsus duri, & magni, & veloces, & frequentes. *Cap.* 33.

Signa compositarũ temperaturarum Cordis.

II.

II. Respiratio similis, magna scil. velox & frequens. Multò autem magis respiratio ad velocitaté vergit, si thorax ad cordis calorem proportionaliter non sit auctus. Tùm quippe respiratio quidé magna non est, sed tamen velox & frequens. *Cap.* 33.

III.

III. Πάντων οὗτοι λασιώτατοι τὰ κατὰ τὸ στέρνον εἰσὶ καὶ τὸ ὑποχόνδριον, homines isti, quibus calidum siccúmq; cor datum, pectus habent & hypochondria maximè hirsuta. *Cap.* 33.

IV.

IV. εἰς τὰς πράξεις ἕτοιμοι, ad actiones sunt prompti. *Cap.* 33.

V.

V. Sunt θυμικοὶ, animosi, fortes atq; audaces. *Cap.* 33.

VI.

VI. Sunt ταχεῖς, celeres, h. e. ad res gerendas, suscipiendas obeundasq́, alacres, atq; expediti. *Cap.* 33.

VII.

VII. Sunt τυραννικοὶ τοῖς ἤθεσι, moribus præditi tyrannicis. *Cap.* 33.

VIII.

VIII, Sunt ὀξύθυμοι καὶ δύσπαυστοι, ad iram proclives, nec facilè placabiles. *Cap.* 33.

IX.

IX. Corpus eorum calidum & siccum est: nisi hepar frigiditate & humiditate repugnârit. *Cap.* 33.

X.

X. Thorax latus & amplus est, nisi cerebrum obstiterit: velut præcedenti disputatione dictum. *Cap.* 33.

XI.

Calidi & humidi cordis signa sunt ista. I. Corpus minùs hirsutum est, quàm sub corde calido & sicco. *Cap.* 34.

XII.

II. οὐδὲν ἧττον εἰς τὰς πράξεις ἕτοιμοί εἰσι, ad actiones nihilominus homines sub calido humidoq; corde prompti sunt. *Cap.* 34.

XIII.

III. Animus ἄγριος, h. e. ferox quidem non est: sed ad iram tantùm proclivis. *Cap.* 34.

IV.

XIV.

IV. Pulſus ſunt magni, molles, veloces & frequentes. *Cap.* 34.

XV.

V. Reſpiratio pulſibus eſt ſimilis, magna ſcil. velox, & frequens, ſi thorax cordi fuerit proportionalis: h.e. ſi tam latus ſit, quanta caloris cordis eſt vehementia. Si verò anguſtior ſit, quàm pro caloris vehementiâ, nempe ob cerebri ſpinaliſque medullæ parvitatem, tantò celerior frequentiorq; reſpiratio erit pulſibus, quantò thorax extiterit minor, & ſtrictior. *Cap.* 34.

XVI.

VI. Si utriuſq; quantitatis, præcipuè verò humiditatis exceſſus ſit magnus, præter ea, quæ hanc cordis temperaturam comitari diximus ſigna, etiam σηπεδονώδη νοσήματα, morbi ex putredine contingent, humoribus ſcil. corruptis ac putrefactis. *Cap.* 34.

XVII.

VII. Αἱ ἐκπνοαὶ, expirationes, quæ fiunt thorace contracto, majores ſunt velocioresq; ταῖς εἰσπνοαῖς, inſpirationibus. *Cap.* 34.

XVIII.

VIII. Ταχεῖα τοῖς σφυγμοῖς ἡ συστολὴ, ſyſtole in pulſibus velox eſt. *Cap.* 34.

XIX.

Humidi & frigidi cordis ſigna ſunt ſequentia.
I. Pulſus ſunt μαλακοὶ, molles. *Cap.* 35.

XX.

II. Τὸ ἦθος ἀτολμοντε καὶ δειλὸν, καὶ ὀκνηρὸν, moribus homines non ſunt audaces, ſed timidi, tardi ac pigri. *Cap. 35.*

XXI.

III. Pectus habent ψιλὸν, *glabrum. Cap. 35.*

XXII.

IV. Ἥκιστα μηνιῶσι, ὥσπερ καὶ εἰς τὴν ὀργὴν οὐχ ἕτοιμοι, iram minimè retinent: ſed placari illam ſinunt: & ad iram proclives non ſunt. *Cap. 35.*

XXIII.

V Thorax iis eſt anguſtus: niſi contrapugnârit cerebrum. Dictum enim, thoracis amplitudinem cordis calori proportione reſpondere, niſi cerebrum reluctetur. Fieri enim poſſe, ut frigido exiſtente corde, cerebrum ſit magnum, & ſpinæ medulla grandis. Ex quo latus erit thorax: non quidē ratione caloris cordis, qui parum ſub hac κράσει dilatat: ſed ratione magnitudinis cerebri & medullæ ab eo prodeuntis. *Cap. 35.*

XXIV.

VI. Corpus totum frigidius eſt & humidius, niſi hepar contraria affectum ſit temperie, & cordi repugnârit, ejuſq; vires obtuderit. *Cap. 35.*

XXV.

Frigidi & ſicci cordis ſigna ſunt: I. Pulſus duriores & parvi. *Cap. 36.*

II. Re-

XXVI.

II. Respiratio σύμμετρος, moderata: siquidē thorax parvitatem cordis frigiditati habuerit ἀνάλογον. Si verò extiterit major, rara ea est ac tarda. *Cap. 36.*

XXVII.

III. Homines sub hac κράσει ad irascendum proni non sunt. Cùm autem irasci fuerint coacti, iram fovent. *Cap. 36.*

XXVIII.

IV. Habent maximè omnium pectus pilis nudum. *Cap. 36.*

XXIX.

V. Thorax videtur angustus: quia proportionalis cordis κράσει. *Cap. 36.*

XXX.

VI. Corpus totum frigidius est sicciúsq;, nî forsan hepar sit calidum & humidum, atque ita cordis influxui adversetur. *Cap. 36.*

XXXI.

Monet autem Galenus, quæ de moribus ad temperaturarum explorationem nō hîc solùm, sed etiam alibi, v.g. *l. de temperam. & l. quod animi mores corp. sequantur temperaturam*, dicta sunt, de moribus ἑκάστῳ ἐμφύτοις, naturalibus & cuilibet quasi innatis: non de illis, qui Philosophiæ moralis ope acquiruntur, intelligenda esse. Hi enim temperaturam corporis nobis minimè patefaciunt. Ratio est: quia accidere solet, ut διδαχῇ disciplinæ Ethicæ, accedente

præſertim ſedulâ educatione, & aſſuefactione indeſinenti, ejuſmodi acquirantur mores, qui naturali temperamento & inclinationi hominis planè ſint contrarii. Sic per doctrinam philoſophicam, & ſeveram diſciplinam, nec nõ aſſiduam converſationem & cohabitationem cum hominibus tranquillis, pacificis, & miſericordibus effici poteſt, ut homo calidi & ſicci cordis mores tyrannicos deponat, & mitis, placidus atq; manſuetus evadat. Contrà, accidere, ut, qui corde eſt frigido, per malam inſtitutionem, & pravam converſationem cum hominibus ad iram proclivibus & feris, ipſe quoque talis evadat.

COROLLARIA.

I.

AN principes actiones ſedibus diſtinguantur: an verò in toto cerebro, & quavis illius parte exerceantur? *Placitum eſt* Avicennæ *&* Averrois, *actiones haſce non in una eadẽq; cerebri parte exerceri, ſed in diverſis & phantaſiã quidem in ventriculis cerebri anterioribus. cogitatricem, ſive ratiocinatricem in medio: deniq; memoratricem in poſtremo. Sed verior illorum videtur opinio, qui* Galenum *ſecuti, actiones haſce toti cerebro aßignant, nec ſedibus eas diſcludunt. Unde læsâ memoriâ, non modò occipiti, ſed toti cerebro reme-*

remedia adhibentur. Et sauciatâ contusave vehementer parte cerebri anteriori, non solùm φανταστικὴν, sed etiam μνημονευτικὴν lædi videmus. Eademq; ratio est, si vel media, vel postrema cerebri pars enormiùs offendatur. Non enim una tantùm, sed omnes principes animi functiones noxam patiuntur.

II.

An fieri possit, ut una harum principũ functionum lædatur, reliquis illæsis? *Aientem confirmat experientia.* Læditur enim aliquando phantasia, salvâ manente memoriâ & ratione. *Exemplum extat apud* Gal. l. de diff. sympt. c. 3. *de Theophilo Medico, qui ægrotans benè de rebus discurrebat, & curatus omnium, quæ secum erant acta, recordabatur: phantasiam solùm læsam habebat: quòd putaret, in angulo domûs, quâ in decubuerat, tubicines se videre, qui noctu & interdiu indesinenter sonarent. Ideoq;, ut domo eiicerentur, jusserat* Læditur rursus ratio, illæsâ phantasiâ. *Exemplum legitur apud Gal. loc. alleg. Meminit enim Gal. cujusdam phrenitici, qui intus obseratâ januâ, singula vasa per fenestram projecerat, & prætereuntes interrogârat, num proiicere illa juberent? Integram huic fuisse phantasiam & memoriam, argumẽto est, quòd vasa agnoverit, singulaq; suis nominibus appellârit. Læsam autem fuisse rationem, ex eo colligitur, quòd vasa omnia ab alto tandem projecerit ac perfregerit.* Læditur deniq; memoriâ, illęsis imaginatione & ratione.

 Exem-

Exemplum habetur apud Thucydidem l. 2. de bello Peloponeſ. *Scribit enim, quosdam in horrendâ illâ peſte, quæ Athenis graſſata, non modò aliorum, quos per vitam priorem agnoverant, oblitos eſſe: ſed ne quidem nominum ſuorum memoriam retinuiſſe.*

III.

Cùm una ex principibus actionibus lædi poſſit, aliis illæſis, quæritur, an propterea ſequatur, ſedibus illas eſſe diſcluſas, & non in unâ, ſed diverſis omninò cerebri partibus exerceri? *Negatur. Eadem enim hîc videtur ratio, quæ eſt actionum naturalium, attractricis, retentricis, concoctricis, & expultricis. Hæ enim, etſi in quavis reperiantur parte ſimilari, & quidem in qualibet illius portione: fieri tamen poteſt, ut una lædatur, reliquis exiſtentibus integris. Quid ita? quia temperamentũ eſt illarum organum. Hæc tamẽ temperamenti qualitas ad hanc: alia ad aliam actionem exercendam magis eſt apta atq; accommodata: v g. caliditas ad attractionem: ſiccitas ad retentionem: caliditas & humiditas ad concoctionem: caliditas & ſiccitas ad expulſionem: teſte* Gal. l. 3. ſymptom. caul. c. 3. *Frigido igitur exiſtente corpore, læditur magis concoctrix: humido exiſtente, retentrix præ cæteris patitur, & ſic deinceps. Pari ratione, ad* φαντασίαν, *ob faciliorem rerum impreſſionẽ, aptior videtur humiditas: ad memoriam ſiccitas: ad raciocinationem caliditas & ſubtilitas cerebri. Haud igitur mirũ, ſi in morbis nunc hæc, nunc illa prin-*

ceps

ceps functio offendatur. Iam enim hæc, jam illa qualitas prævalere, aut minui solet.

IV.

Sintné principes actiones similares, an dissimilares: h. e. utrum à cerebri temperie, an ab ejus conformatione dependeant? *Similares esse, videtur probare autharitas* Galeni *c.* 12. Μικροτ. *ubi scribit, ingenii solertiam, subtilis cerebri substantiæ notam esse: tarditatem intellectûs, crassæ: discẽdi facilitatem, formarũ facilè susceptivæ: memoriam, stabilis ac firmæ: oblivionem, humidæ: inconstantiam & mutabilitatem opinionum, calidæ: constantiam ac stabilitatem, sive perseverantiam, frigidæ. Idem confirmare videntur melancholia, phrenitis, febres ardentes, & lethargus, in quibus affectibus principes functiones læduntur, quòd vitiata sit cerebri temperatura.* Contrà, *quòd functiones istæ à conformatione pendeant, & dissimilares sint, monstrant apoplexia, epilepsia, vulnera & contusiones capitis: in quibus vitiis dictæ actiones noxam patiuntur, cerebri temperamento nondum vitiato.* Neq; *enim in momento* κρᾶσις *mutari potest. At apoplexia, epilepsia, vulnera & contusiones quasi in momento homini accidunt. Quid ergò dicendum? Cùm videamus, vitiatâ cerebri temperaturâ principes actiones offendi, etiamsi structura ejus integra sit & salva; experiamur quoq;, pro varietate temperaturarum cerebri actiones istas diversimodè obiri: statuendum, eas similares potiùs, quàm organicas esse. Quòd autem etiam*

lædan-

lædantur, corruptâ cerebri structurâ, id eam ob causam fieri credendum, quia ministerio spirituum opus habent. At spiritus in collisionibus, compreßionibus, obstructionibus, & contusionibus cerebri ejusq; partium, vel suffocantur, vel dißipantur, vel in motu impediuntur, vel modis aliis afficiuntur.

V.

Utrum motus manet à cerebri medullâ: sensus ab ejus meningibus? *Sic olim credidit Fernel. ut videre est l. 5. φυσιολ. c. 10. eò quòd cerebri corpus aßiduo agitetur motu, nullo tangendi sensu præditum: meninges contrà, per se non moveantur; tactu verò polleant exquisitißimo. Verùm, opinio hæc erronea est. I. quia id sensûs & motûs principium est, unde prodeunt nervi, & à quo generantur spiritus animales. At à medullari cerebri substantia & spiritus animales generantur, & nervi prodeunt, non à meningibus. Itaque medulla sensûs & motûs est principium, non meninges. II. quia motus cerebri à musculorum motu diversißimus est. Is quippe naturalis est: hic voluntarius. Ergò medulla cerebri non propterea statui potest motûs principium, quòd moveatur. III. quia is quoq; sensus, quem meninges habet, à medullâ cerebri proficiscitur. Patet hoc ex apoplexiâ, quæ non meningum, sed substantiæ cerebri est affectus. In eâ enim & sensus, & motus perit, quoniam principium utriusque est affectum. IV. quia meninges, cùm sint membranæ, ὄργανα tantum sensûs sunt tactûs. Ergo non sunt sensûs principia. V. Si medulla cerebri*

rebri propterea motûs est origo, quòd moveatur: meninges fontes sunt tactûs, propterea quòd sentiant: unde quæso prodibunt sensus cæteri, visus, auditus, olfactus, & gustus, cùm neq; medulla, neq; meninges videant, audiant, olfaciant, gustent?

VI.

Sitné cerebrum frigidum ad tactum? *Aristoteles scribit l. 2. part. an. c. 7. frigiditatem cerebri* φανερὰν εἶναι κατὰ τὴν θίξιν, *tactu percipi posse: hācque ejus frigiditatem etiam rationibus aliquot cōfirmat.* I. *quia adjunctam habet spinæ medullam, quam statuit calidam, ut utriusque excessus in qualitatibus activis contemperetur.* II. *quia* ἀναιμότατον, καὶ αὐχμηρότατον τῶν ὑγρῶν τῶν ἐν τῷ σώματι πάντων. Nil *enim sanguinis habet.* III. *quia propterea conditum, ut cordis calorem mitiget.* IV. *quia fons est destillationum.* Cùm *enim vapores à cibo elevantur, in cerebro refrigerantur, condensantur, ac vertuntur in aquam, quæ postea ad subjectas partes descendit.* Est *enim harum defluxionum generatio similis generationi pluviarum in* μακροκόσμῳ. IV. *quia somnus à cerebro proficiscitur, halitibus à cibo ascendentibus inque cerebro refrigeratis.* V. *quia cerebrum partim aqueum est, partim terreum. Vnde coctum indurescit, & siccescit.* Humor *enim exhalat, terreaq; portio relinquitur.* Verùm, *si de actuali frigiditate loquitur Philosophus, falsum dicit. Tactus enim docet, ablato cranio, & remotis meningibus, cerebrum actualiter calidum esse. Ratio quoque idem suadet.*

Gau-

Gaudet enim calore cordis influente: spiritibus est perfusum: sanguine imbutum: nutritur ac vivit. Itaq; calidum: quanquam minùs, quàm partes aliæ. Tale autem esse debuit, ne sensationes essent deliræ: ne motus temerarij ac furibūdi, quales sunt phreniticorum ac maniacorū: ne inconstantia & varietas opinionum hominem plus satis urgeret.

VII.

An verum illud Aristotelis l. 2. part. an. c. 7. cerebrum nullam omninò συνέχειαν, continuitatem habet cum membris sentiendi facultate præditis? *Nequaquam Anatome enim docet, cerebrum per spinæ medullam & nervos cum omnibus ferè corporis partibus continuari: sicut hepar per venas, & cor per arterias cum ijsdem continuari videmus.*

VIII.

Utrum Aristoteles ibid. rectè dicat, cerebrū ἄναιμον esse, nihilq; sanguinis in se habere? *Ἄναιμον dicitur, vel quod omni prorsus sanguine caret, ut cartilago, ut pilus; vel quod sanguinem quidem habet, sed paucum: quâ ratione etiā membranæ, omniaq; membranosa & nervosa corpora ἄναιμα, exanguia dicuntur. Priòri igitur modo cerebrum ἄναιμον non est: quia nutritur. At commune omnium partium alimentum est sanguis, etiā* Aristotele *teste. II. quia venæ & arteriæ ad cerebrū ferūtur. Posteriori ἄναιμον dici haud absurdè potest.*

IX.

Quæ causa, quòd cerebrum plura, quàm partes

partes aliæ, excrementa colligat? *Prima causa est temperamenti frigiditas & humiditas. Secunda positionis, sive sitûs sublimitas. Tertia molis corporeæ magnitudo. Quarta naturæ imbecillitas.*

X.

Quot & quæ sint excrementa cerebri? *Duplicis generis excrementa, ut ex aliarum partium, sic quoq; ex cerebri nutricatione resultant: tenuia scil. & crassa. Tenuia sunt vapores & fuligines, quæ per cæca spiracula meningum, cranij & cutis exhalant. Crassa sunt pituitosa, aquea, sive serosa, & biliosa: quæ per patentes & conspicuos meatus expurgantur: ordinariè quidem per nares, palatū, & aures: extraordinariè verò per oculos, spinæ medullam, arteriam asperam, gulam, ductus quosdam alios. Per hos enim cerebrum humoris copiâ pressum interdum sese exonerare solet: sed cum detrimento partium excrementa recipientium.*

XI.

An ventriculi cerebri sint tantùm receptacula excrementorum? *Negatur. Nam & mirabilis eorum structura, & numerus quaternarius, & particulæ, quæ in illis visuntur variæ, & affectus, quibus infestantur, ostendunt, longè nobilius ijs esse aßignatum à naturâ officium.*

XII.

An Galenus per temperatum cerebrum c. 13. μικροτέχν. intelligat id, quod est tale ad pondus? *Nullo modo: quia tale minimè reperitur: nec si reperiretur, diu persistere posset; idque ob causas*

cere-

cerebrum alterantes: quarum aliæ sunt externæ: ut aër ambiens, cibi, potus, balnea, vapores, fumi, venti, medicamenta interna & externa &c. aliæ internæ: ut humores & halitus cerebrum petentes.

XIII.

Intelligatne id, quod respectu cutis est temperatum? *Neutiquam. Hujus enim ratione frigidum est & humidum: quemadmodū patet ex* l. 1. de temperam c. ult. *Est enim cutis id medium, cujus respectu partes reliquæ calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ dici merentur.*

XIV.

Sitne per temperatum cerebrum inaudiendum illud, quod temperatum ad justitiam? *Maximè: quia tale perfectas & strenuas actiones edit, non solùm animales: sed etiam naturales: II. quia excrementa gignit in quantitate modica in qualitate benè cocta. III. quia non facilè à rebus calefacientibus, refrigerantibus, siccantibus, aut humectantibus læditur: quæ omnia temperati cerebri secundum* Galenum *sunt requisita.*

XV.

An cerebrum ad justitiam temperatum respectu cutis dici possit frigidum & humidum? *Omninò: quia hisce qualitatibus cutem superat. Licet autem excessum habeat: is tamen illi necessarius est: & tantus quidem est, quantum habere debet ad actiones laudabiliter obeundas.*

FINIS.

Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XI.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

WOLRADO ENGELHARDO
Feselio, Durlacensi Marchico.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

CAlidi hepatis indicia sunt I. φλεβῶν εὐρύτης, venarum amplitudo. Cap. 37. *Signa simplicium temperaturarum Hepatis.*

II.

II. ἡ ξανθὴ χολὴ πλείων, flava bilis abundantior: in tempore verò τῆς ἀκμῆς, h. e. in ætate constanti, etiam bilis atra. Cap. 37.

III.

III. θερμότερον τὸ αἷμα, sanguis est calidior. Cap. 37.

IV.

IV. Corpus universum calidius est, nisi cor obstiterit. Cap. 37.

V.

V. Δασύτης τῶν καθ' ὑποχόνδρια καὶ γαστέρα, venter & hypochondria hirsuta sunt. Cap. 37.

VI.

Frigidi hepatis indicia sunt I. στενότης φλεβῶν, venarum angustia. Cap. 38.

VII.

II. φλέγμα πλεῖον, pituita copiosior, Cap. 38.

VIII.

III. αἷμα ψυχρότερον, sanguis frigidior. Cap. 38.

IX.

IV. Corpus totum frigidum, niſi à corde calefiat. *Cap.*38.

X.

V. Venter & hypochondria glabra ſunt. *Cap.* 38.

XI.

Sicci hepatis ſigna ſunt I. τὸ αἷμα παχύτερον καὶ ὀλιγώτερον, ſanguis craſſior & minimè abundans. *Cap.* 38.

XII.

II. Αἱ φλέβες σκληρότεραι, venæ duriores ſunt. *Cap.*38.

XIII.

III. ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ξηροτέρα, totius corporis habitus ſiccior. *Cap.* 38.

XIV.

Humidi hepatis ſigna ſunt, τὸ αἷμα πλεῖον καὶ ὑγρότερον, ſanguis uberior & humidior. *Cap.*38.

XV.

II. Αἱ φλέβες μαλακώτεραι, venæ molliores. *Cap.* 38.

XVI.

III. ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ὑγροτέρα, totius corporis habitus humidior, niſi cor repugnârit. *Cap.* 38.

Signa cõpoſitarũ tẽperaturarum Hepatis.

XVII.

Calidi & ſicci hepatis ſigna ſunt I. λασιώτατον ὑποχόνδριον, hypochondrium plurimùm hiſpidum. *Cap.*41.

II.

XVIII.

II. Sanguis παχύτερος καὶ ξηρότερος, itemque ὀλιγώτερος, crassior, siccior, & paucior. *Cap.*41.

XIX.

III. Flava bilis plurima. In consistente verò ætate & bilis atra. *Cap.* 41.

XX.

IV. Venarum εὐρύτης καὶ σκληρότης, amplitudo & durities. *Cap.*41.

XXI.

V. Corpus totum calidum & siccum: nisi cor restiterit. *Cap.*41.

XXII.

Ut autem sciatur, quasnam hepatis qualitates cor obtundere possit, quò minùs reliqui corporis temperatura hepatis imitetur temperiem, *Galenus* 4. regulas tradit.

XXIII.

Prima est: Caliditas, quæ à corde calidiore proficiscitur, obtundere potest frigiditatem à jecore manantem. *Cap.*41.

XXIV.

Secunda: Frigiditas profluens à corde refringere valet caliditatem ab hepate ortam. *Cap.*41.

XXV.

Tertia: Humiditas cordis non potest ad cõtrarium habitum transferre siccitatem, quæ ab hepate procedit. *Cap.*41.

XXVI.

Quarta: Humiditas hepatis respectu aliarum qualitatum medio modo se habet. Magis enim à cordis siccitate superatur, quàm hepatis siccitas à cordis humiditate. *Cap.* 41.

XXVII.

Deinde, eadem humiditas à jecore profluens minùs superatur à cordis siccitate, quàm ejusdem jecoris calor à frigiditate cordis: h. e. frigiditas cordis magis faciliusque obtundere potest calorem jecoris & universi corporis, quàm siccitas cordis humiditatē à jecore prodeuntem, reliquoque corpori communicatam. *Cap.* 41.

XXVIII.

Tertiò, hepatis humiditas longè minùs à cordis siccitate superatur, quàm ejusdem frigus à cordis calore: h. e. cordis caliditas longè magis immutare potest hepatis frigiditatem, quàm cordis siccitas illius humiditatem. Hæc namq; qualitas frigida à contrario cordis calore facilimè vincitur. *Cap.* 41.

XXIX.

Liquet autem, quòd si utriusque principij, cordis & hepatis, temperaturæ conspiraverint in unum, totum corpus secūdum illorum qualitates affectum iri: h. e. qualia cor & hepar fuerint secundum qualitates primas, tale etiam totum corpus, quod ab iis regitur & gubernatur, & tùm sanguinem, tùm spiritū ab illis mutuatur, futurum. *Cap.* 41.

Cali-

XXX.

Calidi & humidi hepatis ſigna ſunt, I. minor, quàm ſub corde calido & ſicco, hypochondriorum hiſpiditas. *Cap.* 42.

XXXI.

II. Sanguis adeſt plurimum. *Cap.* 42.

XXXII.

III. Venæ ſunt amplæ & turgidæ. *Cap.* 42.

XXXIII.

IV. Habitus corporis eſt calidior & humidior, niſi cor obſtiterit. *Cap.* 42.

XXXIV.

V. Si major ſit receſſus à naturæ modo in ambabus qualitatibus, corpus morbis ex putredine & vitioſis humoribus contractis facilè corripitur. Et quidem eò magis ac faciliùs, ſi humiditas plurimum ſit aucta: caliditas verò non item. *Cap.* 42.

XXXV.

Quod ſi verò humiditas parùm creverit: plurimùm verò caliditas, tùm corpus vitioſis humoribus minimè laborat: vel, ut *Galenus* loquitur, homines ἥκιϛα κακόχυμοι γίγνονται. *Cap.* 42.

XXXVI.

Frigidi & humidi hepatis ſigna ſunt, I. hypochondria glabra. *Cap.* 43.

XXXVII.

II. Sanguis generatur φλεγματικώτερος, ad pituitæ naturam accedens. *Cap.* 43.

XXXVIII.

III. Venarum adest στενότης, angustia. *Cap.* 43.

XXXIX.

IV. Corpus reliquum frigidius est atq; humidius, nisi à corde calidiore sicciore'q; ad contrariam naturam transferatur. *Cap.* 43.

XL.

Frigidi & sicci hepatis signa sunt, I. Corpus ὀλίγαιμον, pauci sanguinis *Cap.* 44.

XLI.

II. Corpus est στενόφλεβον, angustis venis præditum. *Cap.* 44.

XLII.

III. Corpus est ψυχρότερον, frigidius. *Cap.* 44.

XLIII.

IV. Hypochondria sunt ψιλὰ, glabra, nisi & hîc cor dominetur. *Cap.* 44.

Corollaria.

I.

Utrum verum, quod dicit Gal. c. 11. μικροτέχν. principia & orta à principiis se invicem indicare & de se mutuò attestari? *Affirmatur Principia enim rationem habēt causarum: orta ab ijs sunt instar effectuum Iam quemadmodū qualis causa, talis est & effectus: & vice versâ, qualis effectus, talis etiam causa: sic qualia sunt principia, talia sunt & orta à principijs: & rursus, qualia orta, talia & principia.*

An

II.

An necessariū, ut benè se habētē principio, v.g. cerebro, benè quoq; se orta habeant, v.g. sensus & motus? *Negatur. Quoniam organa sensûs & motûs à causâ aliquâ adventitiâ vel impediri suo in officio queunt, vel vitiari. Tunc enim non testabuntur de suo principio. At si cerebrum, tanquam principium, benè valeat, sintque organa sensuum & motus legitimè disposita, nimirū à nullâ causâ impedita, aut corrupta, verum est perpetuò, quòd orta de suo principio testentur. Eademq; est aliorum principiorum & ortorum ratio.*

III.

An necessariū, ut malè se habente principio, malè quoq; sit ortis? *Affirmatur. Quoniam quod orta habent, principio acceptum ferunt. Itaq; affecto principio, orta suo munere ritè fungi nequeunt.*

IV.

An necessariū, ut benè se habentibus ortis, suumq; officium facientibus, benè quoque sit principio? *Affirmatur. Nam quod orta habent, à principio acceperunt.*

V.

An necessarium, ut malè se habentibus ortis, principium quoq; malè habeat? *Negatur: quia vitium aliquod ortis accidere potest, cujus tamen causa principium non est. Sic malè quis videre, audire, olfacere, gustare, tangere potest, etiam cerebro optimè constituto. Quid ita? quoniam præter influxū à cerebro, & præter spiritum animalē*

genitum in cerebro. etiam sensoria requiruntur ad sensionem. At hæc vitij aliquid vel in temperie, vel in compositione, vel in continuitate contrahere possunt, cujus nomine sensio lædi potest, cerebro salvo existente.

VI.

Recténe dicat Gal. c. 14. 16. & 18. μικροτ. homines calidi & sicci cerebri maturè fieri calvos? *Sic videtur.* [*Calvitiū enim oritur à siccitate cutis. Siccatur autē cutis capitis in ejusmodi cerebri constitutione, & per se, à siccitate: & per accidens, à calore, qui cōsumendo humiditatem siccitatis causa est. Siccum calidumq; cerebrum minuitur quasi, & in se concidit, neq; attingit ossa sincipitis, ubi calvitium præcipuè locum habet. Unde ossa hæc, cū suâ naturâ siccißima sint, siccescunt magis, & unà cum iis cutis sincipitis. Adhæret enim ipsi cranio: neq; carnem habet sibi subditam, ut in occipite & temporibus. Quæ causa est, quòd circa hasce partes calvitium locum non inveniat:*] *quoniam cutis semper à subjectâ carne humectatur.*

VII.

Nunquid Gal. c. 21. μικροτ. rectè dicat, homines frigidi & sicci cerebri citò canos fieri? *Affirmatur: quia calor est debilis, & pituita adest multa. At canicies secundum* Gal. l. 2. de temperam. c. 5. *fit ex situ quodam ac corruptione pituitæ: estq; illius causa, ut* Aristoteles l. 5. gen. an. 4. exponit, *caloris exilitas. Unde senes canescere videmus, quos frigidos & siccos esse constat.*

An

VIII.

An hominibus frigidi & ſicci cerebri præpropere ſenectus contingat circa caput? *Ajentem tuetur* Gal.c.21.μικρολ. *Neq; deeſt ratio: quia ſecundum* Ariſtotel.5.gen.an.c.4. *ſenectus frigida eſt & ſicca. Deficiente ergò ſanguine, paupertate laborantibus ſpiritibus, & languente calore, mens hebetatur, memoria labaſcit, ſenſus obſcurantur, viſus præſertim atq; auditus, capilli evadunt cani, rugæ ſeniles arant in vultu, pallor & macies faciem occupant. In his enim ſenectus capitis conſiſtere videtur.*

IX.

Utrum varietas temperamentorum cerebri capillos quoq; variare queat? *Maximè: & quidē in colore, figurâ, copiâ, ſive multitudine, & ſubſtantiâ. Cerebrum namq;* εὔκρατον *facit, inquit* Gal.c. 13.μικρολ. *ut capilli in infantiâ ſint ſubrufi: in pueritiâ ſubflavi: in adoleſcentiâ flavi, mediiq; inter omninò ſimplices, ſive rectos, & criſpos, neq; facilè decidant.* Calida *ejusdem* δυσκρασία *in causâ eſt, ut capilli maturè erumpant, nigri ſint, criſpi, & robuſti atq; craßi, deniq; citò defluant: præſertim ſi calor multùm excedat, ſitq; cum ſiccitate copulatus: cap.* 14. Frigida *capillos producit rectos, rufos, & ſtabiles: cap.*15. Sicca *gignit robuſtos, criſpos magis, quàm rectos, facilè decidunt: unde calvitium: cap.* 16. Humida *capillos ſimplices & planos profert, calvitiumque arcet: cap.* 17. *& ſic deinceps. Cauſa eſt: quia pro diverſitate* κράσεων *cerebri ma-*

teria

teria capillorum variatur variat: quoq; efficiens ratione majoris & minoris: deniq; cutis diversimodè disponitur, quæ illud subjectum est, in quo capilli nascuntur, & ex quo illi erumpunt.

X.

Nunquid diversa cerebri temperatura actiones quinq; sensuum externorum diversificare valeat? *Omninò.* Siccum *namque cerebrum perspicacitatis & acuminis sensuum author est:* cap. 16. μικροτ. Humidum *contrà hebetudinis: cap.* 17. Calidum & humidum *vigorem sensuum obtundit: cap.* 19. Frigidum & siccum *facit, ut sensus quidem in juventute vigeant, vitioq; careãt: sed progrediente ætate citò marcescant turpidioresq; evadant:* cap. 21. Frigidum & humidum *sensus reddit hebetiores:* cap. 22. Calidum & siccum *vigorem eorundem promovet:* cap. 18. *Hujus autem varietatis causa est, spirituum animalium, qui* à *cerebro per nervos ad sensoria feruntur, diversa constitutio. Multi enim, puri, subtiles, sicci, &, ut sic loquamur, ætherei spiritus, sensus reddunt perspicaces. Pauci, vel multi quidem, attamẽ crassi, humidi, & caliginosi, eosdem obtusiores efficiunt. At priores generat cerebrum calidius, siccius & purius: posteriores, quod huic contrarium.*

XI.

Num Galenus rectè à naturalibus & animalibus actionibus signa petat, quæ nos in cognitionem temperaturarum cerebri deducant? *Petere* Galenum *ab hisce functionibus signa tempera-*

ratu-

raturarum cerebri, liquet ex cap. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. μικροτέχνης: ubi inter alia ostendit, quo pacto etiam ex actionibus principibus, sensitivis, motivis, & naturalibus, imò quoq; ex quantitate & qualitate excrementorum, resultãtium ex privatâ cerebri nutricatione, in διάγνωσιν κράσεων ejus perveniamus. Neq; id sanè immeritò. Proveniunt enim à cerebro, tanquam à principio. Atqui dictum suprà, orta de suis principiis attestari. Licet autem sensus & motus immediatè de cerebro non testentur: sed de organis, quibus exercẽtur: secundariò tamẽ & mediatè de illo testantur: quoniam organa illa, puta nervi & spiritus animales, à cerebro proficiscuntur.

XII.

Nunquid cerebri κρᾶσις varia varietatem etiam coloris & caloris in capite exteriori, nec non venarum in oculis efficere queat? *Maximè. Etenim*, cerebrum calidum *facit, ut circa caput omnia sint rubicundiora calidioraq;, & venæ in oculis sint magis conspicuæ: cap. 14. μικροτ. Ratio prioris signi est: quoniam calidum cerebrũ partes sibi adjacentes, & per contactum, & forsan etiam per spiritus, quos mediantibus nervis mittit ad exteriora, calefacit. Vt autem quæ cerebrum proximè circumstant ab ejus calore incalescunt: ita & sanguis cõtentus in venis atq; arteriis. Vnde capitis rubor. Ratio verò posterioris est triplex. I. quia venæ oculorum ob sanguinem à cerebro calidiore calefactum magis rubent. II. quia ab ejusdem calore redun-*

duntur ampliores. Sunt enim sequaces. III. quia in calido cerebro attractrix est valida. Hinc plus attrahit sanguinis quo repleta vena magis turget: ac proin magis in conspectum veniunt. Frigidum *efficit cõtrarium: cap.15. Rationes sunt dictis contrariæ.* Calidum & humidũ, *& coloris boni in facie, & caloris capitis totius, & conspicuarum venarum in oculis author est: cap. 19. Causæ patent ex dictis.* Frigidum & siccum *reddit caput ἄχρουν, καὶ ψυχρὸν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφλέβους: cap. 20.*

XIII.

Cur Galenus motivam actionem passim vocet δραστικὴν, ἢ πρακτικὴν, activam: sensitivã contrà παθητικὴν, passivam? *Sic vocare eum has actiones, tùm ex aliis locis, tùm etiam ex* Cap. 11. *μικροτ. liquet, ubi ferè in fine nervos dispescit in αἰσθητικοὺς, qui inserviunt sensibus, & in πρακτικοὺς, qui motui commodant. Nervos enim, qui motui famulantur, propterea πρακτικοὺς appellat, quòd actioni ejusmodi conferant, quæ non sit πάθος, passio: sed potiùs πρᾶξις, actio quædam. Causa verò est: non quòd sensio pura puta passio sit: sed quòd motiva tota in actione consistat: in sensione autem passio & actio concurrant. Passio quidẽ: quia fieri nequit sensio, nisi priùs sensorium à sensili alteretur & afficiatur. Actio verò: quoniam ad sensationem etiã requiritur alterationis dignotio. Breviter. Ut sensio fiat, necessaria est sensilis receptio, à quo alteratur sensorium: & recepti sensilis dijudicatio. Illa est passio: hæc actio.*

XIV.

An non etiam in actione motivâ præcedat quædam alteratio, & per consequens quædam passio: cùm appetitus moveatur ab objecto? *Verum quidē est, quòd ante motum etiam appetitus moveatur. Nam nisi ab objecto, quod bonum aliquod esse statuitur, idque aut* ὄντως, *aut* φαινομένως *solùm bonum, appetitus moveatur, motus animalis fieri non solet. Tamen* ὄργανα *motûs non alterātur, sicut* ὄργανα *sensuū: sed facultas appetens, nullâ factâ in motûs instrumentis alteratione, motū efficit. Vnde actio motiva mera, pura, & in solidū actio est: hincq;* κατ' ἐξοχὴν πρακτικὴ *à* Galeno *dicta. Sensatio verò* πάθος, *paßio est, propter causam anteà allatam: quoniam ipsum quoque organum ab objecto aliquid patitur. Fit enim sensio recipiendo.*

XV.

Utrum cerebrum suâ κράσει etiam aliquid ad somnum conferat? *Affirmativa placet Galeno. Nam* cap. 15. μικροτέχν. *ait, frigidū cerebrum facere homines somnolentiores.* Cap. 17. *inquit, humidū cerebrum causam esse somni multi ac profundi.* Cap. 19. *dicit, calidum & humidum cerebrum efficere, ut homines diu vigilare nequeant, & cùm se ad somnum converterint, simul gravi somno tentētur ac vigilent, somniaq; habeant imaginationibus plena.* Cap. 22. *scribit, frigidum humidúmq; cerebrum in causâ esse, ut homines gravi somno tententur, & ad somnū facilè convertantur.* Cap. 16. *monet, siccum cerebrum vigilias promovere. Ratio est:*

quo-

quoniam frequentißima somni causa est humiditas, quæ vias, per quas sentiēdi vis ad sensûs motusq́ organa fertur, occludit: unde quies oritur functionum animalium. At humiditates superfluæ abundant in cerebro humido ac frigido, non item in calido & sicco. Itaq; rationi consonum est, illud somnum promovere: hoc illum arcere.

XVI.

Sitné per somnum cor, an cerebrum affectū? *Aristoteles dicit cor: quoniam credidit, hoc esse πρῶτον αἰσθητικὸν. Sed malè: quia nervorum origo non est: ut docet Anatome. Deinde, quia illius partis actiones, quæ per somnum quasi ligata est, cessant & feriantur. At tantùm abest, ut cordis actio somni tempore cesset, ut etiam tùm validior ac vehementior deprehendatur: idq; ob caloris & sanguinis revocationem ad interiora. Ideoq́; verior est sentētia* Galeni, *qui statuit, cerebrum in somno pati. Hoc enim πρῶτον est αἰσθητικὸν: quia nervorum principium. Hujus actiones somni tempore intercipiūtur: idque propterea, quoniam spiritui animali viæ sunt præclusæ, quò minùs ad sensûs motusque instrumenta pertingere possit.*

FINIS.

Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XII.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

DOMINICO CHABRAEO Genevensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

CAlidorum testiculorum temperatura est I. ἀφροδισιαστικὴ, ad venerem proclivis. *Cap.* 45.

Signa simplicium temperaturarum Testiculorum.

II.

II. Ἀῤῥενογόνος, masculorum generatrix. *Cap.* 45.

III.

III. Γόνιμος, fœcunda. *Cap.* 45.

IV.

IV. Ταχέως δασύνει τὰ γεννητικὰ μόρια, genitales partes maturè admodùm pilis obsepit. *Cap.* 45.

V.

V. Simul autem & circumjacentes partes pilis investit. *Cap.* 45.

VI.

Frigidorum testiculorum κρᾶσις contraria efficit. *Cap.* 45.

VII.

Humidorum temperatura est I. πολύσπερμος, multo semine abundat. *Cap.* 45.

VIII.

II. est ὑγρόσπερμος, humido referta semine. *Cap.* 45.

IX.

Siccorum temperies I. eſt ὀλιγόσπερμος, paucum generat ſemen, *Cap.* 45.

X.

II. Μετρίως παχύσπερμος, modicè craſſum ſemen gignit. *Cap.* 45.

XI.

Signa compoſitarũ temperaturarum Teſticulorum.

Calidorum & ſiccorum teſtium temperatura I. eſt παχυσπερμοτάτη craſſiſſimum ſemen producit. *Cap.* 46.

XII.

II. Γονιμωτάτη, fœcundiſſima eſt. *Cap.* 46.

XIII.

III. Τάχιστα πρὸς συνουσίαν ἐπεγείρει τὸ ζῶον εὐθέως ἐξ ἀρχῆς, celeriter ab initio protinùs ad congreſſum connubialem excitat animal: h. e. ſtatim poſt annos pueritiæ, cumprimùm ſcil. ſemen generari incipit, ad Venerem inſtigat. *Cap.* 46.

XIV.

IV. Δασύνει τάχιστα τὰ γεννητικὰ μόρια, genitales partes citò admodùm hiſpidas reddit. Neque tantùm has partes, ſed etiam circumſtantes: ſuprà quidem, uſq; ad umbilicum: infrà verò, uſq; ad media femora. *Cap.* 46.

XV.

V. Ὁρμητικὴ ἡ τοιαύτη κρᾶσις ἱκανῶς ἐστὶ ἀπ' ἀφροδίσια, petulca eſt & ad libidinem prona hujuſcemodi temperatura. *Cap.* 46.

VI. Ta-

XVI.

VI. Τάχιστα ἐμπιπλαμμένη, statim Venere satiatur: &, si cogatur, offenditur. *Cap.* 46.

XVII.

Calidorum & humidorum testium signa sunt sequentia. I. Homines minùs sunt λάσιοι, hirsuti. *Cap.* 47.

XVIII.

II. Sunt πολύσπερμοι μᾶλλον, plus semine abundant. *Cap.* 47.

XIX.

III. οὐκ ὀρέγονται μᾶλλον, non plus cæteris Venerem appetunt. *Cap.* 47.

XX.

IV. Ἐξαρκοῦσι, ἀβλαβέστερον ἀφροδισίοις πλείοσιν, minori detrimento Venereis præter modum indulgent: h. e. minùs læduntur, quàm alii, si maximè Venere utãtur immoderatiùs. *Cap.* 47.

XXI.

V. Quod si caliditas & humiditas testium auctæ fuerint magis, h. e. si exciterint intensiores, οὐκ ἀβλαβῶς ἀπέχονται τῶν ἀφροδισίων, non sine detrimento à Venere abstinent. *Cap.* 47.

XXII.

Frigidorum & humidorum testium signa sunt, I. partes circumpositæ sunt glabræ. *Cap.* 48.

XXIII.

II. Homines βραδέως ἄρχονται ἀφροδισιάζειν, tardè Venerem exercere incipiunt, neque ad actum Venereũ sunt ὁρμητικοὶ, proni atq; proclives. *Cap.* 48.

XXIV.

III. Semen ipsis est ὑδατῶδες καὶ λεπτὸν, aquosum & tenue. *Cap.* 48.

XXV.

IV. Semen est ἄγονον, infœcundum. *Cap.* 48.

XXVI.

V. Est θυλυγόνον, fœminarum generativum. *Cap.* 48.

XXVII.

Frigidorum & siccorum testiculorum temperatura similis quidem in cæteris est antedictæ, humidæ scil. & frigidæ: semen verò gignit παχύτερον, crassius, καὶ παντάπασιν ὀλίγον, atque omninò paucum. *Cap.* 49.

COROLLARIA.

I.

AN cor vitalis facultatis sit sedes ac domicilium? *Affirmatur. Intelligitur autem per vitalem facultatem ea, quæ vitales gignit spiritus. Hos autem in corde generari multa docent. Nam præter efficientem materiam, locum, & canales, per quos spiritus illi geniti diffunduntur in reliquum corpus, nihil in corde reperitur.* Materia *namque aër est, quem suppeditat arteria venosa: partim sanguis: isq; duplex: venosus, quem suggerit vena cava & est materia remota, & arteriosus, qui in sinistro cordis ventriculo generatur, & est materia propinqua.* Efficiens *est* ἰδιοσυγκρασία, *quæ paren-*

chyma-

chymati cordis inhæret. Locus, sive ἐργαστήριον, est sinister cordis ventriculus. Canales, per quos spiritus procreati ablegantur in totum corpus, sunt, truncus arteriæ magnæ ejusq; propagines.

II.

Utrum reverà vitalis facultas detur? Omninò: eáq; confirmatur I. ex organorum structurâ: II. ex operatione ipsâ: III. ex fine ac necessitate, sive usu. Organa sunt cor & arteriæ: quæ sanè neq; facultati naturali inserviunt: quoniam illa suis est instructa organis: neq; animali: cùm & hæc suos habeat nervos ac spiritus. Cor prætereà mirabili structurâ præditum est, & tali quidem, quæ tùm ad immissionem, tùm emissionem apta est atq; accommodata. Situm insuper in medio ferè corporis, ut omnibus adesse posit partibus. Operatio est spiritûs vitalis generatio. Hujus enim causâ cor indesinenter contrahitur & dilatatur: qui sanè motus animalis non est: quoniam non est προαιρετικός: neq; ad naturalem facultatem pertinet: quoniam hæc omnibus animalibus atq; stirpibus inest: motus iste nequaquam. Dein, quia facultas ista corporis duntaxat nutritioni, accretioni, & generationi est addicta. Usus deniq; & necessitas summa est: quoniam corporis tuetur integritatem, &, ne putrescat, facit. Vnde rectè dictum à quibusdam, hanc vim datam esse corpori pro sale, ne putrescat. Hæc enim una omnem interitûs perniciem retundere, arcere, ac præcludere valet. Quomodo? Calorē ventilando, fuligines expellendo, insitos spiritus fovēdo ac conservando.

III.

An eadem vitalis facultas sit ab animali & naturali distincta? *Ita sanè Medicis videtur. Et potest hoc probari ex diversitate effectuum, organorum, finis, sive usûs, denique corporum, quibus hæ facultates insunt.*

IV.

Utrum cor omnium animæ facultatum sedes sit? *Non hîc quæritur, an omnes animæ facultates cordi, tanquam subjecto, insint? Inesse enim, inde liquet, quia anima est in toto, & in quavis illius particulâ. Itaque, cùm anima sit fons, origo, causa & principium omnium facultatum, minimè dubium, quin, ubi anima est, ibi & omnes illius facultates existant. Sensus quæstionis est, an facultates omnes cordi insint radicaliter, originaliter & principaliter, tanquam ejusmodi membro, quod solum principatum gerat in corpore: cæteris verò partibus tantùm participativè, sive communicativè?* Aristotelici *affirmant:* Medici *negant. Nos distinguendum putamus. Est cor animalium & naturalium facultatum sedes ac principium remotū ac mediatum quoniam partes ad has actiones obeundas opus habent calore & spiritu à corde influente: non autem proximum & immediatum. Hinc videmus, corde affecto in syncope, leipothymiâ, febribus malignis ac pestilentialibus, abscessibus, vulneribus & ulceribus, reliquarum omnium partium actiones lædi: nunc magis, nunc minùs, prout vel magis, vel minùs cor afficitur. Rursùs observamus,*

ani-

animales actiones offendi, offenso cerebro, licet cor sit illæsum: & naturales vitiari, vitiato hepate, quamvis cordi nulla sit noxa illata.

V.

Sitnè cordis motus animalis, an naturalis? *Animalis non est: quoniam non est positus in nostro arbitrio. Scribit enim* Galenus l. 2. de motu muscul. c. 5. *motum animalem esse illum, quem pro voluntatis imperio cohibere & excitare: celeriorem item, aut tardiorem: crebriorem, aut rariorem facere possumus. At hoc præstare in pulsu, qui motus cordis est, non licet.* Naturalis *dicitur tribus modis. I. qui à solâ naturâ & forma elementari perficitur. Hoc motu gravia decidunt: levia tolluntur in altum. II. qui violento opponitur, & est is, qui κατὰ φύσιν fit: quoniam violentus est παρὰ φύσιν. III. qui voluntarius non est. Hoc tertio modo motus cordis naturalis dicitur: quia proficiscitur ab animæ facultate vitali, quæ à voluntate nostrâ non dependet: & tamē secundum naturam agit. Naturalis est etiam modo secundo, quatenus violentus non est, sed κατὰ φύσιν. Sed per hunc modum non distinguitur à voluntario & προαιρετικῷ quoniam & iste naturalis dici potest, cùm se secundum naturā habet. Primo verò modo naturalis appellari nequit: quoniam à solâ natura & formâ elementari prodiret: & continuaretur etiam post mortem: cùm natura & forma elementaris etiam post mortem in cadavere sit superstes. At vitâ extinctâ, pulsus statim cessat.*

VI.

Recténe Ariſtoteles pulsûs cauſam explicet? *Ariſtoteles, l. de Reſpirat. c. 20. ſcribit, cauſam pulsûs eſſe calorem cordis. Hunc enim continuam efficere ebullitionem humoris, ſeu ſanguinis ſpirituoſi in corde & arteriis contenti. Quemadmodum enim aqua in ollâ ad ignem ebulliens, ob virtutem halituum, in quos à calore attenuata continuè cõvertitur, alternis vicibus modò attollitur, modò ſubſidet: ita arbitratur ſanguinem in corde ebullientem per vices modò attolli, modò ſubſidere: atq; inde etiam fieri, ut arteriæ, in quibus ejusmodi ſanguis continetur, per vices modò dilatentur & eleventur, modò contrahantur ac deprimantur. Ait enim expreſsè, pulſum, quem σφύξιν nuncupat, ſimilem eſſe ζέσει, fervori, ſive ebullitioni. At ζέσις ſit, πνευματȣμένȣ τȣ͂ ὑγρȣ͂ ὑπὸ τȣ͂ θερμȣ͂, cùm humor caloris operâ inflatur. Propterea enim ſe attollit, quòd in molem aſſurgat ampliorem. Ex quo concludit, pulſum quoq; πνευμάτωσιν eſſe τȣ͂ ὑγρȣ͂ θερμαινομένȣ, humoris concaleſcentis inflationem. Quòd verò calor pulsûs & ζέσεως iſtius cauſa ſit, ex eo probat, quoniam videmus, juvenes vegetiores validiorésq; edere pulſus, quàm ſenes. Vehementior enim illis calor eſt, quàm ſenibus: ac propterea etiam major ſanguinis fervor.* Nos Ariſtoteli I. *concedimus, calorẽ pulsûs cauſam eſſe, ſed finalem, nõ efficientẽ. Pulſus enim tùm propter cauſas alias, tùm etiã propter iſtam inſtituitur, vt calor cordis ventiletur: per ſe quidẽ in διαςολῇ, quâ frigidus aër hauritur:*

per

per accidens verò in συστολῇ, quâ fuligines expelluntur. *Imò etiam* eidem Philosopho 2. *largimur, calorem, vt aliarum actionum omnium, ita quoque pulsûs causam esse efficientem: non quidem principalem, de quâ hic quæritur: sed tantùm ministrantem.* Τὸ γὰρ θερμὸν, *inquit* idem l. 2. part. animal, c. 7. ὑπηρετικώτατον τοῖς ἔργοις τῆς ψυχῆς, *calor enim ad exequenda animæ officia omnium maximè administrandi vim habet. Inficias enim imus, calorem primariam pulsûs efficientem causam esse: & tantum quidem calorem, qui ebullitionem & effervescentiam sanguinis faciat in ventriculis cordis. Sic enim actio hæc non esset opus facultatis vitalis, quæ alias etiam σφυγμικὴ, pulsifica nominatur. II. quia calor cordis perpetuò præternaturalis foret. Nam qui ebullitionis & effervescentiæ sanguinis author est, febrilis esse videtur: qualis observatur in synocho non putridâ. III. quia cor per se non moveretur, sed per accidens: nimirùm ad ebullitionem sanguinis, quam cor calore suo procurat. Videtur enim* Philosophus *velle, ebullire sanguinem, quoniam à calore attenuatur, & in spiritum convertitur: qui virtute spiritus istius per vices modò attollatur, modò subsideat. Necesse igitur est, vt unà cum sanguine ebulliente etiam cor & arteriæ per accidens eodem contractionis & dilatationis motu moveantur. IV. quia cor & arteriæ eodem motu minimè moverentur. Vix enim fieri posse videtur, ut eodem momento, quo cor vi sanguinis ebullientis dilatatur, simul etiam arteriæ omnes dilatentur.*

Num

VII.

Num arteriæ & cor uno eodémq; motu, & quidem uno eodémque tempore moveantur? *Credimus, dilatato corde, dilatari arterias: & eodē contracto, etiam arterias contrahi. A nostris partibus præter authoritatem* Galeni *habemus experiētiam & rationem. Experientiam quidem: quoniam in vivorum animalium sectionibus similis planè arteriarum & cordis systole & diastole observatur: & si una manus cordis regioni, altera carpo admoveatur, utrobiq; similis sentietur pulsatio. Rationem verò: I. quia arteriæ non aliunde moventur, quàm à sphygmicâ facultate cordis. Itaque dilatato corde, dilatantur & arteriæ: contracto corde, cōtrahuntur quoq; arteriæ: & cessante cordis motu, cessat etiam omnis arteriarum motus. Influit enim sphygmica cordis potestas in tunicas arteriarum. Quare, nō alio & dißimili motu cieri possūt. II. quia quæ cohærent & continua sunt, eorum si unum movetur, movetur & alterum: & quo motu movetur principium, eodem & principiatum moveri solet. At cor & arteriæ cohærent, ac continua sunt corpora: estq; cor principium, arteriæ principiata: quoniam* ῥίζωσις *earum in corde est. Itaq; moto corde, moventur arteriæ, & quidem simili planè motu.*

VIII.

An cor rectè dicatur partes corporis vivificare? *Non eâ sanè ratione, quasi vivendi aliquam facultatem partibus communicaret, aut animam ipsis inspiraret. Anima enim tota est in toto, & in*

qua-

quavis illius particulâ. Et qualibet pars proprio vivit calore. Sed propterea cor vivificare partes corporis dicitur, quoniam singulis spiritum vitalē, & unà cum illo calorem, adhæc & sanguinem largitur: ut & spiritus calórque innatus, & humidum primigenium, quantum licet, conservetur. Calor enim aßiduè dißipatur: & humidum jugiter à calore consumitur Ante tempus igitur animal interiret, nî focus esset, unde suppeditarentur subsidia, quibus & calor, & spiritus, & humidum complantatum custodiretur. Per accidens igitur cor partes vivificare dicitur, quoniam conservando partium reliquarum calorem, spiritum & humorem, quo vivunt, facit, ut partes in vitâ maneant.

IX.

An cor sit musculus? Sic illud appellat Hippocr. l. de Corde: & quidem musculū κάρτα ἰσχυρὸν, valdè fortem: ὐ τῷ νεύρῳ, ἀλλὰ πιλήματι σαρκὸς, non nervo, sive tendine: sed densitate & constrictione carnis. Verùm musculus est, non κυρίως, sed ἀναλογικῶς, quia simile aliquid musculo habet. Cōtrahitur enim & extenditur, habetque carnem fibrosam, ac rubram, ut musculus. Verè autem musculus non est. Musculus enim movetur voluntariè: cor nequaquam. Musculus semper inseritur in aliquam partem movendam: cor minimè. Musculi actiones cessant aliquando: præsertim in dormientibus, solius diaphragmatis exceptis: idque ob respirationis neceßitatem: cordis motus durant usque ad ultimum vitæ spiritum: validiorésque sunt in dor-

mien-

mientibus, quàm vigilantibus. Musculi habent villos, sive fibras unius generis: aut si habent generis varij, ut pectoralis, & trapezius, qui cucullaris scapulæ dicitur, distinctæ tamen sunt illæ, & nō in unâ eadémq; musculi parte sitæ. Cordis fibræ ita confusæ sunt & intertextæ, ut secerni nequeant: apparéntque in eadem cordis particula tria fibrarum genera.

X.

An cor sit naturâ calidum? Videtur frigidum naturâ suâ esse: quia partibus constat exanguibus & frigidis: fibris scil. nervis, venis, arteriis amplissimis, auriculis, membranis, valvulis, quæ membranosæ. Copiosa quoq; ejus basi pinguedo circumfusa. Calidum autem per accidens: nimirùm ob perennem motum, & contentorum calidorum copiam, sanguinis videlicet arteriosi & spirituum vitaliū. Verùm, calidum est, & omnium quidem viscerum calidissimum: attestante totâ Physicorum & Medicorum scholâ: I. quia si immittatur digitus in recens dissecti cordis ventriculum sinistrum, imò & in dextrum, intensus percipitur calor. II. quia viscus est sanguineum. III. quia author sanguinis & spiritûs vitalis, quæ corpora à frigido generari mēbro nequeunt. IV. quia suprà dictum, calorem singulis insitum partibus esse fugacem, & dissipari: spiritus item exhalare. Focum igitur esse decuit, unde calor & spiritus manarent, & in reliquum corpus derivarentur. At focum istum cor esse, & situs, & structura, & contenta, & canales cordis, qui in to-

in totũ corpus distribuuntur, docẽt. Hi enim, inquit Hipp. l. de corde sunt πηγαὶ φύσιος ἀνθρώπου, fontes humanæ naturæ: & hîc flumina sunt, quib universũ corpus irrigatur. Qui fontes & flumina vitã homini conferunt: (τὴν ζωὴν φέρουσι τῷ ἀνθρώπῳ:) & ubi resiccata fuerint, interire hominẽ necesse est.

XI.

Uter ventriculus cordis nobilior: dexter an sinister? Præeminentiã habet dexter, ratione sitûs. Dignior autem sinister est ratione actionis & officij: addo & ratione contentorũ. Sinister enim toti corpori prospicit, & in id per arteriam magnã sanguinem spiritusq; vitales infundit. Dexter servire pulmoni videtur. Famulatur quoq; sinistro, sanguinem ex venâ cavâ haustum illi præparando. Sinister purissimũ sanguinem subtilissimosq; spiritus cõtinet, quos etiam generat. Dexter in se sanguinem habet crassum, à venâ scil. cavâ sibi suppeditatũ. Sunt ergò contenta sinistri nobiliora dextri: & per consequens ipse quoq; sinister sinus præstantior dextro.

XII.

Sitnè cor in passivis qualitatibus humidum, an siccũ? Respectu cutis humidum dicitur: quia cute mollius est. Respectu verò reliquorũ viscerum siccũ: quoniam carne duriore, densiore, solidioreq; cõstat. Quo nomine Hipp. l. de corde asserebat, cor musculũ esse fortem, nõ nervo, sed densitate carnis. Oportebat autẽ cor tali præditũ esse carne: ne calor ocyùs evanesceret, sicut evanescere facilè solet in corporibus raris & porosis: ne spiritus vitales, qui

sunt

sunt subtilißimi, exhalarent: ne deniq;, cùm in perpetuo versetur motu, facilè rumperetur.

XIII.

Nunquid cor graviores sustinere affectus queat? *Aristoteles scribit* l. 3. part. an. c. 4. *cor nullũ gravem sustinere affectũ.* Galenus l. 1. loc. aff. c. 5. ait, *cor abscessum pati non posse.* Paulus Aegineta *docet, cordis affectus immaturam & præcipitem adferre mortem.* Plinius *l.* 11. *c.* 37. *dicit, solũ cor vitijs minimè macerari, nec vitæ supplicia trahere graviora, læsumq; mortem causare præsentaneam. Ratio est: quia vitæ principium est. Ideóq; tanta ejus dignitas ac neceßitas, ut graviùs ægrotare, sine interitu animalis, non poßit. Vnde & vulnera ejus* Hipp. aph. 18. s. 6. *lethalia pronunciat: cui subscribunt* Avicenna l. 4. can. fen. 4. tr. 1. c. 2. & Celsus l. 5. c. 26. *Contrà, quòd cor graviores tolerare poßit affectiones, ostendunt syncopæ, febres ardentes, malignæ, & pestilentiales, παλμοὶ, imò & vulnera, & abscessus, & morbi alij: quorum exempla recenset* Schenckius in observat. *Respondemus, raro accidere, ut corde magno aliquo affectu obsesso, animal evadat. Si evadit, beneficio naturæ evadit, quæ valida erat atq; robusta. Vt enim in natura, sic quoq; aliquando & in morbis monstra accidunt, ac præter opinionem etiam illi restituuntur, qui pro deploratis habebantur.*

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XIII.


In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,


PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente
BARTHOLOMAEO SCHOBINGERO,
Sangallo-Helvetio.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





Thesis I.

DEbuisset *Galenus* in tractatu de SIGNIS I. generalem eorum tradere doctrinam, & differentias signorum explicare: 2. specialem subjungere, & quamlibet temperaturam ac constitutionem per sua signa patefacere: incipiendo à signis têperaturarum corporis totius, & progrediendo ad signa temperaturarum singularum partium, quarum causâ corpus salubre, aut insalubre fieri potest. Verùm hunc ordinem per omnia non servavit: sed I. quidem generalem doctrinam proposuit *cap.* 7. deinde specialem subjecit: & optimam quidem totius corporis κατασκευὴν declaravit *cap.* 8. Reliquis autem capitibus, usq; ad *cap.* 50. non de totius constitutione ab optimâ illâ recedente: sed de principalium partiũ, Cerebri, Cordis, Hepatis & Testiculorum temperaturarum indiciis egit: hacq; doctrinâ finitâ, ad signa temperaturarum totius corporis rediit: adeò ut interruptio quædã doctrinæ de totius corporis διαθέσει facta videatur.

II.

Causa autem hujus interruptionis hæc esse

putatur: quoniam totius corporis temperatura principalium partium, cordis præcipuè & hepatis, temperaturam sequitur: quemadmodum *cap*.41. dictum.

III.

Cùm ergò principes partes totum corpus regant, idq; in qualitatibus simile sibi reddãt: ideò de signis totius corporis agere non potuit, nisi explicatis naturis principiorum corporis nostri.

IV.

Revertitur ergò *Galenus* jam ad institutum, & signa persequitur temperaturarum totius corporis, quæ quidem adhuc in sanitatis latitudine comprehenduntur.

V.

Antequam verò rem ipsam aggrediatur, quædam documenta præmittit, quæ ad insequentium meliorem faciliorémq; intelligentiam necessaria videntur. I. est: quarumnã potissimum partium κράσιν habitûs corporis totius temperatura sequatur? II. quid propriè per corporis habitum intelligatur? III. quid hîc observandum, ut signa, quæ proponentur, veritatem habere perspiciatur?

Signa simpliciũ temperaturarum habitûs totius corporis.

VI.

Dictum fuit suprà, nimirùm in fine *cap*. 41. temperiem habitûs totius corporis sequi naturam cordis & hepatis. *Cap*. 50.

Pro-

VII.

Proinde, ſi amborum viſcerum qualitates conſpirant, habitus totius corporis iis in temperaturâ aſſimilabitur: h. e. calidus erit, ſi utrũq; principium fuerit calidius: frigidus autem, ſi principia hæc frigidiora extiterint. *Cap.* 50.

VIII.

Quod ſi membra hæc in qualitatibus inter ſe diſſenſerint, tùm ſimilior erit corporis habitus illi, quod unam aliquam ex primis qualitatibus, quas δραστικὰς, effectivas appellant, σφοδροτέραν, vehementiorem potentiorémque habet. *Cap.* 50.

IX.

Si enim (addimus nos) cor plus habuerit in calido, quám hepar in frigido: aut contrà, plus in frigido, quàm hepar in calido, tùm corporis habitus potiùs temperaturam cordis, quàm hepatis ſequetur. Ratio eſt: quia cordis δραστικὴ ποιότης eſt σφοδροτέρα.

X.

Cæterùm, habitus totius corporis in illis maximè conſiſtere partibus dicitur, ὅσαι θεωμένοις ὑποπίπτουσι πρῶται, quæ primæ oculis ſubjiciuntur. *Cap.* 50.

XI.

Tales verò ſunt μύες, ἔτοι πᾶσι τοῖς ὀστοῖς περιβεβλημένοι, muſculi, qui oſſa omnia ambiunt. Et ſunt σύνθετοί τινες σάρκες, ἔκ τε τῆς ἁπλῆς καὶ πρώτης σαρκὸς, carnes quædam compoſitæ ex

mâ ſimpliciq;carne & fibris,quas caro illa convestit,ſeu quibus illa innaſcitur. *Cap.* 50.

XII.

Propria enim muſculorum ſubſtantia ex duobus iſtis principiis eſt conflata. Nam vaſa, quæ ad ipſos pertingunt muſculos, veluti ὀχετοὶ, canales quidam ſunt, οὐ συμπληροῦντες αὐτῶν τὴν οὐσίαν, qui non ſubſtantiam eorum complent: ἀλλ' ὑπηρετοῦντες εἰς διαμονὴν, ſed qui ea ſubminiſtrant, ut muſculi in vitâ maneant *Cap.* 50.

XIII.

Habitûs igitur totius corporis temperatura declaranda jam eſt Priùs verò obſervandum, quòd ſigna, quæ tradentur, valeant veritatémq; habeant in iis, qui εὔκρατον οἴκησιν, temperatam incolunt regionem. Δύσκρατος namque cutim immutat, & nativam ejus formam, quæ à cauſis internis proficiſcitur, corrumpit, alienamq́; illi imprimit. *Cap.* 50.

XIV.

Hinc fit, ut certa habitûs corporis indicia à calore, mollitie ac duritie deſumi nequeant. Rectè enim de illius κράσει judicaturi, ſigna ab internis & naturalibus cauſis proficiſcẽtia habere debemus: non aliena & adventitia, quæ à cauſis externis prodierunt.

XV.

Quod ſi homo in temperatâ maximè regione vivat: tamen æſtivo tempore nudum ſe Soli exponat, denigrabitur ſanè, quacunque etiam

ſit

ſit temperaturâ præditus: & cutis illius ſiccior duriorq; evadet: atq; ſic non complexioni naturali atteſtabitur: cùm non ab internâ, ſed ab externâ causâ iſthæc alteratio proveniat. *Cap.* 50.

XVI.

Si verò regio ſit εὔκρατος, & homo εὐκράτως διαιτῶται, moderatam victûs rationem ſervet: neque nudum ſe quotidiè in Sole plurimùm torrefaciat: neque Virginum in modum perpetuò degat in umbrâ: in eo etiam certa atque exquiſita κράσεως indicia elucebunt. *Cap.* 50.

XVII.

Moderatæ temperaturæ habitûs corporis indicia, quam Galenus σύμμετρον vocat, ſunt ſequẽtia. I. ἡ χροιὰ ἐξ ἐρυθροῦ καὶ λευκοῦ συμμιγής, color ex albo & rubro mixtus. *Cap.* 51.

XVIII.

II. αἱ τρίχες ξανθαὶ μετρίως, καὶ οὖλαι τὰ πολλὰ, pili ſunt mediocriter flavi, & utplurimùm criſpi. *Cap.* 51.

XIX.

III. συμμετρία σαρκώσεως ἐν ποσότητι καὶ ποιότητι. Eſt enim hujuſmodi corpus ἀκριβῶς μέσον inter omnes exceſſus: ut qui ad ipſum dicantur & cognoſcantur. *Cap.* 51.

XX.

Nam nullum corpus dicitur craſſum, tenue, pingue, macilentum, durum, molle, glabrum, hirſutum, niſi ad id relatum, tanquam reliquo-

rum omnium exemplar: ut quod ad summum omnis mediocritatis perveniat, non secus ac Polycleti regula: adeò ut tangentibus neq; sentiatur molle, neq; durum, neq; calidum, neque frigidum. Inspicientibus verò, neq; hirsutum, neq; glabrum omninò, neq; crassum, neq; tenue, neque alio aliquo vel excessu, vel defectu appareat. *Cap.* 51.

XXI.

Calidioris habitûs corporis, mediocritatem verò in humiditate & siccitate servantis, signa sunt ista.

XXII.

I. Natura hæc quantum attinet ad γένος σαρκῶδες, genus carnosum, tangentibus tantò calidior apparet, quantò excessus in calore est major. *Cap.* 52.

XXIII.

II. Tantò magis hirsutum est, quantò & calidior. *Cap.* 52.

XXIV.

III. Eò minùs pinguedinis habet natura ista, quò est calidior. *Cap.* 52.

XXV.

IV. Color cutis est ruber. *Cap.* 52.

XXVI.

V. Pili sunt nigri. *Cap.* 52.

XXVII.

Frigidioris habitûs corporis signum I. est, quod homines sint ἄτριχες, glabri. *Cap.* 53.

II.

XXVIII.

II. quòd πιμελώδεις, pingues ac obesi. *Cap.* 53.

XXIX.

III. quòd ψυχροὶ ἁπτομένοις, tangentibus appareant frigidi. *Cap.* 53.

XXX.

IV. quòd color ipsis sit πυῤῥότερος, fulvior, seu rufus magis: qui color vergit ad albedinem. *Cap.* 53.

XXXI.

V. quòd pili similiter sint πυῤῥότεροι. *Cap.* 53.

XXXII.

Quodsi frigiditas excesserit, color eorum lividus quodammodò est, (πελιδὸς: quem nonnulli Medicorum plumbeũ appellare consueverunt. Hinc homines tali habitu donati μολυβδοχρῶτες dicuntur. *Cap.* 53.

XXXIII.

Siccioris habitûs signum I. est corporis gracilitas. Estq; hæc tantò major, quantò intensior est siccitas. *Cap.* 54.

XXXIV.

II. corporis durities: quæ rursùs eò vehementior est, quàm in bonâ temperaturâ, quò major est siccitas. *Cap.* 54.

XXXV.

In reliquis autem eodem modo se habet: h. e. in qualitatibus activis & pilis perinde se habet, ut bona temperatura. *Cap.* 54.

XXXVI.

Neque enim necesse est, (addimus nos contextui:) ut musculosi generis constitutio, vel justo sit calidior, vel frigidior: cùm siccitas cum utriusq; qualitatis moderatione copulari queat. Pili quoq; non multùm variantur. Nam licet siccitas calori associata ad pilorum generationem non parùm conducat: sola tamen pilos haud magnoperè mutat. Hoc enim caloris est: qui aliâs magis, aliâs minùs materiam eorum adurit.

XXXVII.

Humidior habitûs ἐυκράτῳ I. est σαρκώτερος, carnosior. *Cap.* 55.

XXXVIII.

II. est μαλακώτερος, mollior. *Cap.* 55.

XXXIX.

III. In reliquis, h.e. in qualitatibus activis, colore, & pilis, habitus iste τῷ ἐυκράτῳ παραπλήσιος est, similis.

Corollaria.

I.

An calido existente corde respiratio sit magna? *Ita videtur* Galeno *c.* 29. μικροτ. *dummodò virtus movens satis sit valida, quæ altè attollere thoracem possit. Magna quippe illa dicitur respiratio, in quâ thorax altè elevatur, & copiosus aër inspiratur: ac profundè rursus deprimitur, ma-*

gnaq;

gnaq́; fuliginum copia expellitur. Fundamentum verò assertionis est: quoniam cordis calor ventilari debet. Ad hanc autem ventilationem cumprimis respiratio comparata est. Itaq;, quò intensior est cordis calor, eò majori refrigerio opus est. Atqui ad hoc præstandum accommodatissima respiratio est: tùm per se: tùm per accidens. Per se quidem, cùm thorax elevatur, & aër frigidus inspiratur. Per accidens verò, cùm contrahitur, & fuligines extruduntur. Hæ enim si retinerentur, calorem accenderent, tandemq́; prorsus suffocarent, quemadmodum ignem in foco & fornace à copiâ fumidorum vaporum suffocari videmus.

II.

Num calidior cordis constitutio pulsum faciat velociorem ac frequentiorem? Omninò teste eodem Galeno loco cit. quia usus & necessitas talem requirit. Nam quò velociùs ac frequentiùs arteriæ dilatantur, eò plus aëris attrahitur: & quo velociùs frequentiusq́; eædem cõtrahuntur, eò plus fuliginum evacuatur. At uterq; motus magis cordis fervorem contemperat, quàm contrarius. Per se quidem διαστολῇ: per accidens verò συστολῇ. Dicitur autem velox pulsus, qui brevi tempore tùm διαστολὴν, tùm συστολὴν absolvit. Frequens, sive creber, qui sæpè & brevi quietis intervallo arteriam movet, tactumq́; ferit. Illi opponitur tardus: huic rarus. Velocitas autem in uno tantùm: frequentia in pluribus pulsibus, sibi invicem succedentibus, spectatur.

An

III.

An cor calidius totum quoq; corpus reddat calidius? *Ajentem defendit* Galenus loc. alleg. *sed cum hac limitatione, nisi hepatis intemperies* μεγάλως *obstiterit.* Prioris dicti ratio est: *quia cor* ἐργαστήριον *est sanguinis & spiritûs vitalis. Quò igitur calidius est, eò calidior quoq; est sanguis & spiritus: & consequenter etiam calidius redditur reliquum corpus: cùm utrumq;, & unà cum utroq; etiam calor reliquo corpori communicetur. Quod autem cordis calor toti quoq; corpori impertiatur, clarè satis febres docent: quæ calidæ sunt & siccæ cordis intemperies. Atqui ista in reliquas quoque corporis partes manat.* Posterioris dicti ratio est: *quia fieri potest, ut cor quidem calidum sit; jecur autem frigidum. Ideoq; dissentientibus hisce principiis, remißior calor in corpore deprehenditur, quàm si utrũq; viscus calidius esset. Cur verò hepar obsistat cordis caliditati causa est, quoniam ipsum alimentarij sanguinis officina est. Frigidius igitur hepar frigidiorem sanguinem gignit: qui cùm sit materia nutritionis partium corporis, sanè quale nutrimentum est, tale quoq; nutritum esse solet.*

IV.

Utrum cordis caliditas homines reddat audaces & animosos? *Sic placet* Galeno *loco adducto: nisi doctrinâ, aut educatione atq; assuefactione aliis imbuantur moribus. Mores enim animi temperaturam corporis sequuntur: præsertim in illis, qui vitiosum sequuntur appetitum; rectè dictantẽ ratio-*

rationem minimè audiunt. Causa verò, cur cor calidum audaciam, temeritatem & animositatem pariat, est, quia fervor sanguinis & spirituum mẽtem ac rationem perturbat. Est enim calor ad motum valdè aptus, facitq; ut spiritus & humores in calido corde facilè commoveantur. Vnde fit, ut fervente in corde sanguine ac spiritibus, temerariè sæpè ad objecta ferantur hujusce complexionis homines, rationemq; dominari, & res quales sint, satis perpendere non sinant. Parere autem calorem audaciam & temeritatem, exemplo declarari potest animalium, quibus cor est calidius. Sunt enim leones, ursi, tauri, apri, animalia præcalida: ac ob id audaciora iis, quæ sunt frigida: ut sunt asini, lepores, mures &c. Iuvenes, quia calidi, audaciores sunt senibus: quanquam eos etiam judicij imbecillitas & imperitia rerum audaciores reddat. Cholerici, quibus cor fervet, temerarij magis sunt phlegmaticis & melancholicis, qui frigent. Mares, quia calore abundant, audaciâ & animositate fœminas superant, quæ sunt algidiores.

V.

An eadem cordis caliditas homines faciat ad actiones promptos? *Sic visum* Galeno loc. memorato: *idque propter copiam & caliditatem spirituum vitalium. Calor enim mobilitatem, agilitatem & alacritatem parit: frigus contrà quietem & segnitiem Et promptos quidem ejusmodi temperatura reddit homines non tantùm ad actiones vitales, sed etiam ad alias omnes. Nam quibus*

cor est calidius, iis utplurimùm etiam reliquum corpus tale est: quoniam calor à fonte caloris, ipso scil. corde, unà cum sanguine & spiritibus vitalibus per arterias in illud derivatur. At quò plus est naturalis caloris in partibus. eò sunt ad actiones obeundas promptiores. Est enim calor commune omnium animæ facultatum instrumentum. Hinc in calidioribus naturis motuum agilitatem, inventionis celeritatem, opinionum inconstãtiam, sensuum perspicacitatem, coctionis velocitatem, expulsionis promptitudinem, pulsus ac respirationis frequentiam & magnitudinem deprehendimus.

VI.

Utrũ cor, si multùm in caliditate ab εὐκρασίας recedat, ὀξυθυμίας μανιώδους, furibundæ, iracundiæ, author sit? *Affirmantem iterum tuetur* Galenus. *Ratio est: quoniam per iram sanguis cujuslibet cordis accenditur & inflammatur. Ideoq; id in corde, quod jam per se calidum satis, fit faciliùs & vehementiùs. Homine ergò ad iram provocato, ira oboritur ferina, & quidam veluti furor: quoniam sanguis & spiritus quasi ignescunt: cujus ignitionis & excandescentiæ causâ homo adeò turbatur, ut rectè dictanti rationi, uti quidem deberet, minimè obtemperet: sed vindictam furiosè aggrediatur.*

VII.

An non Galenus sibi repugnet, cùm comm. 2. in lib. 1. epid. t. 78. scribit, ὀξυθύμους *esse* μικροψύχους, pusillanimes, & per consequens frigidos?

Gale-

Galenus loco jam allegato scribit, τὺς ὀξυθύμυς ἐναντιωτάτυς εἶναι τοῖς θυμώδεσιν, iracundos maximè cōtrarios esse iratis. ὀξυθύμυς enim esse μικροψύχυς, iracundos esse pusillanimes: quòd scil. τὸ γενναῖον τῆς τῶν ἀνδρῶν ψυχῆς ὐκ ἔχωσι, generoso viriliq; animo non sint. Esse namq; ψυχροτέρυς ταῖς κράσεσι, καὶ δυσδιαφορήτυς γενήσεσθαι, temperamento frigidiore, & ejusmodi habitu præditos, qui ægrè per insensilem transpirationem digeri aliquando possit. Contrà, τὺς θυμώδεις, iratos, esse ἀνδρείυς, forti viriliq; animo præditos, καὶ καταφρονητικὺς τῶν μικρῶν πραγμάτων, humilium rerum contemptores. Ex quo loco sat apparet, ὀξυθυμίαν duplicem habere significationem. I. enim sumitur pro ejusmodi animi vitio, quo quis facilè, & levissimâ de causâ ad iram provocatur: idq; vel ob morositatem, ut senes: vel ob judicij infirmitatem, ut mulieres, quæ sæpè ex muscâ elephantum faciunt, & ob res leviculas irâ excandescunt: vel ob impatientiam & rerum imperitiam, ut pueri. Vocat hosce ὀξυθύμυς Hippocrates *ὀργίλυς: alij ὀξυχόλυς: ab adjectivo ὀξὺς, ὀξεῖα, ὀξὺ, quod idem est, ac velox & celer, & substantivo ὀργῇ, irâ, καὶ χολῇ, bile: quæ, quia causa iræ est, μετωνυμικῶς pro irâ ipsâ quandoq; usurpatur. Vnde illud* Horatii 2. sermon. Satyr. 2.

> —— *Tantum maledicit utriq;, vocando*
> *Hanc Furiam, hunc aliud, jußit quod splendida bilis.*

II. accipitur pro iræ acerbitate & magnitudine: quæ non simpliciter ὀξυθυμία, sed ὀξυθυμία μανιώδης

à Galeno *in μικροτέχν. c.29. appellatur.* Priori modo *sumitur* comm. 2. in l. 1. epid. §. 78. *Posteriori in μικροτέχνῃ. Et ne aliquis dubitandi locus concedatur Lectori,* inquit, *præcalido corde præditos non simpliciter esse ὀξυθύμους, sed μανικῶς, furiosè.*

VIII.

An cordis calor insignis hirsutum reddat thoracē, & cumprimis sternum, partesq; hypochondriis vicinas? *Rursùs ab ajente stat* Galenus *noster c.29. Ratio est: quoniam ex corde calido plurimæ attolluntur fuligines, quæ pilorum sunt materia. Obsident autem pili in calidâ cordis κράσει potiùs anteriorem, quàm posteriorem thoracis partem, quia pars illa rarior est, & ossibus minùs munita. Omnium verò maximè sternum occupant: quoniam cordi è directo respondet, estque illi admodùm vicinum. Partes hypochondriis propinquæ ejusmodi cordis calorem etiam sentiunt, facileq́ue fuligines excipiunt.*

FINIS.

Disputatio

EX

ARTE PARVA GALENI

XIV.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,

Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente


JOANNE BALTHASARO TAGIO Werthemiano.




ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI,

Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

Signa compositarum tẽperaturarũ Habitûs corporis.

C*Alidioris & ficcioris* habitûs corporis signa sunt, I. corpus est λασιώτερον, hirsutum magis. *Cap.56.*

II.

II. Θερμώτερον, ad tactum sentitur calidius. *Cap.56.*

III.

III. Σκληρότερον, durius existit. *Cap. 56.*

IV.

IV. Ἀπίμελον, pinguedine caret. *Cap.56.*

V.

V. Ἰσχνὸν, tenue est, h.e. gracile & macrum. *Cap.56.*

VI.

VI. Μελανόθριξ, pilos habet nigros. *Cap. 56.*

VII.

VII. Μελάχρουν, colore nigro tinctum est: siquidem ἐπὶ πλέον θερμότητος ἥκῃ, multùm in caliditate excedat. *Cap. 56.*

VIII.

Calidior & humidior habitus corporis est I. μαλακώτερος, mollior. *Cap.57.*

IX.

II. Θερμώτερος, calidior. *Cap.57.*

X.

III. Σαρκώτερος, carnosior: & quidem tantò magis optimâ constitutione, quantò in duabus hisce qualitatibus fuerit auctus. *Cap.57.*

XI.

IV. Quodsi plurimùm ambę qualitates excesserint, τοῖς σηπεδονώδεσιν ἑτοίμως νοσήμασιν ἁλίσκεται, facilè morbis ex putredine prodeuntibus corripitur: ratio est: quoniam κακόχυμος ἑτοίμως γίγνεται, promptè humorum vitio laborat. *Cap.37.*

XII.

Si verò parùm quidem humidior sit: multò verò calidior, mollior quidem parùm est τῷ συμμέτρῳ, & carnosus magis: non parùm verò hirsutior & tangentibus non parùm calidior. Nigri verò illi sunt pili, & caro pinguedine caret. *Cap.57.*

XIII.

Rursùs, si paulò quidem calidior: multò verò humidior existat, tùm caro mollis est, & multa: & color ex albo ac rubro mixtus: & tangentibus paulò occurrit calidior. *Cap.57.*

XIV.

Et ut συλλήβδην, summatim, dicamus, in omnibus compositis temperaturis, si inæqualis sit qualitatum excessus, ita ut una sit intensior alterâ: ambæ tamen à mediocritate recedant,

sem-

ſemper intenſioris indicia magis elucere ſolent. *Cap.* 57.

XV.

Frigidior & humidior corporis habitus, ſiquidem *parùm* utraq; qualitas aucta ſit, I. eſt ἄτριχος, pilis nudus. *Cap.* 58.

XVI.

II. Λευκὸς, albus. *Cap.* 58.

XVII.

III. Μαλακὸς, mollis. *Cap.* 58.

XVIII.

IV. Παχὺς καὶ πιμελώδης, craſſus & pinguis. *Cap.* 58.

XIX.

Si verò utraque qualitas aucta ſit ἐπὶ πλεῖον, magis, ſigna commemorata erunt evidentiora, & ſecundum augmenti proportionem elucebunt, h. e. habitus corporis erit glabrior, & albior, & mollior, & craſſior, & pinguior. Color autem cutis & pilorum πυῤῥὸς, ruffus. *Cap.* 58.

XX.

Quodſi utraq; qualitas aucta ſit ἐπὶ πλεῖστον, *plurimùm*, tùm cutis color erit πελιδνὸς, lividus, ſive plumbeus. *Cap.* 58.

XXI.

Deniq; ſi qualitatum augmentum ſit ἄνισον, *inæquale*, tùm illius, quæ excelluerit, ſigna præfulgebunt. *Cap.* 58.

XXII.

Frigiditate & ſiccitate κατ᾽ ἴσον, æqualiter au-

ctis, corporis habitus I. erit σκληρὸς, durus. Cap. 59.

XXIII.

II. Ἰσχνὸς, tenuis. Cap. 59.

XXIV.

III. Ἄτριχος, glaber. Cap. 59.

XXV.

IV. Ἁπτομένοις ψυχρὸς, tangentibus ſentitur frigidus. Cap. 59.

XXVI.

V. Pinguedo tamen, etſi gracilis ſit, per carnes diſperſa. Cap. 57.

XXVII.

VI. Pilorum & cutis color frigiditatis exceſſui proportionaliter reſpondet.

XXVIII.

Quia verò omne corpus, licet calidum, frigidius ſe ipſo ætatis progreſſu fieri ſolet, idcircò ἐν τῷ χρόνῳ τῆς παρακμῆς, tempore decrementi, quo calida & ſicca temperatura: in frigidum & ſiccum habitum labitur, habitus corporis euadit. I. ἰσχνὸς, gracilis. Cap. 59.

XXIX.

II. Σκληρὸς. durus. Cap. 59.

XXX.

III. Μελαγχολικὸς, nigræ bilis ferax. Cap. 59.

XXXI.

IV. Propter melancholici humoris ubertatem euadit μέλας, niger. Cap. 59.

XXXII.

V. Δάσυος, hirſutus, Cap. 59. Quod

XXXIII.

Quodsi alterutra qualitas παρὰ πολὺ, plurimùm, dominetur, altera verò ὀλίγον, parùm ab habitu συμμέτρῳ recedat, tunc superabunt ejus, quæ dominatur: obscura autem erunt alterius γνωρίσματα. *Cap. 59.*

XXXIV.

Itaq; frigiditate præpollente, (addimus nos) frigiditatis signa erunt illustria quæ ex *cap. 53.* haurienda. Contrà, prædominante siccitate, siccitatis notæ clariùs elucebunt: quæ *ex cap.* 54. petenda. *Cap. 59.*

XXXV.

Atq; specialia hactenùs signa temperaturarum habitûs corporis indicia proposuimus. Operæ verò pretium videtur, ut tradantur generalia, & quidem à rebus extrinsecus alterantibus desumpta: quæ tamen non solùm ad cognoscendas temperaturas habitûs corporis: sed etiam aliarum partium, de quibus partim dictum, partim dicetur in sequentibus, spectant.

XXXVI.

Quapropter, si pars aliqua sit εὔψυκτος, facilè ab externo frigore frigefiat, indicium erit, vel frigiditatis, vel raritatis. *Cap. 59.*

XXXVII.

Si verò sit δύσψυκτος, & á frigore non facilè lædatur, signum erit, aut caliditatis, aut densitatis. *Cap. 59.*

XXXVIII.

Quod si facilè offendatur à rebus desiccantibus, & ab iisdem aridum siccumq;, καὶ δυσκίνητον fiat, siccitatis erit nota. *Cap. 59.*

XXXIX.

Humiditatis autem index erit, si à rebus humectantibus noxam promptè cōcipiat. *Cap. 59.*

XL.

Cæterùm, signis tùm specialibus, tùm generalibus temperaturæ habitûs corporis enarratis, præcepta jam tradenda sunt, quibus observatis efficiatur, quò minùs signa à mollitie, duritie, crassitie, gracilitate, & his similibus accidentibus petita nos in judicando fallant. *Cap. 59.*

XLI.

Sunt autē præcepta quatuor. I. est: judicaturi de temperaturâ habitûs corporis, quē in musculoso potissimùm genere consistere *Gal. cap. 50.* dixerat, consideremus, εἰ ὡσαύτως ἀλλήλοις ἅπαντες οἱ μῦες, ἢ οὐχ᾽ ὡσαύτως κέκρανται, utrum omnes musculi servent eandem κρᾶσιν, an non? *Cap. 59.*

XLII.

Perpendamus subjectorum ossium magnitudinem. Nonnunquam enim gracile videtur membrum: cùm tamen non quò ad musculos gracile sit: sed propter ossium tenuitatem tale existat. *Cap. 59.*

XLIII.

III. Ponderemus carnem. Nam aliquando pars craſſior apparet, non ob oſſium craſſitiem, ſed potiùs ob carnem. Hæc enim vel aucta eſt, vel imminuta: itemq́; aut dura, aut humida ac mollis. Aucta & mollis partem ſignificat humidam. Pauca & dura ſiccam.

XLIV.

IV. Ruminemur humiditatem in ſpatiis ſimilarium partium contentam. Etenim, quemadmodum caro pauca & dura ſicciorem corporis habitum ſignificat: multa & mollis humidiorem: ſic copioſior humiditas in partium ſimilarium ſpatiis intermediis deliteſcens, partem indicat humidam: craſſior verò parciorq́;, ſicciorem. *Cap.* 59.

XLV.

Quæri autem hîc poſſet, cùm partes aliâs humidæ, aliâs ſiccæ ſint naturâ, utrum etiam partes ſolidas, quę ὄντως, reverà ſolidæ ac primę ſunt, humidiores reddere queamus? Reſpondet *Galenus*, hoc κατ' οὐδένα τρόπον, nullo modo fieri poſſe. Satis autem eſſe, ſi quis eas celeriùs exiccari prohibeat. *Cap.* 56.

XLVI.

Poſſe verò τὰς διαλαμβανούσας χώρας, intermedia ſpatia, hoc vel illo humore repleri: h. e. multo, vel pauco: tenui, vel craſſo: ſcil. pro vivendi ratione, quæ in noſtrâ eſt poteſtatę ſita. *Cap.* 59.

XLVII.

Ejusmodi autem humor proprium similarium partium alimentū est, ἐκ παραθέσεως, quod fit ex appositione: ὁ δι' ἀγγείων ἑλκόμενον, non quod ex vasis elicitur. *Cap.* 57.

XLVIII.

Nam quod adhuc in vasis continetur, alimētum commune est: quòd verò ex vasis jam est attractum, partibusq; appositum, proprium dicitur.

XLIX.

Est autem non musculorum tantùm hæc ratio, quòd spatiola illorum intermedia humiditate repleri possint: sed in universum omnium partium similarium: quemadmodum dicetur infrà, cùm de salubribus & insalubribus causis sermo habebitur. *Cap.* 59.

COROLLARIA.

I.

AN præ omnibus hirsutum pectus habeāt, quibus cor est calidum & siccum? *Ita docet* Galenus in μικροτέχν. c. 33. *Omnes enim pilorum causæ adsunt.* 1. *efficiens, calor cordis, isq; validus.* 2. *materia, fuligo.* 3. *locus aptus atq; dispositus, cutis rara, quæ talis fit à subditi cordis calore. Et siccitas calorem tantum non impedit, ut eundem etiam maximè juvet ac promoveat. Est enim illius*

lima,

lima. Vnde historiæ testantur, homines sanguinarios, audaces, temerarios, crudeles, quales sunt latrones, hirsutum quoq; cor habuisse: uti videre licet apud Schenckium l. 2. de part. vital. obs. 182. *Talibus enim cor valdè calidum est & siccum.*

II.

An ex moribus temperatura cordis rectè investigetur? *Videri cuipiam posset, mores & perturbationes animi, v.g. iram, audaciam, crudelitatem, animositatem, timiditatem &c. parùm, aut nihil* πρὸς διάγνωσιν τῆς κράσεως *facere. Scribit enim* Aristoteles l. 10. ethic. c. 9. τὴν διδαχὴν καὶ τὸ ἔθος *mores immutare plurimùm. Hinc usu venire comperimus, ut, qui optimis moribus præditi sunt, pravâ educatione & conversatione cum hominibus malis evadant pessimi. Contrà, probi evadant consuetudine bonorum, qui corruptis imbuti erant moribus. Verùm, in promptu est, quod respondeatur. Ipsus namq;* Galenus c. 36. μικροτέχν. *distinguit inter mores* ἑκάστῳ συμφύτους, *nativos, & eos, qui sunt* ἐκ φιλοσοφίας ἐγγιγνόμενοι, *philosophiæ moralis studio acquisiti.* Σύμφυτοι *impropriè mores appellantur: quoniam non à more & consuetudine fiunt propriè autem affectiones sunt & inclinationes nobiscum genitæ. Vocantur aliâs à Galeno* ὁρμαὶ. *Mores verò philosophiæ studio parti, habitus sunt, de quibus in ethicis præcepta traduntur, quæ non tantùm cognoscenda, sed etiam exercenda, & ad usum transferenda. Ex nativis ergò moribus temperatura cordis investigari potest: præsertim*

apud

apud homines, qui affectibus fræna laxant. Ex moribus verò adscititiis, sive acquisitis non item: quoniam non ab interno principio, cordis scil. κράσει, sed ab externo, disciplinâ nimirùm, consuetudine & conversatione proficiscuntur: quæ principia faciũt, ut mores interdum acquirantur inclinationi naturali planè repugnantes.

III.

Utrum calor cordis aliquid ad thoracis amplitudinem conferat? *Scribit* Galenus *in* μικροτέχνῃ c.29. *calido existente corde thoracẽ esse amplum. Reclamat* Argenterius in comm. *quatuor motus rationibus: I est: quòd formare partes, non sit caloris cordis, sed virtutis* πλαστικῆς. *II. quòd amplas, vel parvas atque angustas reddere partes, materiei quantitati tribuendum sit. III. quòd cor in primâ cõformatione vires habeat exiguas, cùm & ipsum adhùc sit parvum. IV. quòd in iis etiam thorax cresceret, qui frequenter in febres incidere solent. Calor enim cordis illis est valdè intensus. Respondemus, naturam, licet sit* ἀπαίδευτος, *indocta, nullóque magistro usa, tamen, quibus opus est, facere: sic docente* Hippocrate l.8. epid. sect. 5. *Opus autem cordi calido est refrigerio multo. At istud illi commodissimè præstari potest copiosi aëris inspiratione. Talis autem inspiratur, si thorax sit magnus & amplus. Altè enim is attolli potest, & contrahi profundè. Unde copiosus ingreditur aër, & larga excernitur fuligo. Ex quibus is quidem cor refrigerat per se: hujus verò excreti, per accidens: quia retẽta*

calo-

calorem obruit & suffocat. Est igitur calor cordis magni & ampli thoracis causa quædam finalis: quoniam à naturâ, & facultate formatrice, quæ casu & fortuitò non agit, sed semper alicujus finis gratiâ, thorax formatur amplus, dūmodò materia illi suppetat sufficiens, ut eò meliùs cordis calor vētilari poßit. Dicere quoque licet, *cordis calorem etiam quodammodò efficientem esse ampli thoracis causam. Nam quò cor est calidius, eò plus refrigerari postulat. Hoc autē illi contingit ex aëre copiosiùs inspirato. Copiosè verò inspiratur, si thorax altè elevetur. At si sæpiùs elevetur, & fortiter ob urgentem calorem dilatetur, ampliorem illum tandem fieri necesse est: præsertim in pueritiâ, in quâ ossa & cartilagines, ex quibus conflatus est thorax, feræ in modum flexibilia sunt. Efficit ergò calidius cor thoracem ampliorem, quoniam illum insigniter, ob prementem neceßitatem, copiosi scil. aëris inspirationem, dilatat.*

IV.

Nihilné ergò ponderis habeant rationes Argenterii? *Nihil prorsùs. Nā vis πλαστικὴ primaria quidem formationis partiū causa est, eaq́; si materiam nacta sit largam & bonam, magnas ampláque condere solet. Ex eo tamen non infertur, vegetiorem calorem, ut agens secundarium, in dilatando amplificandoq́; nullas planè vires habere.* Ad secundam. *Quantitas partium materiei est. Figura autem primariò facultatis plasticæ, tanquam causæ principalis: secundariò verò caloris, velut*

cau-

causæ instrumentalis. Ad tertiam. *Cor in utero thoracem non dilatat, quoniam fœtus non respirat. Si tamen fuerit calidius, dilatare illum extra uterum valet. Vrget enim calor usum respirationis: & thorax, quoniam adhùc mollis est, ductilis est atque sequax. Itaque si sæpiùs & vehementiùs impellatur & elevetur, quidni tandem amplior evaderet? Experimur enim, etiam alias partes, quæ plus cæteris exercentur, non modò robustiores, sed etiam majores evadere. Testatur hoc opificum fossorum, nautarum, & agricolarum manus, quæ grandiores, quàm illorum, qui manibus minùs laborant. Et quilibet in se ipso experitur, dextram manum, utpote quæ magis exercetur, quàm sinistra, hac esse & fortiorem, & majorem, si non in longitudine, saltem in craßitie.* Ad quartam. *In febribus, etsi cor incalescat, thorax tamen amplior non fit. I. quia febres nativum calorem & robur cordis plurimùm debilitant. II. quia non semper durant. III. quia paucissimis post ortum statim accidunt: plurimis in adultâ demùm ætate, cùm partes jam ita induruerunt, ut multùm dilatari nequeant.*

V.

Sitné hepar membrum princeps? *Galenus id tùm alibi sæpiùs, tùm etiam in μικροτεχν. c. 9. inter principes partes reponit. Et id sanè non immeritò. I. quia absolutè necessarium est ad individui conservationem. II. quia sanguinem conficit, qui toti corpori ad nutritionem, imò & ad speciei propagationem summè necessarius. III. quia sicuti cere-*

brum

brum origo est nervorum, & cor arteriarum, sic ipsum ῥίζωσις est venarum, per quas sanguis in totũ corpus derivatur. IV. quia principis in modum suos habet satellites ac ministros, qui ipsi servitia præstant in ἀμελώτει: lienem scil. vesiculam felleam, renes, ureteres & vesicam urinariam. V. quia jus & imperium habet in totum corpus, non secus ac membra principalia alia. Quale enim hepar est secundum activas & passivas qualitates, tale esse & reliquum corpus solet, inquit Galenus in μικρο. c. 37. 38. 39. & 40. nisi cor repugnârit.

VI.

Num hepar rectè statuatur à Platone sedes amoris ac libidinis? Constat ex plurimis Galeni locis, Platonem tres constituisse animæ facultates principales, λογιστικὴν, θυμοειδῆ καὶ ἐπιθυμητικὴν. Et primã collocâsse in cerebro: secundam in corde: tertiam in hepate. Quod ultimum etiam credebant Poetæ. Elegans namq; fabula apud Homerum & Ovidium de Tityo extat. Hic enim captus amore Latonæ, Apollinis matris, eã de stupro interpellavit. Itaq; Apollo iratus, sagittis eum confodit, & ad inferos relegavit, ejusq; jecur vulturibus dilaniandũ apposuit: hac lege, ut consumptum renasceretur illicò: & sic nunquam vultures à discerpendo cessarent: nec ipse à patiendo liberaretur. Cur quæso hepar dilaniandum erat? Nimirũ ut illa pars supplicio afficeretur, à quâ injuria traxerat originem. Hujus fabulæ meminit etiam Galen. l. 3. de placit. c. 7. & l. 6. c. 9. Arbitramur autem, hepar rectè

dici

dici ſedem amoris: non quòd πάθος ipſum in eo radicetur: (ſubjectum enim illius, ut & aliorũ animi παθημάτων, cor eſt:) ſed quòd hepar cauſa ſit remota illius materiei, quæ nos ad amandum inſtigat, nempè ſanguinis, qui proxima ſeminis eſt materia. Semen autẽ, præſertim copioſum & calidum ac ſpirituoſum, illa cauſa eſt, quæ ſanguinea animalia ad amorem & libidinem irritat. Dicitur quoque *rectè domicilium* τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, *concupiſcibilis animæ facultatis, ob multitudinem cupiditatum, quibus præ reliquis abundat. Sedes enim eſt facultatis naturalis. At hæc varia eſt & multiplex: & qualibet cum appetitu aliquo & deſiderio conjuncta: nimirùm nutriendi, augendi, generandi, attrahendi, retinendi, expellendi, concoquendi. Etſi enim facultas hæc ſingulis partibus ſit inſita: hepati tamen, tanquam fonti tribuitur: idq; ob materiã, quam hepar ſingulis largitur: & ſine quâ neq; nutritio, neq; auctio, neq; generatio, neq; attractio, neq; retentio, neq; expulſio, neq; concoctio fieri poteſt.* Πᾶσα γὰρ δύναμις ἀργεῖ, ἀποροῦσα τῆς οἰκείας ὕλης, *inquit* Galenus *l. 2. nat. fac. c. 3. l. 9. meth. med. 10. l. 6. placit. 9. omnis facultas otioſa eſt & inutilis, ſi idoneâ materiâ careat.*

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XV.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

AUGUSTO SALADIN
Wormatiensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

POst signa temperaturarum habitûs corporis accedit *Galenus* ad signa temperaturarum illarum partium, quę non exiguas vires habent ad corpus simpliciter insalubre reddendum; idq; propterea, quia publicas edunt actiones, totique corpori valdè necessarias: cujus generis inprimis sunt Ventriculus & Pulmo. Is enim primæ coctionis est ἐργαστήριον: hic inspirati aëris receptaculum.

II.

Siccioris igitur *ventriculi* I. signum est, si homo celeriter fiat διψώδης, sitibundus. *Cap.*60.

Signa simpliciū temperaturarum vētriculi.

III.

II. Si paucus illi potus sufficiat: à plurimo autem aggravetur, fluctuationibus infestetur, aut superfluitet id, quod abundat. *Cap.*60.

IV.

III. Si delectetur ἐδέσμασι ξηροτέροις, cibis siccioribus. *Cap.*60.

V.

Humidioris autem signum I. est, si homo sitibundus non fiat. *Cap.* 61.

VI.

II. Si ſuperabūdans humidum facilè tole-ret. *Cap.*61.

VII.

III. Si cibis gaudeat humidioribus. *Cap.*61.

VIII.

Calidioris indicium I. eſt, ſi meliùs conco-quat, quàm appetat. *Cap.* 62.

IX.

II. Si multò magis concoquat quæcunque dura ſunt & δυσαλλοίωτα, h. e. alterationem non facilè ſuſcipiunt. Nam quæ ſunt εὐαλλοίωτα fa-cilè in illo corrumpuntur. *Cap.* 62.

X.

III. Si delectetur cibis ac potibus calidis. *Cap.* 62.

XI.

IV. Si à frigidis non lædatur, dummodò mediocriter ipſis utatur. *Cap.* 62.

XII.

Frigidus ventriculus ὀρεχθῆναι μὲν ἀγαθὸς: πέψαι δ' οὐκ ἀγαθός, ad appetendum quidem valet: ad concoquendum verò non item. *Cap.* 62.

XIII.

II. Concoquit malè cibos frigidos καὶ δυσαλλοιώτους. *Cap.*63.

XIV.

III. Itaque ἑτοίμως, promptè in eo aceſcunt. *Cap.*63.

XV.

IV. Ejuſmodi ventriculus eſt ὀξυρεγμιώδης, acidis abundat eructationibus. *Cap. 63.*

XVI.

V. Delectatur cibis & potibus frigidis. *Cap 63.*

XVII.

VI. Verùm, ab eorum uſu immodico offenditur. *Cap 63.*

XVIII.

VII. Ea quoq; , quæ extrinſecus frigida occurſant, longiori tempore tolerare nequit: quémadmodum neq; calidus calida. *Cap. 63.*

XIX.

Morboſæ verò ventriculi intemperies, (αἱ διὰ νόσον ἐν τῇ γαστρὶ δυσκρασίαι) hoc differunt à naturalibus, quas *Galenus* ἐμφύτους nominat, quoniam ἐναντία, non autem ὅμοια, ut naturales, appetunt. *Cap. 63.*

XX.

Compoſitæ ventriculi δυσκρασίαι cognoſcuntur ex compoſitione ſimplicium. *Cap. 64.* Nam qui ex præcedentibus didicit, quid ſingulæ qualitates efficere ſuapte naturâ valeant, is facilè quoq; perſpiciet, quid compoſitæ præſtare queant, & quæ ſigna habeant: ut non opus ſit, pluribus iſta perſequi.

Signa compoſitarum temperaturarum ventriculi.

XXI.

Poſſunt autem (addimus nos) qualitates hæ conjungi, vel in menſurâ æquali, vel inæquali:

h.e. in combinatione vel pares ſunt, vel impares: ita ut altera magis, altera minùs à mediocritate recedat.

XXII.

Si pares ſunt, eò illuſtriora & evidentiora erunt ſigna, quò qualitates fuerint intenſiores: eò verò obſcuriora, quò remiſſiores extiterint.

XXIII.

Sin impares, tùm juxta regulam cap. 57. & 58. traditã ſemper illius qualitatis indicia magis elucebunt, quæ magis exuperaverit.

XXIV.

Cæterùm, cùm non tantùm ventriculi intemperies homines reddat διψώδεις καὶ ἀδίψους, καὶ ψυχροῦ, καὶ θερμοῦ πόματος ὀρεκτικούς, h.e. ſitibũdos & minimè ſitientes: itémq; frigidi calidive potûs appetentes: ſed etiam viſcera in thorace contenta, cor ſcil. & pulmo, ſciendum, appetitus hoſce diligenter diſtinguendos eſſe, & cujus partis causâ fiant, attendendum: ne ventriculo aſcribamus, cujus tamen cauſa pulmo eſt: aut contrà tribuamus pulmoni, quod ventriculo imputandum. *Cap. 64.*

XXV.

Nam quemadmodum calidus & ſiccus Ventriculus ſitim parit: frigidus & humidus nequaquam: ſic quoq; caliditas pulmonis & cordis ſiticuloſos reddit homines: frigiditas nequaquam.

Ne-

XXVI.

Ne igitur decipiamur, ſitis à cordis & pulmonis caliditate proveniens ita ab eâ, quę ventriculi causâ accidit, diſtingui debet.

XXVII.

Qui ob caliditatem cordis ac pulmonum ſitiunt, I. plus inſpirant, h. e. altè thoracem attollunt ad copioſi aëris receptionem, qui ad cordis pulmonisque fervorem contemperandum eſt neceſſarius. *Cap. 64.*

XXVIII.

II. Longiùs expirant, h. e. thoracem contrahentes diutiùs fuliginoſa excrementa expellunt. *Cap. 64.*

XXIX.

III. Aeſtum in thorace ſentiunt: non in hypochondriis, ut illi, qui propter caliditatem ventriculi ſitibundi ſunt. *Cap. 64.*

XXX.

IV. Cùm biberunt, non ſtatim ſedatur ſitis, ſicuti ſedari ſolet, cùm ventriculi intemperies ſitis cauſa eſt. *Cap. 64.*

XXXI.

V. Magis in illis ſitis reſtinguitur, cùm potum hauſerunt frigidum, quàm cùm nimis calidum. *Cap. 64.*

XXXII.

VI. Refrigerat eoſdem & frigidi aëris inſpiratio: quæ nil eos juvat, qui ventriculi ratione ſitiunt. *Cap. 64.*

XXXIII.

Ex dictis simul liquet, quæ sint *calidioris pulmonis* signa. Sequitur, ut quæ frigidioris sint, explicemus.

Signa temperamentorum pulmonis.

XXXIV.

I. est, frigidus pulmo à frigidâ inspiratione sensibilem sentit læsionem. Atque hoc maximum est frigidi pulmonis indicium. *Cap.* 65.

XXXV.

II. Quemadmodum verò frigidus inspiratus aër manifestè sentitur, & pulmonem offendit: ita calidus illi amicus est. *Cap.* 65.

XXXVI.

II. Pituitosa excrementa cum screatu ac tussi expuuntur. *Cap.* 65.

XXXVII.

Siccioris pulmonis signa sunt sequentia.

XXXVIII.

I. Homines ejusmodi phlegmatica excrementa minimè expuunt. *Cap.* 66.

XXXIX.

II. Vocem edunt claram. *Cap.* 66.

XL.

Humidioris pulmonis signa sunt, I. vocis obscuritas & raucitas. *Cap.* 66.

XLI.

II. Excrementorum pituitosorum expuitio, præsertim cùm homo vehementiùs, aut acutiùs loqui studuerit. Intercidere enim illi excrementa hæc solent. *Cap.* 66.

Corol-

COROLLARIA.

I.

AN hepar sit principium radicationis venarum? *Omninò. Sic enim illud appellat* Hipp. l. περὶ τροφῆς. *Sic & ratio dictitat. I. quia portæ & cavæ radices in solo hepate apparent variè implicatæ: & quidem in solo hepate, velut in matrice per mirabiles* ἀνασομώσεις *copulantur. II. quia hepar est sanguificationis officina. Excrementorum enim conceptacula illi sunt vicina, ad quæ excrementa à confecto sanguine separata ablegantur. At ubi sanguis generatur, ibi etiam oriuntur venæ. Hæ enim illius causâ sunt fabrefactæ: cùm per illas, velut per canales & aquæ ductus, sanguis in hepate genitus in universũ corpus diffundatur. III. quia omnes venæ in hepate conspiciuntur, cava, vena portæ, & umbilicalis. In corde sola cava videtur: nec tamen ab illo oriri creditur propterea, quòd non, ut vasa reliqua, verè à corde proficiscentia, pulset. At pulsaret, si ab illo ortum traheret. IV. quia vena cava in piscibus, qui pulmone carent, in hepate semper observatur: in corde nequaquam: quoniam consisteret in ventriculo ejus dextro. At hoc pisces destituti sunt.*

II.

Recténe hepar à veteribus γῆ εὔκαρπος, terra frugifera vocatum? *Rectißimè. Est enim officina* αἱματώσεως. *Quo nomine* ἰκμαλέον *forsan ab* Hippocrate *l.* 1. περὶ γυναικείων, *fons humoris dictum. Quemadmodum verò terra humore imbuta varias*

producit stirpes, productasq; fovet & alit: ita hepar sanguine à se genito partes corporis sustentat: spiritus gignit: lac quod infantis in lucem editi alimonia est, profert: seminis denique materia est, ex quo species perpetuatur.

III.

An venarum amplitudo rectè à Galeno cap. 37. μικροτέχν. signum caliditatis hepatis statuatur? *Sic omninò videtur I. quia calidum hepar calidiorem spirituosioremq; sanguinem profert: qui venas dilatat. II. quia idem plus sanguinis producit, quàm frigidum. Ideoq; mediante sanguine copiosiore venas ampliores reddit. Nec obstant rationes* Argenterii. Negat *enim is, hepar venarum esse principium: quoniā venæ tempore priores sunt hepate. Respondemus, non esse quidem principium γενέσεως & materiale: esse tamen principium ῥιζώσεως, uti probatum.* Asserit, *amplitudinem partiū non provenire à calore, sed potiùs à copiâ materiei. Respondemus, substantiam partium fieri ex semine, ex copioso magnam: ex pauco parvam: posse tamen genitam substantiam à calore dilatari atq; distendi.* Dicit, *magnitudinem, ut & figuram, numerum, cavitatem, aliaq; accidentia facultatis πλαστικῆς opera esse, non caloris. Respondemus, facultatem istam causam esse principalem: calorem secundariam, adjuvantem, & instrumentalem: neq; absurdum esse, plures unius effectûs statuere causas, non solùm in diversis, sed etiam in eodem planè causarum genere. Esse quoq; hepar calidius causam*

am-

amplarum venarum finalem. Natura enim rectè agens, tantum materiei cuilibet membro tribuit, quantum ejus ratio & conditio postulat. Proinde, si hepar futurum sit calidius, ac copiosum spirituosumq; sanguinem generaturum, sagax natura, licet sit ἀπαίδευτος καὶ ἀδίδακτος, imperante tamen ac jubente naturâ naturante, amplas illi venas apponit, quæ sanguinem illum capere possint. Scribit deniq; venas turgidas non esse, nisi humoribus ac spiritibus sint referta. Respondemus, sanguinē & spiritus proximas esse dilatationis & amplificationis venarū causas: calorem causam mediatam: quoniam sanguinem generavit. Non igitur ex albo causarum venas amplificantium eliminari posse. Quod enim est causa causæ, id etiam est causa causati.

IV.

An hepatis caliditas faciat, ut flava bilis abundet? Omninò: quia qualis est causa, talis est & effectus. At causa calida est. Ergo & humor, quem gignit, calidus existit. Intelligere autem Galenus videtur, non tantùm bilem excrementitiam, quæ multa in vesiculâ felleâ: sed etiam sanguinem biliosum, qui in genere continetur venoso: diciturq; bilis, quoniam calidus, siccus, tenuis. Habet autem Galeni placitum veritatem evidentiorem, si materia quoq; humorum, ipsa nimirùm esculenta & potulenta, calida siccaq; fuerit.

V.

An hepar calidius efficiat, ut corpus quoq; reli-

reliquum calidius existat? *Ajentem tuetur* Gal. *in* μικροτέχν. *c.* 37. *dummodò cor non* ἀντιπράττῃ, *repugnet. Ratio est: quia hepar sanguinem generat. Sanguis autem universi corporis alimentum est. Calidum ergò hepar calidum producit sanguinem. Calidus sanguis singulas quoque partes calefacit. Quale enim alimentum est, tale & nutritum esse solet: quemadmodum* Galenus l. 3. de symptom. caus. cap. 2. *demonstrat.*

VI.

An calidius hepar ventrem & hypochondria reddat hirsuta? *Sic arbitratur* Galenus *in* μικροτέχν. *c.* 37. *Et sanè non* ἀλόγως: *quia fervor hepatis multa suppeditat excrementa fuliginosa, cutisque spiracula aperit.*

VII.

Sintné præter venarum amplitudinem, flavæ bilis abundantiam, sanguinem calidiorem, corporis totius caliditatem, & imi ventris hispiditatem etiam alia calidioris jecoris indicia? *Affirmatur: v. g. sitis frequens: proclivis lapsus in affectus calidos; offensio ex cibis, potibus, aëre, & medicamentis calorificis: delectatio & juvamentum ex frigidis: calor volarum in manibus, & plantarum in pedibus. Sed* Galenus *non omnium facit mentionem: vel quia hîc brevitati studet. Instituti enim ipsius est, ut ipsus in fine* μικροτέχνης *protestatur,* οὐ διελθεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ μέρος, *particulatim recensere omnia: sed* ἀναμνῆσαι τῶν κεφαλαίων, *capitum solùm facere mentionem eorum, quæ in*

aliis operibus latiùs sunt explicata. Vel quia quædam alia sub positis comprehenduntur. Vel quia communia signa omittit: propria autem enarrare studet. Etenim, calor in volis manuum & plantis pedum sub calore totius corporis comprehenditur. Sitis non proprium est calidi hepatis signum: sed etiam cordis, pulmonis, & ventriculi calidioris. De *noxâ & juvamine in universum dicere hîc in specie nil attinet: cùm eadem omnium intemperierum ratio sit, quòd à contrariis juventur: à similibus verò jucunditate quadam afficiantur: & aliquoties hoc indicium sit inculcatum: quemadmodum & illud, quod quælibet intemperies in morbos suæ intemperiei similes pronior sit atq; propensior, quàm in morbos sibi contrarios.*

VIII.

An Testes sint inter partes principes collocandi? *In harum albo tribuit iis locum* Galenus cap. 9. art. med. *non quidem earum, quæ faciunt ad conservationem individui: sed quæ spectant ad propagationem speciei. Etenim, speciei propagatio solâ procuratur generatione. Generatio non fit, nisi ex semine. Semen autem à testibus excoquitur atque perficitur.*

IX.

Utrum caliditas testium homines faciat ad Venerem proclives? *Affirmat* Galenus cap. 45. μικροτ. *Ratio est: quoniam semen, quod testes calidi gignunt, calidius est & acrius. Itaq; pruritum movet, partesq; genitales titillat, easq; ad sui excretionem*

tionem irritat. Vnde salacitas & Veneris appetitus.

X.

An testes calidi genitores sint prolis masculinæ? *Iterum ajentem defendit* Galenus loc. alleg. *Causa est: quia sicut mares calidiores sunt fœminis: sic quoq; ex calidiore semine nascuntur. Tale autem à calidis testibus proficiscitur.*

XI.

An eadem testium temperatura homines efficiat fœcundos? *Assertio placet* Galeno ibid. *Ratio est: quoniam fœcunditas provenit à copiâ, caliditate & robore seminis. At calidi testes tale semen producunt.*

XII.

Utrum calor testium partes genitales, iisq; vicinas maturè admodùm pilis obsepiat? *Sic statuit* Gal. ibid. *Causa patet ex dictis. Calor enim fuliginum author est: cutimq; aperit & rariorem facit. Quorum utrumq; ad pilorum generationem est necessarium.*

XIII.

An frigidi testiculi contrarios dictis edant effectus? *Maximè. Contrariorum enim contrarij effectus esse solent. Et experientia testatur quotidiana, frigidos neq; salaces esse, neq; ἀῤῥενογόνες, sed potiùs θηλυγόνες: & minùs esse fœcundos: & tardè pubescere.*

XIV.

Num sicca testium κρᾶσις crassum & paucum gignat

gignat semen? *Sic arbitratur* Gal. c. 45. *quoniam siccitas humiditates exiccat atq; consumit: quibus absorptis, non solùm semen fit crassius, sed etiam paucius.* Humiditas *facit contrarium.* Caliditas *siccitati associata crassissimum semen facit: tùm propter caliditatem tenues & aquosas seminis humiditates consumentem: tùm propter siccitatem easdem absorbentem.*

XV.

Nunquid calida & sicca testium temperies sit γονιμωτάτη, fœcundissima? *Sic ratum habet* Galenus c. 46. *Causa est, non seminis ubertas* (*hæc enim reperitur in* κράσει *testium calidâ & humidâ, ut idem tradit* cap. 47.) *sed calida, siccaq; qualitas. Est enim probè coctum, caretq; humiditate aquosâ. Itaq; facilè ab uteri calore actuatur, & virtus* πλαστικὴ *partes celeriter format: cùm in ejusmodi semine calorem & spiritus habeat sufficientissimas.*

XVI.

An eadem temperies maturè admodùm, cũ primùm scil. semen generari incipit, animal ad Venerem instiget? *Ita vult* Gal. c. 64. *Ratio est: quoniam semen maturè in illâ generatur: & quidem calidius atq; acrius. Tale autem omniũ maximè expultricem ad sui evacuationem stimulat.*

XVII.

An calida siccaq; testium natura Venere statim satietur? *Petulca quidem, inquit* Galenus *c. 46. hac est natura, & ad libidinem prona: mox tamen*

men satiatur: nimirùm ob paucitatem seminis. Quodsi Venerem repetere sæpiùs cogatur, offenditur, ait item ibidem. I. *quia debilitatur ob seminis calidi spirituosiq; frequentem profusionem, quale esse solet in hac quidem temperaturâ.* II. *quia corpus siccius evadit, & quasi marcescit. Nam cùm ob calorem & siccitatem parùm seminis generetur: ideò, si nimis creber Veneris sit usus, accidit, ut testes calidiores per venas & arterias spermaticas materiam seminis proximam, sanguinem scil. identidem ad se pelliciant, sicq; reliquas corporis partes suo alimento privent. Vnde siccitas & macies.*

XVIII.

Verúmne sit illud Galeni c. 50. μικρο. habitũ totius corporis sequi temperaturam hepatis & cordis? *Primâ fronte videtur verum non esse: quoniam quælibet pars temperamentum proprium habet, sibiq; in primâ generatione insitam. Sed verum esse deprehenditur, si distinguatur inter influentes & insitas qualitates. Illæ potißimùm à corde & hepate manant: has singulæ partes à suis principiis accipiunt. Licet autem insitæ sint singulis, augeri tamen & minui possunt à corde & hepate, quorum vis in totum corpus se diffundit.*

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XVI.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:


Respondente

PHILIPPO ANSORG
Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

Signa compoſitarum temperaturarũ pulmonis tradere nil opus eſt. Compoſitæ enim dyſcraſiæ facilè ex ſimplicium conjunctione cognoſcuntur.

II.

Tranſeundum potiùs ad ſigna temperaturarum cannæ pulmonis, quæ guttur, & aſpera arteria nuncupatur.

Signa temperaturarum aſperæ arteriæ.

III.

Cùm verò vox per illam edatur, docendum, quomodo ex voce in illius cognitionem pervenire liceat.

IV.

Vocis differentiæ variæ ſunt. Præcipuæ autem 6. Eſt enim vox magna: eſt parva: eſt lenis: eſt aſpera: eſt gravis: eſt deniq; acuta.

V.

Vox magna non fit à caliditate: neque *parva* à frigiditate: ſed magna quidem εὐρύτητα, amplitudinem aſperæ arteriæ ſequitur: parva verò ἐκφύσησιν σφοδροτέραν, vehementiorem efflatum. *Cap.* 67.

VI.

Parva causas habet contrarias: nempè angustiam gutturis, & leniorem ἐκφύσησιν. *Cap.* 67.

VII.

Vocis igitur magnitudo & parvitas neque διὰ παντὸς, neque πρώτως, sed κατὰ συμβεβηκὸς, tantùm, & quidem solas συμφύτυς, naturales: non autem ἐπικτήτυς κράσεις, adventitias temperaturas sequitur. *Cap* 67.

VIII.

Nam cùm talia ὄργανα διὰ τὴν κρᾶσιν sint facta: ad hæc verò ejusmodi vox consequatur: ideò accidit, ut ex voce περὶ τῆς συμφύτυ κράσεως ratiocinari liceat. *Cap.* 67.

IX.

Ex quibus *Galeni* verbis liquet, ipsam gutturis dispositionem per se & immediatè κράσεως indicem esse: vocem autem illam significare solùm per accidens, & mediante dispositione. Nam vocis magnitudo calorem quidem gutturis indigitat: parvitas frigus: sed illa interveniente amplitudine: hæc mediante gutturis angustiâ. Amplitudo autem per se & immediatè calorem patefacit: quoniam caloris est dilatare: angustia verò frigiditatem detegit: quia hujus est constringere & arctare.

X.

Par ratio vocis est *lenis* & *aspera*. Nam & hæ voces non per se & immediatè: sed per accidẽs solùm temperaturam arteriæ asperæ notam faciunt. Et-

XI.

Etenim, vox λεῖα, lenis, λειότητα, lenitatem arteriæ asperæ sequitur. Τραχεῖα δὲ, aspera verò, ejusdem asperitatem, sive, ut *Galenus* loquitur, τραχύτητα. *Cap.* 68.

XII.

Itaq; lenitas συμμετρίαν κράσεως in arteriâ asperâ notat: asperitas verò ξηρότητα, siccitatem. *Cap.* 68.

XIII.

Asperitas enim proficiscitur ab ἀνωμαλία κατὰ ξηρὸν σῶμα, inæqualitate duri corporis. Arteriam autem duram partium similarium, ex quibus constat siccitas efficit. Inæqualem verò dispersæ in iisdem humiditatis defectus. *Cap.* 68.

XIV.

Eodem modo se vox ὀξεῖα, *acuta*, & βαρεῖα, *gravis* habet. Nam neq; hæ voces primò & per se temperaturæ arteriæ asperæ indices sunt, sed immediatè & per accidens.

XV.

Vox siquidem φύσει, naturâ acuta στενότητα φάρυγγος, angustiam faucium (rectiùs λάρυγγος) gravis verò ejusdem εὐρύτητα sequitur. *Cap.* 69.

XVI.

Itaq; vox acuta mediante angustiâ laryngis frigiditatem significat: quoniam angustia fit à frigore. Gravis verò mediante amplitudine ejusdem caliditatem denotat: quia amplitudo caloris opus est. *Cap* 69.

XVII.

Porrò, quemadmodum αἱ φυσικαὶ διαφοραὶ τῶν φωνῶν, naturales vocum differentiæ, causas, à quibus proficiscuntur, indicant: sic illæ, quæ κατὰ πάθος ἐπιτελοῦνται, ab affectu aliquo præter naturam fiunt, suarum causarum notę esse consueverunt. *Cap.* 69.

XVIII.

Ut enim v.g. vox naturâ rauca arteriæ asperæ humiditatem significat, ita etiam ea, quæ ex morbo rauca est, eandem ostendit. Raucedo enim tàm ab humiditate naturali, quàm non naturali oritur. Eodem modo, sicuti vocis asperitas naturalis ab arteriæ asperitate prodit: hæc verò á siccitate naturali ortum ducit: ita asperitas vocis nonnaturalis asperitatem & siccitatem nonnaturalem arguit. Et hoc est, quod *Galenus* dicit, vocum nonnaturalium differentias naturalibus esse proportionales.

XIX.

Fontes, ex quibus signa temperaturarũ aliarũ partiũ hauriuntur

Hactenus ergò de signis illarum partium actum, quæ evidentes suarum temperaturarum notas habent. Nunc signa tradenda essent aliarum internarum partium, quæ ἀμυδρὰ τῆς κράσεως ἔχουσι, τὰ γνωρίσματα, obscura habent suæ complexionis indicia: cujusmodi sunt intestina, renes, vesica, uterus &c. Verùm, cùm nimis longum foret agere de singulis: ideò ut compendii & brevitatis, quæ hìc proposita, ratio habeatur, fontes solùm præcipui indigitãdi, ex quib. signa illa hauriuntur.

Sunt

XX.

Sunt autem fontes, ex quibus ſigna temperaturarum aliarum internarum partium petũtur, præcipuè duo: Unus eſt τῶν ὠφελούντων καὶ βλαπτόντων, rerum juvantium & lædentium. Alter τῶν ἐνεργειῶν τῶν φυσικῶν δυνάμεων, actionum facultatum naturalium. *Cap.69.*

XXI.

Dictum namque l.3. de ſymptom. cauſ. ὅτι τῆς ἑκάστης δυνάμεως ἀρετή τε καὶ κακία ἡ προηγουμένη κρᾶσις ἐστὶ, quòd cujuſque facultatis virtus ac vitium temperatura principalis exiſtat, h.e. quòd principalis naturalium facultatum cauſa ſit temperies ſingulis particulis inſita. *Cap.69.*

XXII.

Qui ergò (addimus nos) perſpectas habet virtutes & vitia cujuſque partis in actionibus naturalibus, is etiam cujuſq; κρᾶσιν facilè perſpicit. Actio enim ſequitur facultatem: facultas temperiem, tanquam cauſam. Quemadmodum igitur effectus veluti ſignum eſt cauſæ, & nos in illius cognitionem deducit: ſic actiones patefaciunt facultates naturales: & hæ temperaturam partium nobis ſignificant.

XXIII.

Atque hactenus τὰ τῶν κράσεων γνωρίσματα, ſigna temperaturarum, quantum compendioſa & iſagogica artis traditio poſtulat, explanata ſunt. *Cap. 69.*

I.

QUid sit apud Galenum c. 30. ἕξις ὅλȣ τȣ̃ σώματος, habitus totius corporis? *Priusquam ad quæsitum respondeatur, notanda varia* ἕξεως *significata. I. enim sumitur pro prima qualitatis specie, quæ opponitur* τῇ διαθέσει: *h. e. pro ejusmodi qualitate, quæ* μόνιμος *est, stabilis,* δύσλυτος, *ægrè solubilis,* πολυχρόνιος, *longo tempore parta,* καὶ δυσκίνητη, *quæ difficulter à suo subjecto removeri potest. Extat hæc significatio* in princip. *l.* περὶ εὐεξίας, *& apud* Aristot. in categ. qualitatis. *II. pro re permanente & factâ, quæ opponitur rei, quæ adhuc est in motu & generatione, seu, ut loquuntur, in fieri. Hoc modo dicit* Galen. l. 2. meth med. c. 3. *sanitatem, morbum, & symptomata quæ corporis affectus simplices, sive mutatæ qualitates dicuntur, habitus esse: quia res sunt permanentes, constantes, & factæ: actiones verò & alterationes in ipso fieri suam habere essentiam. III. pro* τῇ ἐν τῷ μεὰ τὴν ἐπίδεσιν καιρῷ καταστάσει τῶν ἐπιδεδεμένων, *collocatione deligatorum membrorum post tempus deligationis. Legitur hæc significatio apud* Hipp. l. de officin. med. *Sic enim* ἕξιν *interpretatur* Gal. in comment. istius libri §. 21. *IV. pro* αὐτȣ̃ τȣ̃ σώματος κατασκευῇ, *ipsius corporis constitutione, per quam vel raro, aut denso, vel gracili, aut obeso, vel glabro, aut hirsuto, vel albo, aut nigro, vel sicco, aut humido, vel molli, aut duro esse corpore quis dicitur:*

tur: sic annotante Galeno comm. 2. in l. de vict. acut. § 47. *Atq; hæc ultima significatio apud* Gal. in μικροτ. c. 50. *innuitur. Ait enim, habitum de his maximè partibus dici, quæ primæ intuentibus objiciuntur: cujusmodi sunt musculi ossa omnia cingentes, ex simplici primaq; carne & fibris, quas ipsa convestit, constantes.* Fernelius *per habitum corporis intelligere videtur tertiam publicam corporis regionem. Tertia autem est, quæ non solùm musculosas carnes, sed etiam membranas, & ossa, omnemq; corporis molē externā comprehendit, quæ ab ingressu vasorū minorum in summā extimamq; cutem profertur.* Præter 4. hasce τῆς ἕξεως *significationes offert se quinta, quæ tam bonam, quam malam ejus constitutionem complectitur. Bona vocatur* εὐεξία: *mala* καχεξία. Εὐεξία, *ait* Galen. l. de opt. corp. constit. c. 2. *species est* τῆς ἕξεως: *eò quòd sit* μόνιμόν τι καὶ δύσλυτον. *Estq; duplex: una* ἁπλῶς, ὄντως, καὶ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξία, *quæ optima & absolutissima sanitas est, & quasi* ἐπίτασις, *intensio quædam sanitatis, habetq;* ἀρετὴν, καὶ ἀκρότητα, καὶ τελειότητα, *virtutem quandam summamq; actionum perfectionem, nec nisi in corporibus* ἄριστα κατεσκευασμένοις *reperitur. Altera* μετὰ προσθήκης, *quæ* ἔκλυσις, *remißio quædam sanitatis est: proprioq; nomine caret, ac ob id generis nomine insignitur, &* ὑγιεία, *sanitas appellatur: teste* Gal. *l.* περ. εὐεξ. *non quidem* κατὰ σχέσιν, *quæ ut* idem ad Thrasybu. c. 6. *dispositio est* μεμπτὴ, ἄῤῥωστος καὶ εὔλυτος, *quæq; debiles edit actiones, & facilè à quibuslibet injuriis violatur:*

latur: sed καθ᾽ ἕξιν, quæ δύσλυτος est, actionesq; exercet inculpatas, & fortiter morbificis causis reluctatur. Καχεξία *euexiæ est contraria: de cujus naturâ, differentiis & causis consulantur* Aretæus *l.1. de sign. & caus diut. morb. c.16.* Aëtius *tetr. 3. serm. 2. c.19.* Celsus *l.3. c.22.* Avicenna *l. 3. can. fen. 14. tract. 4. c.3. &* Paulus *l.3. c.47.*

II.

An carnis vocabulum uno eodemq; modo semper accipiatur? *Negatur. Quadruplicem enim carnem apud* Galenum *reperimus. I. est musculosa, quæ fibrosa. Hæc caro propriè & ab omnibus hominibus caro vocatur: authore* Galeno l.10. meth. med. c.11. *item caro exacta: teste* eodem l. 3. alim. fac. c.5. *media potissimùm musculorum pars, quæ venter dicitur. Nam capita quorundam sunt nervosa, aut membranosa: fines multorum, qui caudæ & ἀπονευρώσεις nominantur, tendinosi. II. Parencachymatica, quæ viscerum est,* l.10. meth. med. 11. *Hæc enim ab* Erasistrato παρέγχυμα, *affusio appellabatur: quoniam putabat, viscerum substantiam ex sanguine è venis effuso atq; concreto constitui. III. Glandulosa. Hanc enim* author l. de vivor. anat. *carnis speciem facit: &* Galen in defin. med. *glandulam dicit esse carnem in se convolutam. IV. cuilibet parti propria: ac propterea ἀνώνυμος, aliaq; in aliis partibus habetur: sic docente* Galeno l. 10. meth. med. c. 11. *Est autem hæc caro illa, quæ spermatica filamenta ambit, colligat, tegit, munitq; contra frigus, æstum, injurias alias. Duplex*

quip-

quippe cujusq; partis principium est: spermaticum & sanguineum. Ex illo filamenta fiunt spermatica. Ex hoc caro propria. Natura namq;, ut eleganter sæpiùs monet Piccolhominus in prælect. anatom. *in partium generatione quasi telam ordicens ex spermate filamenta producit. Dein quasi telam texes maternum sanguinem affundit, rimasq; omnes & spatia inter filamenta existentia implet, sanguine in propriam carnem, sive parenchyma, converso.*

III.

An musculus voluntarii motûs sit ὄργανον? *Quæritur hîc de instrumento proximo & immediato. Id musculum esse, ex eo probatur, quoniam nulla pars sine carne musculosa προαιρετικῶς, voluntariè movetur. Quæ autem taliter movetur, necessariò musculum, aut fibras saltem carnosas habet. Præsente igitur musculo, motus adest voluntarius: absente musculo, aut illo saltem læso, vel motus talis desideratur, vel non ritè exercetur.*

IV.

An non etiam Cor secundum Aristotelem: Cerebrum secundum Galenum: & Nervus secundum communem omnium opinionem voluntarii motûs instrumentum rectè dicatur? *Cor statuit* Aristoteles πρῶτον κινητικὸν l. 3. part. an. c. 4. *quia ipsum movetur perpetuò. Verùm motus iste naturalis est, non animalis, de quo hîc sermo. Potest autem etiam motûs principium dici, sicut & reliquarum functionum animalium: nimirùm*

rùm non proximum & immediatum: sed remotum & mediatum: idque mediante calore & spiritu vitali, qui ad omnium actionum exercitium necessarius est. Cerebrum *similiter motûs est principium, quia spiritum confert animalem & nervos: sine quibus motus* προαιρετικὸς *fieri nullus potest. At proximum istius motûs* ὄργανον *non est.* Nervus *instrumētum est commune, non tantùm motûs, sed etiam sensûs. Est enim delator spiritûs animalis, quem generavit cerebrum. Propterea, ubi motus est, ibi quidem præsentia nervi requiritur: sed nō ubi nervus ibi motus. Testes sunt membranæ, cutis, dentes, viscera &c. quibus dati quidem nervi: at motus negatus. Quid ita? Quia proprium voluntarij motûs* ὄργανον *deest: caro scil. fibrosa, quæ musculosa dicitur.*

V.

Quæ pars in musculo princeps sit motûs causa: caróne, nervus, an tendo? *Placitum* Galeni est l. de diff. morb. c. 6. *in quovis organo partem aliquam esse, quæ princeps causa sit actionis, quæ ab illo edi perhibetur. Quæritur ergò haud immeritò, cùm musculus volūtariè partes moveat, an motûs primaria causa sit nervus? an tendo? an caro? Respondetur,* nervum non esse. *I. quia etiam alibi, extra musculum moveret. At falsum hoc esse ostendunt plurimæ partes, quibus concessi nervi: musculi autem negati. II. quia exilior est, quàm ut contractione suâ partem movere possit. III. quia obliqua & flexuosa nervi est in musculum insertio.*

Quo-

Quomodo ergò contractionem molietur? IV. quia per totum musculi corpus ramulos non spargit. Neque tendinem esse dicimus princeps motûs organum: *quoniam non omnes musculi tendinem habent. Hoc enim verùm esse, testantur musculi linguæ, laryngis, sphyncteres ani & vesicæ urinariæ: intercostales interni & externi, alij. Volunt namque Anatomici, tendinem non simpliciter & absolutè ad quemvis motum necessarium esse: sed tantùm ad illum, qui vel est jugis & aßiduus, cujusmodi est oculorum: vel validus & vehemens, quo majora gravioraq́ membra moventur: ut sunt artus superiores & inferiores.* Carnem igitur fibrosam *primarium motûs* ὄργανον *statuimus. I. quia ubi hæc, ibi motus, II. quia* Galenus l.4. vs. part. cap. 12. *eam partem in aliquo organo principem actionis causam agnoscit, quæ organo est peculiaris, & cui similem alibi reperire non liceat. At caro fibrosa musculo est peculiaris, & similis alibi minimè reperitur. Ergò motûs voluntarij princeps in musculo causa est. Hinc videmus, eas partes, quæ tantùm carnosis sunt donatæ fibris, musculorum vices agere. Exemplo sit panniculus ille nerveus, qui in capite hominis fibris ejusmodi præditus est, ac proinde facit, ut cutis capitis* προαιρετικῶς *moveatur: in aliis tamen magis, in aliis minùs: pro ut in aliis magis, in aliis minùs est carnosus. Et porcorum, canum, equorum, aliorumque brutorum cutim universam mobilem esse cernimus, ut & aquam, & pulverem, & sordes, & muscas, &*

alia

alia excutere valeat. Cujus rei nulla alia causa est, quàm quòd panniculo dicto, fibris carnosis undiquaq; texto, firmissimè adhæreat.

VI.

An contractio, an extensio propria sit musculi actio? Duplex est actio musculi: contractio & extensio. Sed actio musculi primaria secundum Galenum l. 10. us. part. c. 9. & lib. 11. us. part. cap. 4. est ipsius versus principium suum contractio, & oppositi musculi relaxatio. Secundaria est illius relaxatio, & oppositi musculi contractio. Quæ duæ actiones in musculis manûs & pedis præcipuè conspiciuntur. Dùm enim musculus partem movet, perpetuò versus principium suum, quod caput appellatur, contrahitur. Esse verò contractionem propriam cujusque musculi actionem, inde patet: quia si musculum secueris per transversum, videbis, aliam partem sursum, aliam deorsum contrahi. Relaxatio, sive extensio motus est alienus & adventitius. Nam dùm contractus musculus extenditur, ab alio laxatur, non à se ipso. Id quod maximè clarum est in musculis antagonistis: flexoribus scil. & tensoribus: levatoribus & depressoribus: adductoribus & abductoribus. Exempla habentur in musculis oculorum, linguæ, brachiorum, cubiti, carpi, digitorum manuum, femorum, tibiarum, pedum digitorum &c.

VII.

An verum, quod dicit Galenus in μικροτ. c. 50. propriam musculorum substantiã ex carne

pri-

primâ ac simplici, & fibris constare? *Omnino. Omnibus enim musculis hæc duo insunt: neque demonstrari potest musculus, qui non ex carne & fibris sit conflatus. Membranæ, quibus musculi à se invicem separantur: venæ, quæ alimentum conferunt: arteriæ, quæ vitam communicant: nervi, qui dant sensum ac motum: & tendines, qui ad robur ac firmitatem faciunt, adjuncta tantùm sunt musculorum: membranæ quidem venæ, nervi, & arteriæ planè necessaria: tendines autem non simpliciter & absolutè, sed tantùm secundum quid. Propterea non omnibus musculis sunt appensi: sed iis solùm, qui vel assiduè, vel graviora membra movere debuerunt, & motus sustinere validiores.*

VIII.

Utrum Regio intemperata cutim eâ ratione immutare valeat in qualitatibus, ut ex illis nihil certi de temperaturâ habitûs nativâ judicare liceat. *Ita arbitratur* Galenus *in* μικροτ. *cap. 50. Exemplo esse queunt regiones fervidæ & gelidæ: quarum istæ cutim reddunt albam, mollem, humidam, pilósque candidos: quantumvis partes internæ sint calidæ. Illæ contrà cutim exurunt, siccant, denigrant: licet membra forsan interiora sint frigidiora. Fortior enim potentiórque illa est alteratio, quæ à valdè intemperatâ regione proficiscitur, quàm quæ à causis internis manat. Itaq; non mirum, si alia signa eluceant foris: alia κράσις sit intus.*

IX.

An idem quoq; prava victûs ratio etiam in regione temperata facere queat? *Ajens placet* Galeno ibid. *Experimur enim, præpoſterum* 6.
rerum non naturalium uſum habitum corporis mirum in modum immutare. Teſtes ſunt, qui vel in aëre humido, impuro, infecto, ventisque minimè perflato habitant: vel cibis κακοχύμοις *utuntur: vel iisdem nimis ſe infarciunt: vel corpus immoderatiùs & intempeſtivè exercent: vel in otio ac quiete vivunt: vel ſomno plus ſatis indulgent: vel aſsiduè vigilanti: vel mœrore ſe conficiunt: vel irâ ſæpius excandeſcunt.*

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XVII.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOHANNE HENRICO ARCULARIO,
Paderbornâ-Westphalo.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

COrpus ſimpliciter inſalubre ſuprà *Cap.* 5. id dicebatur, quod ἐκ γεννετῆς ἢ δύσκρατον τῆς ὁμοιομερέσιν, ἢ ἀσύμμετρον τοῖς ὀργανικοῖς, ἢ ἀμφότερα, ab ipſo naturæ ortu vel in ſimilaribus partibus eſt intemperatum: vel in diſſimilaribus incõmenmenſuratum: vel utroq; vitio laborat.

Signa corporum ratione compoſitionis inſalubriũ.

II.

Cùm ergò illius ſigna hactenùs ſint expoſita, quod ratione κράσεως inſalubre eſt; ſequitur, ut illius indicia declarentur, quod *ratione compoſitionis* in partibus organicis tale exiſtit.

III.

Antè verò quam *Galenus* hoc negotium aggrediatur, oſtendit, quarum partium vitia circa *compoſitionem*, h.e. *conformationem, magnitudinem, numerum,* & *ſitum* γνωρισθῆναι ſint ῥάδια, quarum δύσγνωστα, quarum ἄγνωστα planè.

IV.

Inquit ergò, partes organicas, quæ vel circa *magnitudinem*, vel *formationem*, vel *numerum*, vel *ſitum*, vitium aliquod habent, aut ὑποπίπτειν

ταῖς αἰσθήσεσι, sensibus subjici: aut ὑχ' ὑποπίπτειν, sensibus minimè percipi. Cap. 70.

V.

Quæ in sensus incurrunt, ut sunt externæ: caput v. g. thorax, scapulæ, humeri, sive brachia, cubiti, manus extremæ, coxæ, femora, tibiæ, pedes, earum vitia, sive consistant ἐν διαπλάσει, sive ἐν μεγέθει, sive ἐν ἀριθμῷ, sive ἐν συνθέσει, πρόδηλα sunt, in propatulo & cognitu facilia. Cap. 70.

VI.

Quæ autem sensu percipi nequeunt, sed in corpore delitescunt, illarum σφάλματα, errata, vel δύσγνωστα sunt, vel ἄγνωστα. Cap. 70.

VII.

Hoc præceptum *Galenus* duobus exemplis illustrat: quorum prius desumptum est à *Ventriculo*.

VIII.

Refert enim, vidisse se cujusdam ventriculum adeò parvum, ac rotundum, ac προπετῆ κατὰ τὸ ὑποχόνδριον, juxta hypochondrium prominentem, ut ἐναργῶς, manifestè, κατὰ περιγραφὴν ἰδίαν, ex circumscriptione propriâ, & videntibus, & tangentibus appareret. Cap. 71.

IX.

Peccârat igitur iste ventriculus & in magnitudine, quoniam valdè parvus erat: & in figurâ, quoniam erat rotūdus: & in situ, quia juxta sinistrum hypochondrium prominebat. Et cogno-

gnoſcebantur hæc vitia partim viſu, partim tactu. Unde conſtat, verum eſſe, quòd, licet partium organicarum, quæ ἐντὸς τοῦ σώματος, intus in corpore conditæ ſunt, vitia difficulter cognoſcantur, aliquo tamen modo cognoſci poſſint.

X.

Poſterius petitum eſt à veſicâ vrinariâ. Ait enim, ſe cujuſdam veſicam adeò prominentem ac parvam conſpexiſſe, ut, ſi quando urinam redderet tardiùs, tumor quidam περιγεγραμμένος, circumſcriptus manifeſtè cerneretur. *Cap.* 72.

XI.

Cæterùm, licet non omnes internæ partes manifeſta nobis præbeant ſuorum vitiorum indicia, ex quibus evidenter cognoſci poſſint: opera tamen danda, ut ſi non κατ' ἐπιστήμην βεβαίαν, certâ firmâq; ſcientiâ ſaltem κατὰ στοχασμόν τινα τεχνικὸν, artificioſâ quadam conjecturâ explorari queant. *Cap.* 72.

XII.

Cognitionis iſtius per artificioſam conjecturam duo exempla *Galenus* proponit. *Vnum eſt hepatis.* Vidit enim plures, quibus venæ erant anguſtæ, & totum corpus ἄχροουν, vivido colore privatum. Quodſi pluſculum cibi flatulenti, craſſi & tenacis, ſive viſcoſi aſſumſiſſent, nonnulli quidem veluti pondus quoddam inſidens, & ſuſpenſum in profundo dextræ hy-

pochondriorum partis ſentiebant: quidam verò cum quadam tenſione dolorem (τάσιν ὀδυνώδη) ſentiebant. In his ergò veriſimile erat, hepar fuiſſe parvum, & anguſtos habuiſſe meatus. *Cap.* 73.

XIII.

Alterum eſt hominis phlegmatici, qui tamen bilem quotidiè vomebat. Cùm enim *Galenus* videret, ὅλην τὴν ἕξιν φλεγματικὴν fuiſſe, & hominem tamen ſingulis diebus bilem flavam vomitu reddidiſſe: judicabat, excrementa alvi inſpicienda eſſe. Quia verò minimum bilis in illis apparebat, ſuſpicatus eſt, porum bilarium non exiguam bilis partem ad πυλωρὸν ventriculi effundere: quemadmodum in aliis quibusdam animalibus fieri conſuevit. *Cap.* 74.

XIV.

In hanc autem ſuſpicionem *Galenus* minimè veniſſet, niſi in anatomicis fuiſſet exercitatus. Unde concludit, rei anatomicæ, & uſuum atq; actionum cognitionem ſummè eſſe Medico neceſſariam: præſertim ad ea inveſtiganda vitia, quæ internis corporis partibus inhærent. *Cap.* 74.

XV.

Quare, quisquis facultatem dignoſcendi hujuſmodi corpora, quæ vitium in compoſitione habet, ſibi comparare ſtudet, is ſanè in corporum ſectionibus, & functionum atq; utilitatum inquiſitionibus ſeſe exercere debet. De his

his autem alibi à *Galeno* tractatum est, & pluribus quidem libris: quorum in fine μικροτέχνης mentio fit, ut discendi cupidi sciant, unde haurire debeant, quæ discere optaverint. *Cap.* 74.

Corollaria.

I.

Utrum moderatus ille corporis habitus, quem Gal. in μικροτ. c. 51. describit, in hominem cadat? *Ex allegato loco constat, moderatum corporis habitum nullum neq; excessum, neque defectum habere: h.e. neq; tangentibus sentiri calidum, frigidum, mollem, aut durum: neq; inspicientibus hirsutum, glabrum, crassum, aut tenuem: sed mediocritatem servare, tùm in his, tùm in aliis accidentibus, esseq; regulæ Polycleti, ratione perfectionis, similem Fabricârat enim Polycletus statuam tanti ingenij & artis, ut, quemadmodum* Galen. l. 17. us. part. c. 1. & l. 1. de temperam. cap. ult. *nec non* Plinius l. 34. c. 8. *referunt, propter partium statuæ convenientiam ac proprtionem stupẽdam,* Canon, *sive* Regula *appellata sit: ad quam statuæ aliæ, tanquam ad normam, sive amußim exigebantur: & artificiosiores judicabantur, quò propiùs ad illam acceßissent; minùs artificiosæ, quò ab eâ longiùs abfuissent. Pari ratione σύμμετρος corporis habitus perfectißimus est omnium: & mediocritatem tùm in substantia, tùm in accidentibus*

servat: ac propterea velut regula, norma, & amussis est aliorum, qui ad illam comparati crassi aut tenues: pingues aut macri: duri aut molles: hirsuti aut glabri dicuntur. Quaeritur ergò, an is in hominem cadat? Non dubitamus, quin in primos nostros parentes ceciderit. Sic enim à Protoplaste Optimo & Maximo formati erant, ut meliùs & perfectiùs formari non potuissent. Sed an hoc seculo, quo omnia nutant, & ad deterius vergunt, in aliquo mortalium inveniatur, haud immeritò quaeritur? Respondemus, in hac vivendi licentiâ summâ, libidine inexpletâ, & illegitimo rerum non naturalium, tàm necessariò, quàm non necessariò nos alterantium usu, aut nunquam inveniri: aut si invenitur, non tamen secundum omnia requisita, sed quaedam solùm inveniri. Proponendum tamen esse, tanquam mensuram excessuum atque defectuum in illis habitibus, qui à συμμετρίᾳ moderati habitûs recedunt.

II.

An Galenus συμμέτρῳ corporis habitui rectè tribuat colorem roseum, qui ex albo & rubro mistus? *Praesupponitur, etiam interiora viscera in ejusmodi habitu rectè se habere. Aliâs enim habitus musculorum corporis exterior σύμμετρος esse non posset. Rectè verò* Gal. *roseum colorem συμμέτρῳ habitui tribuit. Cutis enim suâ naturâ alba est: quia spermatica: & caro musculorum, quae transparet, rubra: quoniam sanguinea. Elucet igitur color similis illi, qui ex lacte & sanguine proportionali-*

naliter mistis resultat: maximè in facie, cujus cutis tenerior & delicatior, quam reliqui corporis. Itaq; carnis ruborem transparere facilè sinit.

III.

Num pili in ejusmodi habitu mediocriter sint flavi? *Sic ait idem* Galen. c. 51. *Et meritò. Est enim hic pilorum color medius inter album & nigrum: quorum ille frigiditatis: hic caliditatis est index. At neutra qualitas in συμμέτρῳ corpore excellit.*

IV.

An huic corporis habitui pili mediocriter sint crispi? *Affirmativa placet* Galeno ibidem. *Admodum enim crispi fiunt ob siccitatem cutis, & pororum illius tortuositatem, caloremq; pilos siccantem & intorquentem: simplices autem & recti à causis contrariis ortum ducunt. At qualitatum nullus datur in συμμέτρῳ corpore excessus. Itaq; pili in eo sunt, neq; crispi nimis: neq; planè simplices & recti sed quodammodo crispi.*

V.

Utrum calor generis carnosi habitum corporis calidum esse necessariò significet? *Ajentem tuetur* Gal. c. 52. *μικρόν & quidem tantò calidiorem illum statuit, quantò calor magis tangentibus se offert. Ratio est in promptu: quoniam carnes cuti sunt vicinæ. Ideoq; tactiles earum qualitates facilè sentiuntur: tales scil. & tantæ, quales & quantæ carnibus sunt concessæ. Oportet autem eum, qui tangitur, omnis alienæ & adventitiæ al-*

terationis expertem esse: ne temperamento tribuatur, quod causis aliis, tùm externis, tùm internis ascribendum erat. Manus quoq; tangentis & κρᾶσιν habitûs corporis explorare studentis moderatas esse decet, h. e. omnis excessûs in primis & secundis qualitatibus expertes. Deniq; ut temperatura investigetur certiùs, homo, cujus κρᾶσις cognoscenda, non semel, sed sæpè tangendus. Nam qui calidus semper deprehenditur, calidus: qui frigidus sentitur, frigidus judicari debet. Quæ cautelæ etiam in aliarum temperaturarum διαγνώσει sunt observandæ.

VI.

An habitus corporis calidior sit hirsutus? *Annuit* Galenus ibid. *& quidem tantò magis, quò calor est intensior. Hirsutum autem valdè est corpus, si habitus non tantùm sit insigniter calidus, verùm etiam siccus. Omnes enim causæ, quæ ad pilorum generationẽ necessariæ sunt, se offerunt. 1. materia, fuligo. 2. efficiens, calor. Hic enim fuligines gignit, easq; foràs propellit. 3. cutis crebris foraminibus pervia. Nam in densâ humidaq; cute pili vix erumpunt.*

VII.

Nunquid calidior habitus parùm habeat pinguedinis? *Omninò: minimeq; omnium, si non solùm sit intensè calidus, sed etiam valdè siccus: sic docente* Gal. c. 52. *&* 56. μικρ. *Calidus quippe habitus à calido proficiscitur temperamento. At ubi mul tum est caloris, ibi & materia pinguedinis con-*

ſumitur: & concretio ejus inhibetur. Calor enim liquat atque diſſolvit.

VIII.

Sitne calidior & ſiccior corporis habitus ad tactum calidus & durus: tenuis, ſive gracilis & macer: pilis nigris obſitus: colore nigro tinctus? *Ajens arridet* Galeno *c.56. μικροτέχν. Eſt autem* 1. calidus : *quia à principiis calidis proficiſcitur. Qualia enim ſunt principia, talia quoq; exiſtunt principiata. Et acrius quidem calor iſte tactum ferit, quàm in habitu calido & humido: quia ipſe propter adjunctam ſibi ſiccitatem, quæ caloris eſt lima, acrior eſt. In humido enim mitior eſt & halituoſior. Eſt* 2. *habitus iſte* durus: *tùm quia ſiccus. Siccitatem enim durities comitatur. Tùm quia calidus. Calor enim humiditates reſolvendo ſiccat. Eſt* 3. gracilis & macer: *quia* ἀπίμελος καὶ ἄσαρκος. Ἀπίμελος *quidem: quoniam ſiccus calor, qui acrior, generationem pinguedinis arcet, materiam ejus conſumendo: & concretionem impedit, liquãdo. Genitam etiam tollit, diſcutiendo diſſipandoq;.* Ἄσαρκος *verò:* δι' ὀλιγαιμίαν, *propter paucitatem ſanguinis. Hic enim à calore acriori conſumitur. Minùs quoque ſanguinis in naturâ calidâ ſiccaq; generatur: ut monſtrat habitus cholericorum. Idem denique calor, ut partium aliarum, ita quoq; muſculorum humiditates exiccat: quo fit, ut graciliores evadant. Et eſt habitus ejuſmodi diſſipatu facilis, quoniam rarus & poroſus. Hinc videmus, æſtivo tempore homines graciliores eſſe quàm hyberno:*

berno: quoniam calor internus ab externo quasi incensus corpus, quod tùm temporis patens atque apertum, fortiùs discutit. *Est* 4. nigris pilis obsitus: *quoniam materia pilorum quodammodò deuritur, & in exquisitam fuliginem mutatur.* *Est* 5. cutis nigra: *siquidem calor multùm excedat: quoniam sanguis, qui alimentum est totius, nonnihil aduritur, ac propterea denigratur. At qualis sanguis est in venis, talis calor efflorescit in cute.*

IX.

Recténe Galenus calidum & humidum habitum dicat esse mollem, calidum, carnosum, & morbis ex putredine nasci solitis obnoxium? *Rectè sanè. Est autem* 1. mollis: *quoniam humidus: & talis, quia* πολύαιμος καὶ πολύσαρκος. *Est* 2. calidus: *nisi à causis externis, v. g. aëre, aquâ, rebus aliis, refrigeratus quoniam à principiis calidis, corde præcipuè & hepate calidiore, ortus. Dixit enim* Galen. c. 50. *habitum totius corporis naturam cordis & hepatis sequi. Est* 3. carnosus: *quia* πολύαιμος. *Est* 4. putridis morbis obnoxius: *præsertim si humiditas magis, quàm calor excedat: quoniam, ut ipsius exponit* Galenus, κακοχυλίᾳ *facilè laborat. Nam & à redundante humore calor suffocatur: & ob largi humoris præsentiam plurima excrementa cumulantur, quæ superari à calore nequeunt. Ventilatio ergò & perspiratio prohibetur: halituosa excrementa retinentur: accenduntur humores: putrescunt: & tùm affectus alios, tùm febres inprimis putridas creant.*

Quod

Quodsi excedat magis calor, quàm humiditas, tùm habitus minùs putridis patet affectibus: quia calor humiditatem vincit, & excrementa dißipat.

X.

Sitnè frigidus & humidus habitus depilis. albus, mollis, crassus & pinguis; &, si excessus utriusque qualitatis sit insignis, cutis livido, sive plumbeo colore infecta? *Affirmativa placet* Galeno *cap.* 58. *Monet autem aliquoties, & in hac, & in quavis alia compositâ κράσει, quòd signa eò sint evidentiora clarioraq́ue, quò excessus qualitatum est major: eò verò obscuriora, quo excessus est minor. Quodsi excessus sit inæqualis, docet, illius qualitatis, quæ excellit, signa præfulgere: h. e. magis in sensum occurrere: minùs illius, quæ inferior ac remißior. Est enim in compositis temperaturis ita comparatum, ut vel ambæ qualitates pares sint: & intensæ aut remissæ: vel impares: ita ut una excedat, altera deficiat, & gradibus sit inferior. Quando ergò ambæ sunt intensæ, amborũ signa clarè elucent. Cùm ambæ remissæ, amborum signa obscura sunt. Cùm altera intensa, altera remissa, tùm illius signa illustria sunt, hujus minùs talia.* Sed ad rem. *Frigidus & humidus habitus* I. *est* depilis: *non quidem quò ad pilos συγγενεῖς, qui nobiscum in utero nascuntur: quales sunt capitis, palpebrarum & superciliorum: sed quò ad ὑστερογενεῖς, cujus generis sunt menti in viris, axillarum, pudendorum, reliquiq; corporis in sexu utroq;. Illi enim etiam in frigido humidóque locum habent: hi non perinde*

utin

ut in habitu calido & ſicco. Cutis enim denſa eſt & humida. At pilus raritate & mediocri humiditate gaudet. Requirit etiam calorem exuſcitantem fuligines, eaſdémque ad cutem protrudentem. At & caloris & fuliginis hîc eſt defectus. Eſt 2. mollis: *quia humidus.* Eſt 3. albus: *quoniam phlegmaticus. At phlegma albo tingitur colore.* Eſt 4. pinguis & obeſus: *quia frigidus & denſus. Itaq; pinguedinis materia minimè deſideratur.* Eſt 4 Lividûs & *plumbeus: quia calor languet, & phlegma dominatur. Vividi enim roſeique coloris cauſæ ſunt ſanguinis bonitas, caloris ubertas, & ſpirituum vitalium puritas ac copia. Sanguis dat ruborem: calor & ſpiritus ruborem reddunt illuſtriorem.*

XI.

Num frigidus & ſiccus habitus rectè dicatur à Galeno cap. 59. durus, gracilis, glaber, ad tactum frigidus, aliquid habẽs pinguedinis per carnes diſperſæ? *Affirmatur.* Eſt *autem* 1. *durus, quia ſiccus.* Eſt 2. gracilis, *quia ἄσαρκος: & talis eſt, quia ὀλίγαιμος.* Eſt 3. glaber: *quia cutis ob ſiccitatem & frigiditatem denſa: & calor, qui fuliginum, pilorum materiæ, author, languidus.* Eſt 4. ad tactum frigidus: *quoniam tale quodlibet corpus tactu percipitur, quale ipſum ſecundum tactiles qualitates exiſtit: niſi adventitiis & extraneis alteratum ſit qualitatibus.* Habet 5. aliquid pinguedinis, *præſertim ſi ſiccitas non magnoperè excedat: quoniam nil eſt quòd pinguedinis mate-*

riam

riam consumat: nil etiam, quod ejus concretionem inhibeat: nil quoq; quod genitam dissolvat.

XII.

An prompta corporis ab externo frigore refrigeratio, indicium sit, corpus aut frigidum esse, aut rarum atq; porosum? *Sic credit* Galenus c.59. *Frigiditas enim corporis à frigidâ causâ augetur. Raritas autem externum frigus facilè penetrare sinit. Hinc senes, quia frigidi, facilè à frigido offenduntur aëre. Propterea scriptum reliquit* Hipp. aphor. 18. s. 3. *senes æstate, & autumni ad aliquam usq; partem* ἄριστα διάγειν καὶ ὑγιαίνειν. *Et qui habitu sunt gracili, poroso, ac raro similiter ab externo frigore citò læduntur: non quia frigidi, sed quia corpus eorum rarum, quod penetrantis frigoris vim facilè admittit. Quod si corpus* εὔψυκτον *non sit, h, e. à frigore externo non facilè lædatur: sed* δύσψυκτον, *signum erit, aut caliditatis, aut densitatis. Calor enim frigori externo resistit: densitas verò corporis eidem viam precludit, quò minùs promptè ad interiora penetrare valeat.*

XIII.

An is corporis habitus siccus censendus, qui à rebus desiccantibus facilè offenditur, & ab iisdē aridus siccusq; ac ad motū difficilis redditur? *Sic videtur* Gal. cap. 59. *Omnes enim exuperantiæ non tantùm foventur: sed etiam augentur à similibus exuperātiis. Quo fit, ut corpus, cujus natura moderata quæ sūt desiderat, facilè lædatur. Ad motum autem promptum atq; expeditum partiū*

requi-

requiritur flexibilitas. Huic autem mollities necessaria est, ut partes facilè obsequantur. At sicco existente corpore, & siccato magis à causis siccantibus, cujus generis sunt aër siccus, balnea siccantia, v g. aluminosa & salsa, siccantia remedia topica & cat. rigidius durimque evadit. Quare minùs flexibile, & per consequens δυσκίνητον. *Flexibiles autem maximè illas decet esse partes, quæ articulis, sive juncturis oßium vicinæ sunt: ut sunt tendines, ligamenta, musculi, nervi, membranæ imò & articulos ipsos lubricos esse oportet: quod fit, si mucus ille,* μύξα Hippocrati l. de loc. in hom. *dicta, adsit. At is exiccantium rerum usu consumi solet.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XVIII.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:


Respondente

MATTHÆO Wagner/
Augustano.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

HACTENUS Galenus *ſigna* explicuit, quæ ſunt corporum ſanorum: tàm eorū, quæ talia ſunt ἁπλῶς, & optimè ſunt conſtituta: quàm illorum, quæ vitia quidem habent tùm in temperaturâ, tùm in compoſitione: ſed nondum manifeſtas & ſenſibiles ſuarum functionum læſiones ſortita ſunt, & *ſimpliciter inſalubria* vocantur, infimumque gradum in ſanitatis latitudine tenet. Nunc ad *inſalubria ſigna* accedit, quæ ſunt eorum corporum, quæ νῦν *inſalubria*, & *actu ægrotantia* nominantur.

Signa inſalubria: quæ ſunt corporū actu ægrotorū.

II.

Primùm autem generales quoſdam ſignorum fontes proponit, ex quibus partes affectæ, tùm externæ, tùm internæ, quarum cauſâ corpus actu fit ægrum, cognoſcuntur. Deinde illos ad certas quaſdam corporis partes accommodat, quarum ratione corpus potiſſimùm ægrum redditur.

III.

Partes affectæ vel ſunt externæ, quæ ὑποπίπ-

τουται ταῖς αἰσθήσεσι, sensibus nostris subjiciuntur: vel internæ, quæ sunt μὴ φαινόμεναι, h. e. sensus latent. *Cap.* 75.

IV.

Quæ sensibus subjiciuntur, affectæ judicantur, si videamus, ea, quæ ipsis κατὰ φύσιν insunt, à naturali statu recedere. Mutatis enim magnitudine, colore, figurâ, numero, situ, duritie, mollitie, frigiditate, aut caliditate, liquidò constat, eas ægrotare. *Cap.* 75.

V.

Internas autem laborare partes cognoscimus 1. ἐκ βλαβῶν τῶν ἐνεργειῶν, ex actionum læsionibus. 2. ἐκ τῶν ἐκκρινομένων, ex iis, quæ excernuntur. 3. ἐκ τῶν ὀδυνῶν, ex doloribus. 4. ἐκ τῶν ὄγκων, ex tumoribus: & istis quidem vel omnibus, vel quibusdam solùm. *Cap.* 75.

VI.

Hosce signorum fontes, hancque generalem dignoscendarum partium affectarum methodum *Galenus* jam exemplis cerebri, cordis, hepatis, ventriculi, thoracis, & arteriæ asperæ laborantis declarat.

VII.

Et *Cerebrum* quidem affectum esse, cognosci posse dicit ex tribus signorum fontibus. 1. ex læsis cerebri actionibus: nimirùm principibus; quæ sunt Ratio, Imaginatio, & Memoria: sensitivis: & motivis. 2. ex excretionibus, iis puta, quæ vel per palatum, vel per nares, vel per

aures

aures fiunt. 3. ex dolorum, qui capiti accidunt, differentiis. *Cap* 76.

VIII.

Cor affectum cognoscitur, 1. ex speciebus difficultatis respirationis. 2. ex palpitationibus, quæ cordi evenire solent. 3. ex pulsibus cordis & arteriarum. 4. ex ὀξυθυμίᾳ, ἢ ἀθυμίᾳ, excandescentis iræ celeritate, aut tarditate. 5. ex febribus. 6. ex refrigerationibus corporis. 7. ex differentiis colorum, ipsius potissimùm faciei. 8. ex doloribus, qui cordi obtingere consueverunt. *Cap.* 77.

IX.

Hepar laborare scitur 1. ex defectu & abundantiâ humorum. 2 ex humorum corruptione. 3. ex ἀχροίᾳ, decoloratione. 4. ex impeditâ alimenti ἀναδόσει, sive distributione. 5. ex malâ nutritione. 6. ex superfluorum excretione. 7. ex gravitate, sive ponderis sensu in hypochõdrio dextro. 8. ex tumoribus eidem hypochondrio inhærentibus. 9. ex doloribus, tùm iis, qui in ipsomet jecore, tùm illis, qui in aliis partibus jecori consentientibus percipiuntur 10. ex difficili respiratione. 11. ex specie tussis, *Cap.* 78.

X.

Ventriculum ægrotare perspicitur 1. ex errore concoctionis. 2. ex læsione appetitûs, tùm cibi, tùm potûs. 3. ex superfluitatum excretione. 4. ex singultibus. 5. ex eructationibus. 6. ex nauseis. 7. ex vomitibus. 8. ex ipsis eorum,

quæ evomuntur, speciebus. 9. ex doloribus. 10. ex tumoribus. *Cap*. 79.

XI.

Thoracem malè habere deprehenditur 1. ex spirandi difficultatibus. 2. ex tussibus. 3. ex doloribus, qui in ipso thorace fiunt. 4. ex differentiâ eorum, quæ cum tussi expuuntur. *Cap* 80.

XII.

Arteriam asperam affligi conjicitur 1. ex difficultate anhelitûs. 2. ex tussibus. 3. ex doloribus, qui ipsi accidere solent. 4. ex sputaminibus, 5. ex læsionibus vocis. *Cap*. 80.

XIII.

Cæterùm, cùm nimis longum, fortassis & tediosum valdè foret, fontes signorum *cap*. 75. traditos singulis applicare partib. internis, quas sensum effugere nostrum dictum fuit: ideò ne in immensum hæc signorum insalubrium doctrina excrescat, quomodo aliæ etiam internæ partes, siquidem sint affectæ, cognosci queant, *Galenus* ostendit.

XIV.

Cognosci verò eas posse dicit 1. ex tumore. 2 ex dolore. 3. ex actionum læsione: 4. ex specie excretorum. *Cap*. 80.

XV.

Sunt autem præcipui *tumores* p.n. 4. Inflammatio: Scirrhus: Oedema: Erysipelas. *Cap*. 80.

XVI.

Dolor, quemcunque occupârit locum, aut

gurs-

συνεχείας λύσιν, continui ſolutionem: aut ἀλλοίωσιν ἀθρόαν, alterationem ſubitò confertimque factam oſtendit. *Cap*. 80.

XVII.

Solvitur verò continuitas τομῇ, ſectione, ſive inciſione: διαβρώσει, exeſione, ſive eroſione: θλάσει, contuſione (*Leonicenus* malè vertit fractione) & τάσει, tenſione. *Cap*. 80.

XVIII.

Alteratio verò ſubſtantiæ fit à caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate. *Cap*. 80.

XIX.

Actio læditur tripliciter. ἢ γὰρ ἀρρώστως, ἢ πλημμελῶς, ἢ μηδ᾽ ὅλως γίνεται, aut enim debiliter, aut vitioſè, aut nullo modo fit: H. e. actio læſa dicitur, vel quia diminuta; vel quia corrupta & depravata; vel quia prorsùs abolita. *Cap*. 80.

XX.

Quæcunque autem excernuntur, vel ſunt ὡς μόρια τῶν πεπονθότων, veluti partes locorum affectorum: vel ὡς περιττώματα, tanquam excrementa: vel ὡς ἐν αὐτοῖς κατὰ φύσιν περιεχόμενα, ceu naturaliter in iis contenta. Quæ omnia in eo conveniunt, quòd partium laborantium ſigna exiſtant. *Cap*. 81.

XXI.

Verùm, de his pleniùs actum in opere de locis affectis: quod *Galenus* dicit neminem ante ſe, aut in artem redegiſſe, aut plenè atq; perfectè tradidiſſe. Id quod etiam in aliis artis

partibus factum: quas veteres quidem inchoârunt: ad finem tamen atq; perfectionem minimè perduxerunt. *Cap.* 81.

XXII.

Quapropter, ſigna partium laborantium ex opere de locis affectis petenda ſunt. In ſequentibus verò oſtendendum, quibus ex ſignis corpora in ægritudinem lapſura dignoſcantur. *Cap.* 81.

Corollaria.

I.

Utrum muſculi omnes unam eandemque κράσιν habeant necné? *Vt hoc problema moveremus, anſam nobis præbuit* Gal. c. 59. *ubi monet, quòd judicaturi de* κράσει *habitûs corporis, qui in muſculoſo præcipuè genere ab eo conſiſtere dicitur, diſpicere debeamus, num omnes muſculi eandem* κράσιν *ſervent? Ratio præcepti eſt: quoniam tùm demùm de totius habitûs temperaturâ aliquid ſtatuere licet, cùm omnes muſculi eandem* κράσιν *ſervaverint: minimè verò, ſi* κράσιν *habuerint diverſam. Reprehendit enim* Gal. l. 2. temperam. c. 6. *eos, qui ex unius partis temperamento de totius corporis naturâ judicare, & v. g. ex calvitie totius ſiccitatem concludere volunt. Ad quæſitum verò reſpondemus, omnes muſculos, naturaliter ſe habẽtes, eandem, quoad ventres, quoad ſubſtantia carnoſa*

noſa

nosa constituit, κρέασιν habere: non verò quo ad capita & caudas. Capita enim multorum membranosa sunt, nervosa, aut tendinosa: plurimorum carnosa. Caudæ plerorumque tendinosæ: quorundam tamen etiam carnosæ. Non naturaliter verò affectos diversis imbutos esse qualitatibus: uti fieri videmus in tumoribus, vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus, & ἀτροφίᾳ membrorum particulari.

II.

Quæ causa, quòd Gal. cap. 59. in dignotione temperamenti habitûs corporis ossium magnitudinem considerari velit? *Vt caveamus, ne habitum corporis dicamus siccum, qui tamen humidus: aut contrà humidum statuamus, qui siccus est. Solent enim partes exteriores aliquando graciles esse, non propter tenuitatem musculorum, sed ossium. Interdum crassæ apparent, non propter ossium magnitudinem, sed musculosæ carnis ubertatem. Possunt enim ossa esse magna & ampla: caro verò, quæ illa tegit, pauca & tenuis. Et contrà, ossa queunt esse parva: caro autem multa. Itaque, si ossa sunt magna, caro pauca, membrum videri posset carnosum & humidum: quod tamen reverà siccum. Rursus, si ossa sunt tenuia & exilia, caro multa, membrum apparere posset gracilius, & consequenter siccius, quod tamen humidum: quia carnosum. Ne igitur in judicando fallamur, diligenter & ossa, & carnes considerandæ sunt, manibusq; contrectandæ. Tactus enim palàm faciet, an mem-*

brum oßium, an carnium causâ gracile ſit, aut craſſum? Nam quod oßium causâ craſſum eſt, durum ſentitur: quod carnium causa, molle. Illud ergò ſiccum: hoc humidum ſtatuitur.

III.

Quid Galenus cap. 59 per partes ſolidas intelligat? *Solida pars variam & multiplicem habet ſignificationem.* 1. *Sumitur pro parte corporis noſtri continente: quæ ſuo, non alieno termino continetur. Quâ ratione* Hipp. l. 6 epid. ſ. 7 *eam opponit contentæ, quæ non ſuo, ſed alieno termino cohibetur. Ait enim, corpora noſtra conſtituere tria:* ἴσχοντα, *continentia:* ἐνισχόμενα: *contenta* καὶ ἐνορμῶντα, *impetum facientia. Per* ἴσχοντα Galenus l. 1. de diff. febr. c. 1. *intelligit* τὰ ϛερεὰ μόρια τοῦ σώματος: *quæ, ut idem* l. de trem. & palpit. c. 5. *ait,* περιέχει καὶ ἀποϛέγει τὰ ὑγρὰ, *continent & cohibent humores. Omnes igitur partes, quæ firmæ ſunt ac permanentes, h. e. quæ minimè fluunt, ſolidæ dicuntur; ſive ſpermaticæ ſint, ſive ſanguineæ; quemadmodum ex eodem* Galeni Introduct. ſive Medico cap. 9. *colligitur. Per* ἐνισχόμενα *inaudit* Hipp. τὰ ὑγρὰ τὰ ἐν τοῖς ἀγγείοις ἐμφερόμενα, καὶ κατὰ πᾶν σῶμα διεσπαρμένα, ἅπερ καλεῖ Ἱπποκράτης χυμοὺς τέσσαρας, 4 *humores, qui in vaſis contenti per totum corpus diſperſi feruntur. Per* ἐνορμῶντα, τὰ πνεύματα, ἃ πάντη ἐξικνεῖται τοῦ σώματος ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ ῥαδίως τε καὶ ἀκωλύτως, *ſpiritus, qui undiquaque momento temporis corpus facilè & citra impedimentum penetrant: velut idem* Gal. l. de

trem.

rem. ac palpit. c.5. *explicat.* II. *quidam per partem solidam intelligunt eam, quæ est animata, quæque propriam habet circumscriptionem, proprióque termino continetur.* Hoc modo, *& pili, & ungues, & pinguedo ex albo partium solidarum expunguntur.* III. *accipitur pro eâ, quæ similem omni ex parte parilémque substantiam habet.* Hâc *ratione omnes partes similares solidæ dicuntur.* Vid.l.1. nat. fac. c.7. IV. *usurpatur pro aliquo toto, sive perfecto, quod omnibus suis constat partibus, & cui nihil est detractum. Sic solidam hæreditatem dicimus accepisse eum, qui ex asse factus est hæres.* V. *pro illo accipitur, quod est compactum, crassum atq; terrenum. Quæ significatio sæpè apud* Gal. in libr. de aliem. fac. *occurit, ubi scribit, solida quæ sunt, multùm nutrire, durabile præbere alimentum, & tardè descendere alvumqúe sistere: quemadmodum patet ex* l. 1. alim. fac. cap. 1. & l. 2. c. 2 *Verùm, hæ omnes significationes à loco* Galeni *suprà citato alienæ sunt. Sexta igitur superest, quæ illius loci propria est, cùm scil. pars solida pro spermaticâ sumitur. Testatur hoc* idem l. 1. nat. fac. cap. 16. *ubi partes solidas carnosis opponit: & illas ex semine, has ex sanguine generari docet: quo nomine illæ spermaticæ: hæ sanguineæ appellantur.*

IV.

An partes spermaticæ, quæ propriè dicuntur solidæ, rectè à Galeno cap. 59. vocentur πρῶται, primæ? *Affirmatur. Priùs enim generantur,* quàm

quàm carnosæ. Et sunt veluti fundamenta reliquarum. Sunt quoque simplices, sive similares. Aliquod simplex primum rectè dicitur.

V.

Utrum solidæ istæ corporis particulæ, si fuerint siccatæ, iterum humectari queant? *Posse intermedia spatia partium solidarum, quæ spermaticæ sunt, humore impleri,* Galenus *c.59. concedit. Fibrosam autem, sive villosam earum substantiam humectari posse negat. Idem ferè scribit l. 10.* meth. med. c. 10. *innuens, impossibile esse, ut solidarum partium siccitas consummatè sanetur. Hoc enim si fieri posset, fieri quoque posse asserit, ut homo minimè senesceret. Et l. 7.* meth. med. cap. 5. *ait, intemperiem siccam, si prorsùs sit consummata, immedicabile esse. Esse verò prorsùs consummatam, cùm solida similariũ partium substantia reddita est siccior. Reliquas tres siccitates, nimirũ quæ vel ex colliquatione carnis & adipis: vel ex consumptione humoris alimentarij qui roris in modum per partes est dispersus: vel ex inanitione venarum & arteriarum exilium cuilibet particulæ concessarum, adeóque ex sanguinis penuriâ provenerunt, curam admittere. Duplex igitur solidarum partium secundum Gal. est substantia: fibrosa, quæ verè est solida & spermatica: & carnosa, sui tamen generis, quæ fibrosæ innascitur. Illa humectari nequit: h. e nec tale, nec tantum reparari potest, quale & quantum decessit. Decessit autem humiditas radicalis & primigenia. Hæc verò resarciri potest*

faci-

facilè. Prioris dicti ratio est triplex I. quia calor tandem fatiscit, & ut sic loquamur, atteritur. Quare non potest tàm probum adornare alimentũ, quod refectioni & reparationi humidi primigenij solidarum partium satisfacere queat. II. quoniam non æquè coctus & elaboratus succus reponitur, qualis in principio generationis fuit. Posterioris causa est: quia carnosa solidarum partium substantia ex sanguine constat, qui quotidiè ex alimentis generatur, facileq́; quod absorptum est, instaurat.

VI.

An verum, quod dicit Hipp. l. περὶ τροφῆς, saniores esse, quibus habitus corporis rarior est: morbidiores contrà, quibus idem densior cõpactiorque? *Affirmativa placet: idq́; propter rationem, quam ipsus ibidem adfert* Hippocrates. *Nam quibus habitus est rarior in iis διαπνοὴ est liberior, & halituosa excrementa expirant copiosiùs. Quibus idem densior est in illis διαπνοὴ impeditur: aut saltem facit quò minùs liberè dictæ superfluitates exhalare queant. At suppressis fuliginosis excrementis, supprimuntur multorum malorum causæ, tùm in toto corpore, tùm etiam in multis illius partibus. In toto quidem corpore: quoniam si diutiùs cohibeantur calidiora acrioraq́; evadunt & putrilaginem concipiunt: unde & febres, & pruritum, & scabiem, & pustulas, & excoriationem creant. In parte verò aliquâ: quia experientia testatur, densatis à præsidiis topicis poris cutaneis in fracturis, vulneribus, & ulceribus, vix*

tolerabilem quandoq; pruritum, & nisi maturè occurratur, molestam quandoq; excoriationem excitari. Experimur quoq; eos, quibus caput est densius, & vel suturis caret: vel paucas habet: vel arctioribus saltem compactioribusq; donatum est, de capitū doloribus, gravitate, catarrhis, tinnitu aurium, aliisq; affectibus sæpè conqueri: inebriatos etiam tardiùs crapulam discutere, quàm quibus idem est porosius, & multis laxisq; suturis præditum. Hùc accedit & altera ratio: quia quibus habitus corporis obtigit rarior, sicciores sunt: quibus densior, humidiores. At siccum sano propius est, ait Hipp. in principio l. de ulcer. humidum non sano. Et aph. 2. s. 6. scribit, quibus vel caput solùm, vel corpus universū naturâ humidius est, eos minùs prosperâ valetudine frui. Quibus verò siccum, salubrius degere. Prioris ratio est: quoniam caput reliquumq; corpus excrementis & superfluis humiditatibus vacuum est. Posterioris: quia si humiditates retineantur in capite, periculū est, ne intercipiant vias, & fiant apoplexiæ, lethargi &c. Si non retinentur, defluxiones nascentur ad fauces, nares, arteriam asperam, pulmones, gulam, ventriculum &c. Vnde tusses, anginæ, dyspnœæ, tabes, diarrhœæ, aliquando & dysenteriæ, si quod defluit, fuerit salsius: teste Gal. in cōm. Quod si totū corpus humidius sit, tùm quia hoc densum ferè est, materia retinebitur ac putrescet. Vnde febres putridæ, & morbi alii ex putredine nati.

VII.

Utrum εὔλογον illud ejusdem Hipp. l. περὶ τροφῆς:

pũs: qui ob corporis raritatem probè perſpirāt, debiliores & ſaniores ſunt, & à morbis facilè reconvaleſcunt. Qui ob denſitatem malè perſpirant, priuſquā ægrotent, fortiores ſunt. Ubi autem ægrotârunt, difficiliùs liberantur? *Raræ texturæ homines debiliores ſunt ſeqq. de cauſis. I. quia cutis poroſitas facit, ut interiora injuriis aëris, aut inteperati, aut ἀποῤῥοίαις νοτεραῖς καὶ μιάσμασι λοιμώδεσι conſpurcati, magis pateant. II. quia in cauſâ eſt, ut ſpiritus & calor promptè exhalent. III quia membra eorum laxiora ſunt, molliora, delicatioraque. Contrà, homines denſi habitûs robuſtiores ſunt ob cauſas contrarias. Habitus enim iſte clauſus eſt atque conſtrictus. Ideoq; neq; aërem facile intromittit : neque corporis ſubſtantia adeò promptè diſcutitur atque diſſipatur. Sunt quoq; membra dura, ſolida, firma atque compacta.* Degunt autem raræ texturæ homines ſalubriùs, *quàm denſæ, ob cauſas expoſitas.* A morbis verò reconvaleſcunt *faciliùs: quoniam propter amplitudinem & laxitatem pororum cutis faciles habent & ſudoris, & fuliginum vacuationes. Hinc morbis correpti, citiùs ſanantur: maximè cùm febribus putridis laborant: quarum plurimæ ſudoribus judicari ſolent. Secus fit in iis, quibus corporis habitus eſt denſus.*

VIII.

Sin'nè raræ texturæ homines ſimpliciter & abſolutè à morbis liberiores hominibus contrario habitu præditis? *Liberiores ſunt ab iis,*

qui

qui ab internis causis proficiscuntur. Ratio est: quia superfluitates convenienter vacuātur, & humores interioráq; omnia decēter ventilantur. Magis autē obnoxij sunt iis ægritudinibus, quæ externas causas, ac præcipuè in aëre latitantes, habent. Contrà, quibus densus habitus contigit, proniores sunt in illos affectus, qui ex internis causis, κακοχυμίᾳ scil. & πληθώρᾳ, generantur. Minùs enim in illis humores & excrementa vacuantur.

IX.

An cutis raritas ventris sit densitas, h.e. an alvū induret? *Ajentem tuetur* Hipp. l. 6. epid. s. 3. *Sed loquitur de nimiâ pororum laxitate, ob quam non solùm ἄδηλος διαπνοὴ fit plurima: verùm etiam copiosi sudores erumpunt: præsertim si corpus exerceatur. Itaque dißipatis humiditatibus corporis, mirum non est, si fæces exiccentur indurenturque, ac proinde rariùs, parciùs, ægriúsque descendant. Quemadmodam enim, inquit* Gal. in Comment. *quibus pauca per poros cutis fit vacuatio, copiosè mingunt, & crebrò alvum exonerant: sic quibus multa superflua per eosdem dißipantur, alvum habent pigriorem.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA GALENI
XIX.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:


Respondente

JOHANNE REINHARDO Widt/
Argentinensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERT,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

Signa, quæ indicant, corpus in ægritudinem lapsura esse, NEUTRA sunt: quoniam corporis dispositionem revelant, quæ NEUTRA DECIDENTIÆ, & ægrotatura, ni præcaveantur, à recentioribus appellari solét. De iis igitur jam agendum: quoniam de salubribus sanorum, & insalubribus ægrotantium corporum hactenùs actum. *De Signis neutris in genere.*

II.

Habent autem signa hæc mediam formam: h.e. medio modo se habent inter ea, quæ sana, & illa, quæ actu ægrotantia corpora patefaciunt. *Cap. 82.*

III.

Sanis enim omnia secundum naturam insunt: ægrotantibus verò, quatenùs ægrotant, præter naturam. Proinde, cùm forma signi formæ & constitutioni corporis respõdeat, & quale corpus est, tale quoq; signum existat: sequitur, cùm sanorũ corporum signa salubria sint, & res secundum naturam: ægrotantium verò insalubria, & res præter naturam: neutrorum

corporum ſigna neutra eſſe, & media inter illa,
quæ ſecundum ac præter naturam ſe habent.
Nam & ipſa quoq; neutra corpora mediæ ſunt
inter ſana & ægra conſtitutionis. *Cap*.82.

IV.

Sunt verò neutra ſigna duplicia. Quædam
ἐκ τοῦ γένους τῶν κατὰ φύσιν, ἀλλὰ ποσότησιν, ἢ ποιό-
τησιν, ἢ καιροῖς ὑπηλλαγμένα, ex genere eorum,
quæ ſecundum naturam ſunt: ſed vel quantita-
tibus, vel qualitatibus, vel temporibus muta-
ta. Quædam autem ἐκ τῶν παρὰ φύσιν μὲν, ἀλλὰ
μικρότερα τῶν ἐν ταῖς νόσοις, ex iis quidem, quæ
præter naturam ſunt, ſed leviora his, quæ mor-
bis adſunt. *Cap*. 82.

V.

Ejuſmodi ergò corpora, quæ in morbos la-
pſura ſunt, cùm ex genere ſint neutrorum, ipſa
quoq; ſigna, quæ corpora hæc indicant, neutra
ſint oportet. *Cap*.82.

VI.

Habent autem ſigna hæc reſpectum dupli-
cem. Nam πρώτως oſtendunt neutralitatem
δευτέρως ægritudinem. Ideoque pro duplici re-
ſpectu duplicia ſortiuntur nomina. *Cap*.82.

VII.

Vocantur n. & οὐδέτερα, neutra, & νοσώδη, inſa-
lubria. Neutra quidem, quatenùs præſentem
neutralitatem monſtrant: inſalubria verò, qua-
tenùs futuram ægritudinem præſagiũt. *Cap*.82.

Atq;

VIII.

Atq; hæc non ſolùm neutrorum ſignorum ratio eſt, quòd pro diverſo reſpectu diverſa nomina acquirant: verùm etiam illorum, quæ in ægrotantibus obſervantur. Dicuntur enim ὑγιεινὰ, ſalubria, quatenùs futuram ſanitatem prænunciant. Dicuntur autem νοσερὰ, ægra, quatenùs præſentem ægritudinem ſignificant.

IX.

Imò eadem hæc ſalutaria ægrotantium ſigna etiam οὐδέτερα, neutra vocari queunt. Ratio eſt: quoniam utriuſq; diſpoſitionis, ſanitatis quidem futuræ, & ægritudinis præſentis, ſunt demonſtrativa. Sed neutra ſecũdum vnum quoddam neutrius ſignificatum. *Cap.* 82.

X.

Dictum enim *Cap.* 6. neutrum corpus triplex eſſe. I. quod neutrius extremæ diſpoſitionis eſt particeps. II. quod utriuſq; III. quod aliquando hujus, aliquando illius. Salutaria ergò ægrorum ſigna dici poſſunt neutra ſecundum ſignificationem neutrius tertiam: quia unum & idem ſignum corpus modò ſub ſanitate, modò ſub ægritudine ſignificare valet. Sub ſanitate quidem futurâ: ſub ægritudine verò præſenti.

XI.

Neq; mirari oportet, quòd eadem ſigna & ſalubria, & ægra, & neutra dicantur: quoniam hoc non unâ eademq;, ſed diverſis planè rationibus

nibus accidit. Idem namq; signum ad diversa relatum corporis dispositiones, quas indicare valet, diversa quoq; nomina adipiscitur. *Cap*.82

XII.

Quodsi roges, quomodo illa signa, quę in convalescentibus & senibus visuntur, appellanda sint? Respondet Gal. itidem οὐδέτερα, neutra se (*addimus nos*) juxta primam neutri significationem. Sunt enim convalescentes, qui & ipsi in neutro statu sunt, sed convalescentiæ: quemadmodum qui lapsuri sunt in morbos in neutro statu sunt decidentiæ, neq; perfectè sani, neq; planè ægri. Quo nomine & signa, quæ in ipsis animadvertuntur, medio modo se habent: nimirùm neq; talia prorsùs, qualia sunt perfectè sanorum; neque talia omninò, qualia ægrotantium.

XIII.

Sicuti verò signa eorum, qui in morbos lapsuri sunt, respectũ habent, & ad statum præsentem, qui neuter dicitur: & ad futurum, qui æger audit: & illius quidem ratione neutra: hujus verò causâ insalubria appellantur: sic quoque convalescentium signa, & neutra, & salubria nuncupantur. Neutra quidem, ratione pręsentis neutrius status, quem detegunt: salubria verò, ratione status futuri, qui sanus est. Hunc enim portendunt.

XIV.

Atq; hoc est, quod dicit Galenus in Contextu, si-

tu, ſigna omnia, quæ in ægrotaturis, ęgrotantibus, & convaleſcentibus apparent, πλείοσι καὶ ἐννοίαις καὶ λόγοις, pluribus & conceptibus, & rationibus ſubjici: h. e. diverſas appellationes & definitiones nanciſci: pro vt ſcil. ad diverſas corporum diſpoſitiones referuntur.

XV.

Excipit tamen illa ſigna, quæ tùm ἐν τοῖς ἀμέμπτως ὑγιαίνουσιν, imperfectè ſanis, tùm ἐν τοῖς νοσοῦσι, in ægrotantibus quidem corporibus deprehenduntur: τὴν δ' ἐσομένην ὑγιείαν, futuram verò ſanitatem minimè prænunciant: quoniam pernicioſa. Illa enim tantùm inter ὑγιεινὰ, ſalubria: hęc verò ſolùm inter νοσερὰ, inſalubria cōputantur: de quibus *Cap. ſeq.* dicetur. Nunc enim ea ſolùm explicabuntur, quæ ſunt τῆς μελλούσης νόσου προγνωστικὰ, futuram ægritudinem præmonſtrant. *Cap. 82.*

XVI.

Hæc in genere de SIGNIS NEUTRIS. Nunc de iis aliquid in ſpecie. *De Signis neutris in ſpecie.*

XVII.

Dictum autem fuit θ 4. ea duplicia eſſe: quædam ex genere eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, ſed ἢ ποσότησιν, ἢ ποιότησιν, ἢ καιροῖς ἐξηλλαγμένα τῶν κατὰ φύσιν, vel quantitatibus, vel qualitatibus, vel temporibus ab eo, quod ſecundum naturam eſt, evariantia. Quædam verò ex albo eorum, quæ αὐταῖς ταῖς οἰκείαις διαφοραῖς, propriis ſpeciebus præter naturam ſunt:

ſed leviora iis, quæ in morbis obſervantur. Ideoq; de primo genere priùs dicendum. *Cap.* 82.

XVIII.

Sunt autem ſequentia. I. ſignum, quod neutralitatem decidentiæ, quæ, nî præcaveatur, in morboſum ſtatum lapſura, denotat, eſt, ὄρεξις σιτίων, appetentia ciborum à naturali appetitu recedens, vel in quantitate, quando eſt ἐπιτεταμένη, intenta, h. e. major, quàm eſſe ſoleat: aut ἐκλελυμένη, diſſoluta, ſive juſto minor: vel in tẽpore, cùm fit μὴ κατὰ τὸν συνήθη καιρὸν, tempore inconſueto: vel in qualitate, quando eſt ἀσυνήθων ἐδεσμάτων, ad edulia uſitata minimè fertur. *Cap.* 82.

XIX.

II. Ἀπόκρισις τῶν περιττωμάτων, excretio, ſive egeſtio ſuperfluitatum per alvum: quę ſimiliter peccant, vel in quantitate, cùm ſunt plures, aut pauciores: vel in qualitate, cùm humidiores durioresve exiſtunt. *Cap.* 82.

XX.

III. Ἔκκρισις τῶν ὑγρῶν περιττωμάτων, excretio humidorum excrementorum, h. e. urinarũ. Hæ enim vel mutatæ ſunt in quantitate: quando ſunt pauciores, aut copioſiores παρὰ τὸ κατὰ φύσιν: vel in qualitate: cùm alteratæ ſunt in colore & conſiſtentiâ: vel in tempore: cùm citiùs ſolito frequentiúsq;, aut tardiùs ac rariùs redduntur. *Cap.* 82.

IV.

XXI.

IV. Ἀγρυπνία καὶ ὕπνος, vigilia & ſomnus: quando vel modum excedunt: vel deficiunt: vel inſolito tempore hominem invadunt. *Cap.* 82.

XXII.

V. ἡ περὶ πόμα ἐπιθυμία, potûs appetentia, quæ παρὰ τὸ σύνηθες, prȩter conſuetudinem, vel eſt major, vel minor, vel ad qualitatem inſolentem, v. g. calidam, aut frigidam, directa. *Cap.* 82.

XXIII.

VI. ἡ περὶ τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν ἐπιθυμία, appetitus Veneris: qui vel eſt ἄμετρος, immodicus: vel ἄκαιρος, intempeſtivus. *Cap.* 82.

XXIV.

VII. ἱδρῶτες, ſudores: qui vel juſto ſunt copioſiores, vel parciores. *Cap.* 82.

XXV.

VIII. ἡ κίνησις, motus. Ad hunc enim homo aut piger eſt: aut ſi ſe movere & exercere tentaverit, gravitatem quandam percipit. *Cap.* 82.

XXVI.

IX. ἔκλυσις ἰσχυρὰ, vehemens exolutio, h. e. animi deliquium, in quod quis aliquando incidere ſolet. *Cap.* 82.

XXVII.

X. Καταμήνια, menſtruæ purgationes mulierum. Aut enim in quantitate excedunt: aut deficiunt: aut prorsùs ſupprimuntur. *Cap.* 82.

XI.

XXVIII.

XI. ἡ κένωσις δι' αἱμοῤῥοΐδων, vacuatio, quæ fit per venas hæmorrhoidales in ſexu utroq;. Nã & hæmorrhoides vel immodicè fluunt: vel parciùs fluunt: vel planè cohibentur. *Cap.*82.

XXIX.

XII. οὐχ' ὁμοία τῇ πρόσθεν ἡδονὴ, non eadem, quę priùs erat, voluptas in cibo potúque. Hæc enim futuræ ægritudinis indicium eſt. *Cap.*82.

XXX.

XIII. ἡ τῆς διανοίας ἀμβλύτης οὐ κατὰ φύσιν, mentis hebetudo non naturalis. *Cap.*82.

XXXI.

XIV. ἐπιλησμοσύνη τις ἀήθη, oblivio quędam inſolita. *Cap* 82.

XXXII.

XV. ὕπνοι φανταστιωδέστεροι τῶν ἔμπροσθεν, ſomni pluribus abundantes imaginationibus, quàm anteà. *Cap.*82.

XXXIII.

XVI. Αἰσθήσεις ἀμβλύτεραι τε καὶ ἀχλυωδέστεραι, ſenſus, & cumprimis viſus, auditus, olfactusve, hebetiores, aut turbulentiores. *Cap.*82.

XXXIV.

In ſummâ, ſi, quę ſecundum naturam inerãt, vel aucta ſint, vel diminuta, vel in tempore, aut qualitatibus mutata, ea omnia neutra ſigna dicuntur, & neutrum ſtatum decidentiæ, qui jam jam in morbos lapſurus eſt, palàm faciunt. *Cap.*82. Id quod Gal. ἐκ περιουσίας aliquot adhùc ſignis ſpecialibus declarat.

17. er-

XXXV.

XVII. ergò signū est ὄγκος τοῦ σώματος, moles corporis. Hęc enim vel in quantitate major est, aut minor. Vel in qualitate candidior, rubicundior, lividior, nigriorve. *Cap.* 82.

XXXVI.

XVIII. ἐρυγαὶ, eructationes. *Cap.* 82.

XXXVII.

XIX. πταρμοὶ, sternutamenta. *Cap.* 82.

XXXVIII.

XX. φῦσαι, flatus, qui plures sunt solito, aut pauciores. *Cap.* 82.

XXXIX.

XXI. περιττώματα τοῦ ἐγκεφάλου, cerebri excrementa, quę per nares, palatum, & aures evacuari consueverunt. Nam & ista, si mutata sint, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in tempore, hominem ęgrotaturum significant. *Cap.* 82.

XL.

Atq; hæc sunt signa ex primo fonte hausta, quę futuram præsagire solent ægritudinem: nimirùm ex classe earum rerum, quę secundum naturam quidem sunt: sed in tempore, quantitate, aut qualitate mutata. Sequuntur illa, quę petuntur ex fonte altero, qui est rerum præter naturam.

XLI.

I. ergò signum hujus fontis, sive classis, quod hominem neutralitate decidentię laborare,

rare,ac propterea brevi in ęgritudinem incisurum præsagit,est, δῆξις γαστρὸς, morsus ventris: & quidem vel κατὰ στόμαχον, in ore ventriculi: vel κατά τι τῶν ἐντέρων, in aliquo intestinorum. Hic autem hominem affligit, aut cùm alvus subducitur: aut cùm vomitus excitatur: aut cùm urina redditur. *Cap*. 82.

XLII.

II. ἕτερός τις μέτριος πόνος, alius aliquis mediocris dolor. *Cap*. 82.

XLIII.

Quod si objicias, morsum & dolorem non in neutris, sed ęgrotantibus locum habere corporibus: ideoq; hùc non pertinere. Respondet Gal. per distinctionem. Nam morsus & dolores isti, vel adeò leves sunt atq; exigui, ut nondum actiones partium sensibiliter lędant: vel ita insignes, ut eas impediant ἐναργῶς, evidenter. Illi signa sunt corporum neutrorum, qui propediē in morbos lapsuri. Hi corporum actu ęgrotantium. Eadem enim hîc est ratio, quæ in dolore & gravitate capitis, itemq; in vigiliis. Quemadmodum enim illi, quibus caput dolet, aut gravatur, aut qui plus solito vigilant, nondum ęgrotare dicuntur, cùm adhùc consuetis actionibus & officiis funguntur: sic neq; illi ægrotare judicantur, qui morsum aliquem, aut dolorem, vel in ventre, vel in parte aliâ sentiunt. Tunc autem ęgrotare dicūtur, cùm sensibilem in actionibus noxam percipiunt. Hæc enim τοῦ

νοσεῖν

νοσεῖν ὅρος ἐστί: quoniam à noxâ, ſive ſenſibili actionum impedimento morbus incipit. Quandocunq; ergò lęſio apparet in actionibus ſenſibilis & effatu digna, tùm demum corpus cenſetur ægrotare: non cùm vitium apparet qualecunq;. Ratio eſt: quoniam non quicunq; receſſus à ſanitate morbus dicitur: ſed quando ad illum terminum pervenit, ut actiones manifeſtè ac ſenſibiliter impediantur. *Cap.* 82.

XLIV.

Porrò, cùm magna ſit corporum diverſitas: & alia ſint debilia, quæ facilè lęduntur: alia valida ac robuſta, quę morbificis cauſis fortiter reſiſtunt, & ab iis non facilè vincuntur: monet *Galenus*, unam eandemque diſpoſitionem, per prædicta ſigna notatam, ęgram & neutram dici poſſe. Neutram quidem in corpore valido: ęgram verò in debili. Illud enim ob naturę robur non ita facilè manifeſtam actionum lęſionem contrahit. Hoc ob infirmitatem facilè ſuccumbit. *Cap.* 82.

XLV

III. Signum futuræ ægritudinis ſumitur ab iis, quę pręter naturam in ſenſibus exterioribus contingunt.

XLVI.

Quęcunq; enim οὐκ ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον ἀλλήλων διενηνόχασιν, ἀλλ' ὅσα τῷ γένει παρὰ φύσιν εἰσὶ, non minoris, aut majoris ratione inter ſe differunt: ſed toto genere pręter naturam ſunt,

futu-

futurorum morborum signa sunt. Cum hac tamen limitatione, μέχρι περ ἂν ᾖ σμικρὰ, καὶ μηδέπω τῶν εἰθισμένων πράξεων ἀπάγειν ἱκανὰ si fuerint levia & exigua, ita ut hominem à consuetis actionibus avocare nondum sufficiant. *Cap.* 82.

XLVII.

Libet rem hanc declarare in sensibus singulis, ut clariùs perspiciatur, quænam illa sint, quę τῷ γένει παρὰ φύσιν existant, genere scil. sive naturâ: non ratione majoris, aut minoris.

XLVIII.

Etenim in GUSTU talia occurrunt, cùm ea, quę eduntur, ac bibuntur, videntur salsa, amara, aliove sapore imbuta, qui tamen ipsis reverà non inest. Aut si sola saliva citra ciborum assumptionem talis percipiatur. Depravatus enim iste gustus futuræ ægritudinis nota est. *Cap.* 82.

XLIX.

In OLFACTU, cùm odorem sentimus, nullo odore præsente: aut præsentibus pluribus, iisq; differentibus odorabilibus corporibus, unum omnia spirare odorem putamus: aut nihil omninò olfacimus: aut fœtorem aliquem, etiãsi nil adsit, quod fœteat, odoramur.

L.

In AUDITU, quando ἦχοι καὶ ψόφοι, soni & strepitus, ut tinnitus & sibili, audiuntur: cùm nihil foris sit, quod sonet. *Cap.* 82.

In

LI.

In VISU, cùm falsæ rerum imagines, sub coloribus, magnitudinibus & figuris diversis, oculis obversantur. *Cap*. 82.

LII.

Deniq; in TACTU, cùm vel in toto corporis habitu aliqua *ἀνωμαλία*, gravitas, tensio, aut torpida, ulcerosave dispositio sentitur: vel in singulis corporis partibus tensio, compressio, quam *Galenus* *θλίψιν* nominat, morsus, aut gravitas percipitur. *Cap*. 82.

LIII.

Hæ namque affectiones, siquidem fuerint *σμικραὶ καὶ μὴ μόνιμοι*, parvæ, nec stabiles, *τὴν μὲν διάθεσιν οὐδετέραν εἶναι δηλοῦσι*, præsentem quidem adesse neutralitatem demonstrant: *νόσον δὲ παραγγέλλουσι*, futuram verò ægritudinem prænunciant. *Cap*. 82.

COROLLARIA.

I.

AN vox *κοιλίας καὶ γαστέρος*, ventris, uno semper eodemq; modo accipiatur? *Negatur. Reperimus enim quadruplicem illius significationẽ. I. enim sumitur pro quavis manifestâ, evidenti & insigni cavitate: qualis est in capite, thorace, abdomine, cerebro, corde, vesicâ utraq;, utero, intestinis. II. pro cavitate quavis, etiã vix sensili, quã, ut* Gal. *loquitur* aphor. 20. com. 6. *solâ ratione contẽplamur.*

mur. Hoc modo interstitia & inania spatiola musculorũ κοιλίαι *dicuntur: in quæ si sanguis effundatur, uti in inflãmationibus & ecchymosibus fieri solet, neceßũ est, ut corrũpatur: velut* Hipp. aphor. citato docet. III. *pro ventre imo, qui definitur à sterno ad pubem. Quæ significatio apud* Hipp. *in* aphor, prognost. *&* Coacis *sæpius occurrit: cùm ventris liquidi, adstricti, perturbati, flatulenti, fœtidi, meminit. IV.* κατ' ἐξοχὴν *pro eâ parte, quæ cibi ac potûs est receptaculum, & primæ concoctionis.* ἐργαστήριον.

II.

Verumnè illud Hippocratis l. περὶ χυμῶν, qualis terra arboribus, talis vẽtriculus animalibus? *Maximè. Vt enim terra penarium est instructißimũ,* παντοῖον, *quemadmodum loquitur* Hipp. l. de nat. hum. l. de nat. puer. & l. 4. de morbis, *omnigenũ in se continens humorem, quem plantis, quas* Aristoteles *terræ filias & incolas appellat, liberaliter pro alimoniâ subministrat: ita ventriculus cella ciborum est ditißima, quos à se in chylum, & pòst ab hepate in sanguinẽ mutatos, omnibus & singulis corporis particulis benignißimè cõmunicat.*

III.

Utrũ sinistrum ejus orificiũ rectè à veterib. καρδία, cor, dictũ? *Nõ ratione figuræ, nõ substantiæ, nõ tẽperamenti, non actionis causâ: sed propter effectum. Affectum n. symptomata inducit, quæ cor læsũ inducere solet: nempè leipothymian, syncopen, quæ ad differentiam illius, quæ cordis causâ accidit, stomachica vocatur,* καρδιωγμὸν καὶ καρδιαλγίαν.

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XX.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

LUDOVICO EISENHEIM
Argentinensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

SIgna neutrorum corporum, quæ, nisi præserventur, in morbos incursura sunt, in genere & in specie *Galenus* explicuit *Cap.* 82. Nunc ad prognostica accedit: & primùm genera eorum brevissimè recenset: pòst, quibus ex fontibus hauriantur, ostendit.

De Signis ægrotantium prognosticis.

II.

Signa, quæ in jam ægrotantibus apparent, quæque ad prognostica pertinent, duplicia sunt. Quædam enim τὴν ὑγιείαν, sanitatem: quædam verò τὸν θάνατον, mortem præsagiunt. *Cap.* 83.

III.

Δηλοῦντα ὑγιείαν, salubria sunt: θάνατον δὲ δηλοῦντα, insalubria, sive ægra dicuntur: & talia quidem sunt τῷ γένει, secundum genus: κατ' εἶδος δὲ, secundum speciem verò, ὀλέθρια, perniciosa appellantur. *Cap.* 83.

IV.

Sumuntur autem in genere ἐκ τοῦ τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῆς τε καὶ κακίας, ex actionum virtute ac vitio: in specie autem ἐκ τῆς τῶν κατὰ μέρος ἐνερ-

γειῶν, ex virtute ac vitio particularium actionum cujuslibet membri. *Cap.* 83.

V.

Sunt verò membrorum differentiæ quatuor: quemadmodum dictum *Cap.* 9. I. est eorum, quæ ἀρχαὶ, principia nominantur. II. τῶν ἀπ' ἐκείνων πεφυκότων, quæ à principiis ortum habent. III. τῶν ἰδίαν μὲν ἐχόντων διοίκησιν: ἀπὸ δὲ τῶν ἀρχῶν ἀποφύσεις τινὰς δεχομένων, quæ ex seipsis quidem gubernantur: à principiis autem quasdam derivationes sortiuntur. IV. τῶν συμφύτους ἐχόντων τὰς διοικούσας αὐτὰ δυνάμεις, quæ insitas habent facultates ipsa gubernantes: aliorum verò gubernationi minimè præsunt: neq; aliunde gubernantur. *Cap.* 83.

VI.

Atque hoc quartum genus ἐξ ἑαυτοῦ μὲν ἄχρηστόν ἐστι εἰς τὰς προγνώσεις, ex se quidem ad prædicendam salutem, aut mortem in ægrotantibus est inutile: per accidens autem ex illo præsagire licet: quemadmodum & ex excrementis: sed hoc cum discrimine, quòd ex dictis partibus ποτὲ, aliquando solùm, non semper, πρόγνωσις fieri possit: ex excrementis autem διὰ παντὸς, semper. *Cap.* 83.

VII.

Ex partibus quidem λόγῳ συμπαθείας, compatiendi ratione: quatenus scil. (addimus nos) affectum suum aliis partibus communicant: aut vice versâ aliæ partes istis malum suum cōmunicant. *Cap.* 83.

Ex

VIII.

Ex excrementis verò, non quà excrementa ſunt: ſed quia πέψεως καὶ ἀπεψίας ἐν αὐτοῖς ἐστι σημεῖα, concoctionis & cruditatis indicia in illis elucent. *Cap.* 83.

IX.

Quapropter, cùm ex excrementis prænotio fieri poſſit ſemper: non quatenus excrementa ſunt: ſed quatenus talia ſunt, cruda ſcil. vel cocta: neceſſum eſt, ut unum ex hiſce tribus ſignificent. Vel τὴν φύσιν ἐπικρατεῖν τῆς ὕλης, naturam eſſe victricem, & materiam morbificam ſuperare: vel contrà, τὴν ὕλην ἐπικρατεῖν τῆς φύσεως, materiam morbificam vincere naturam: vel οὐδέτερον οὐδετέρου ἐπικρατεῖν, neutrum neutri dominari: quod fit, cùm pares utriuſq; ſunt vires. *Cap.* 83.

X.

Hinc accidit, ut ſigna, quæ ab excrementis petuntur, diverſas ſortiantur appellationes. Nam κρατούσης τῆς φύσεως, cùm natura vincit, dicuntur ſigna ὑγιεινὰ, ſalubria: quia futuram ſanitatem portendunt. Κρατουμένης τῆς φύσεως, cùm natura vincitur, νοσώδη, ægra, ſive morboſa & inſalubria ſigna vocantur: quoniam mortem prænunciant. Ἐν δὲ ταῖς ἰσοσθενέσι μάχαις, cùm pugnæ ſunt æquales, ita ut neque natura materiam, neq; hæc illam ſuperet, οὐδέτερα, neutra ſigna dici merentur: quoniam neq; ſanitatem, neq; mortem præſagiunt. *Cap.* 83.

Quod-

XI.

Quodſi quæras, quænam illa ſint ſigna, quæ ſalubria ſunt, & naturam victricem ſignificant? quæ inſalubria, & materiam vincere oſtendũt? quæ denique ſint neutra, & parem utriuſque, naturæ ſcil. & materiei, pugnam demonſtrant? Reſpondet *Galenus*, ſalubria eſſe, quæ de manifeſtâ πέψει, concoctione, nos reddunt certiores: inſalubria, quæ ἀπεψίαν, cruditatem, notant: quæ verò neq; πέψιν, neq; ἀπεψίαν ἐναργῶς patefaciunt, neutra. *Cap.* 83.

XII.

Hîc tamen obſervandum, non ſolùm ejuſmodi ſigna, quæ neque ſanitatem, neque mortem ſignificant, neutra eſſe: ſed etiam illa, quæ nunc quidem ſanitatem: nunc verò mortem portendunt: cujus generis ſunt digiti μελαινόμενοι, denigrati. Hi enim aliquando caloris nativi νέκρωσιν, & conſequenter ipſam mortem: interdum verò materiæ melancholicæ ad extremitates corporis protruſionem, ac proinde naturæ victoriam, adeoque futuram ſalutem præſagiunt. *Cap.* 83.

XIII.

Hujus generis ea ſunt, quæ κριτικὰ συμπτώματα dicuntur: de quibus, ut & in univerſum de omnibus concoctionis & cruditatis ſignis abundè *in opere de Criſibus* dictum: quemadmodum de illis ſymptomatibus, quæ actionibus noſtri corporis obtingunt, *in libris de ſymptom.*

cau-

causis. Ideoque, quæ brevitatis studio hîc omittuntur, eorum plenior cognitio inde peti potest. Nunc enim finis imponendus doctrinæ de SIGNIS, & progrediendum ad illam, quæ de CAUSIS agit. *Cap*. 83.

COROLLARIA.

I.

REctène Q. Serenus ventriculum Regis titulo insigniverit? *Rectè suo modo: nimirùm quia ea omnia, unde cæteris partibus vivendum, esculenta puta & potulenta, suâ habet in potestate, eaq; liberaliter illis communicat, & maximá in totius corporis alteratione ac mutatione virtute pollet: juxta illud* Hippocratis l. 6. epid. ſ. 3, ἡ κοιλίης νάρκωσις ἡ τῶν ἄλλων σύγχυσις, ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη, *ventriculi segnities & stupor omnium confusio, vasorumq; impuritas. Intelligit autem per* νάρκωσιν, Galeno comm. 3. in l. 6. epid. *§. 1. interprete, ventriculi in concoquendis cibis imbecillitatem: quæ, quia plurimorum corporis vitiorum causa est, confusionem certè ac turbationem in toto excitat. A ventriculo enim, si non probè concoxerit, incoctus chylus ad hepar fertur: quem cùm hepar in purum vertere sanguinem nequeat, fit, ut in venas effusus impuritatis causa existat. Cæterùm* nobilitatis, regiminis & dependentiæ *ratione ventriculus Rex dici non potest. Nobiliora e-*

nim illo ſunt Cor, Cerebrum & Hepar. Et Cor ſecundum Ariſtotelem *regit in corpore omnia, omniaq́ ab eo dependent: quia principium eſt vitæ, caloris, & ſpirituum vitalium: ſine quibus nulla actio obiri poteſt.*

II.

An ſiniſtrum ventriculi orificium ſedes ſit appetitûs animalis? *Appetitus alimenti duplex ſtatuitur ab artis proceribus: unus naturalis, quo naturali inſtinctu appetitur alimentum, ut inſtauretur, quod eſt amiſſum. Eſt enim inquit* Galen. 1. de tuend. ſan. c. 2. *corpus noſtrum in aßiduo fluore, cujus cauſa eſt calor, qui humidam ſubſtantiam depaſcitur. Alter animalis, qui fit cum ſuctionis ſenſu. Is ſingulis corporis particulis inſitus eſt: hic ſoli orificio ventriculi ſiniſtro conceſſus. Is ſine ſenſu fit: hic, uti dictum, cum ſenſu: qui huic orificio, ob inſignes, quos à ſexto pari accepit, nervos, ineſt exquiſitißimus. Tempore namq́ famis univerſalis, & illius quidem non morboſæ, aut depravatæ, ſed naturaliter conſtitutæ, 5. accidentia concurrunt, quæ ordine quodam ſeſe conſequuntur: quemadmodum* Gal. 1. de ſympt. cauſ. c. 7. *docet* 1. *eſt* κένωσις, *vacuatio, ſive exhauſtus partium, qui fit à calore.* 2. ὄρεξις φυσικὴ τῶν κενωθέντων μορίων, *appetitus partium naturaliter vacuatarum.* 3. μύζησις τῆς κοιλίας, *ventriculi ſuctio.* 4. αἴσθησις τῆς μυζήσεως, *ſuctionis ſenſus.* 5. ὄρεξις ψυχικὴ, *appetitus animalis, fames ſcil. atq́ ſitis, ſtimulans hominem ad edendum atq́ bibendum.*

Utrum

III.

Utrum ventriculus χύλωσιν calore, an facultate quadam ſibi innatâ perficiat? *Cauſæ χυλώσεως duæ ſunt: una ſecundaria, calor, tùm ventriculi, tùm partium ventriculo adjacentium. Altera primaria, vis quædam chylifica, quæ ſoli ventriculo conceſſa, non parti alii. Vnde nulla alia, quantumvis & proprio, & alieno calore calida, chylificat.*

IV.

Num ventriculi concoctio fiat putrefactione? *Sic perſuaſum olim habebat* Pliſtonicus, Praxagoræ *diſcipulus: quemadmodum* Gal. *refert* l. 3. de cauſ. ſympt. c. 1. *motus forſan hac ratione: quoniam alimenta priſtinam ſaporis odorisq; gratiam non ſervant: ſed prorsùs injucunda, gravi moleſtoq; tùm ſapore, tum odore ſenſus feriunt. Verùm erravit Pliſtonicus, ſi de σήψει propriè dicta loquutus. I. quia homo ſæpiùs febricitaret: quoniam ſæpiùs cauſam febris putridæ ſecum foveret. II. quia vitioſus ſemper generaretur ſanguis. Qualis enim materia, tale eſt & materiatum. III. quia vitioſo genito ſanguine, corpus malè nutriretur, & tùm κακοχυμίᾳ, tùm καχεξίᾳ perpetuâ laboraret. IV. quia putreſceret etiam in optimè conſtituto ventriculo: in quo tamen, neq; ex parte agentis, neque ex parte patientis, putredinis cauſa reperitur. V. quævis alimenta, dnmmodò coquerentur, in ventre putreſcerent. At falſum hoc eſſe, multorum natura oſtendit, quæ calida & ſicca, ac proinde putredini rebellis.*

V.

An eadem concoctio fiat attritione? *Ita credebat* Erasistratus: *ut liquet ex* l. 2. de nat. fac. c. 8. *Sed & hic hallucinatus est. I. quia attritio, sive comminutio cibariorum, tantùm præparatio quædam est primæ concoctionis, & jam ministerio dentium in ore facta. II. quia liquida teri nequeunt: & nihilominus tamen concoquuntur. III. quia quæ teruntur, minutiùs duntaxat conciduntur: formā autem non mutant. At cibaria formam mutant, & in* χυλὸν *lacteum, cremori ptissanæ similem, vertuntur. IV. quia quod aliquid conterit, frangit ac comminuit, durum est. At ventriculus est mollis: quia membranosus.*

VI.

An ventriculus nutriatur chylo, an sanguine? *Sanguinem, non chylum, illius alimentum esse arbitramur. I. quia sanguis commune omnium partium alimentum à Philosophis statuitur. si non immediatum & proximum, saltem mediatum & remotum. II. quia reliqua membranosa corpora omnia, vesica, uterus, meninges, pleura, peritonæum, mesenterium, omentum &c. sanguine aluntur: ejusq; gratiâ venas habent. Cur ergò ventriculus, qui & ipse est membranosus, dissimili alimento sustentaretur? III. quia ventriculus in fœtu solo nutritur sanguine, quemadmodum & reliquæ ejus particulæ. Chylum enim non conficit: cùm non per os, sed per umbilicum alimentum capiat. Quî igitur ventriculus adultorum, qui cumulatiùs & perfectiùs*

fectiùs ali postulat, chylo nutriretur? IV. quia in chylo multa adhùc latitant corpora heterogenea, serosa, biliosa, melancholica, sordida planè atq; ad alendum inepta: quæ partim in primâ, partim verò in secunda concoctione, cùm chylus in sanguinem mutatus, ab eo separantur. Haud ergò rationi consonum, chylum verè alere posse. Placitum namq; Galeni *est, nil verè ac perfectè alere posse, quod non omnes pertransierit coctiones, & ab excrementis probè sit repurgatum. V quia ventriculus venas habet, & effatu dignas, & numero plures, easq; omnes à venâ portæ ortas. At hæ illi frustrà concessæ non sunt: sed eum in finem, ut sanguinem ei pro alimoniâ advehant: & quidem non solùm pro sustentatione partis externæ: ut quidam volunt, sequuti placitum* Avicennæ: *sed etiam internæ: quia nulla diversitatis ratio dari potest. Eadem n. utriusq; est substantia. VI. quia animalia, quæ per hyemem degunt in latibulis, procul dubio nutriuntur: & quidem sanguine: quoniam ipsa sanguinea sunt. Chylo enim ali nequeunt: quia tunc temporis cibum per os non assumunt. Quare, si nutriuntur sanguine, & chylum in ventriculo nullum habent, sequitur, & ventriculum sanguine cibari.*

VII.

An, quibus siccior paulò est ventriculus, celeriter fiant sitibundi? *Ita docet Gal. c. 60.* μικροτεχν. *Ratio est in promptu: quia talis ventriculus levi de causâ siccior evadit, & facilè humiditatis suæ jacturã patitur: quam sarcire conatur assumptio-*

ptione potûs. Hunc enim appetit sitis: quæ secundum Aristotelem l.2. de Anim. c.3. est ὄρεξις τοῦ ψυχροῦ καὶ ὑγροῦ. *Nam quòd ad siccitatem ventriculi sitis, ac proin etiam appetitus potûs consequatur, indicio sunt medicamenta & alimenta siccantia, qualia sunt salsa, acria & amara. Adhæc, vacuationes insigniores: siccitas item & caliditas æstatis: febres, alia.*

VIII.

An siccior Ventriculus, de quo quidem Gal. loco allegato loquitur, pauco contentus sit potu? *Omninò. Loquitur enim non de siccitate morbosâ: sed eâ, quæ adhùc locum invenit in sanitatis latitudine. Quemadmodum enim ventriculus tali siccitate laborans levi de causâ evadit siccior: ita etiam contracta inde siccitas facilè emendatur. Emendatur autem potu. Quare, paucus potus illi sufficit. Non enim plus, quàm amissum est, naturaliter appeti solet.*

IX.

An talis Ventriculus à copioso potu gravetur? *Aiens placet* Galeno ibid. *Siccus enim venter tantâ solùm indiget humiditate, quanta ad deperditæ recuperationem est necessaria. At ea in ejusmodi ventriculo qui adhùc sanus præsupponitur, pauca est. Ergò & paucum potũ desiderat. Largũ enim veluti supfluũ respuit: vnde fluctuationes oriuntur: h. e. largior potus modò hùc, modò illuc in ventriculo agitatur: quoniã à ventriculo arctè minimè apprehenditur. Aut potus per summa in ventriculo inna-*

innatat, & ad os inclinat; vnde saliva frequens & crebra expuitio.]

X.

An paulò siccior Ventriculus siccioribus gaudeat alimẽtis? *Aientẽ rursus tuetur Gal. Ratio est: quoniã ejusmodi cibi tẽperaturæ ventriculi sunt similes. At naturales temperaturæ, vt habetur cap.* μικροτ. *63. semper similia: morbosæ autẽ contraria appetunt: quia similibus natura conservatur: dissimilibus autem & contrariis morbi pelluntur.*

XI.

Sitne veritati consonum, si dicatur, siccum Ventriculum crebrò sitire, & siccis tamẽ cibis delectari? *Videntur ista pugnare: sed non pugnant. Delectatur siccis eduliis, tanquã sibi similibus, quãdiu in statu naturali manet. Alteratus autẽ & siti vexatus, (vexatur autem ob siccitatem sæpè) nõ sicca edulia, sed potum, qui humidus est, appetit.*

XII.

Utrum humidus Ventriculus cõtrario modo se habeat: h.e. non sit sitibundus: cibis gaudat humidis: & largiusculũ potum toleranter ferat? *Affirmat Gal. c. 61.* Primi dicti *ratio est: quia sitis causa, quæ siccitas est, in eo non urget. Non enim humidus ventriculus adeò facilè, ut siccus ultra modum suum siccatur.* Secundi *causa est: quoniam humiditas ista naturalis est: non morbosa. Appetit ergò talis venter qualitatem sibi similẽ: quoniam ea conservatur.* Tertii *est: quia humiditas naturæ suæ est consentanea. Amica ergò & grata*

humi-

humido ventriculo. Ponit autem Gal.*non magnum in humiditate excessum sed ejusmodi, qui adhuc in sanitatis latitudine continetur. Neq; per potum multum intelligit enormem: sed pleniorem duntaxat eo, quo ventriculus εὔκρατος opus habet.*

XIII.

An calidior Ventriculus meliùs, ut Gal. ait c. 62. concoquat, quàm appetat? *Calidior stomachus rectè concoquit: quia nativus calor ὄργανον est πέψεως. Hinc videmus, populos septẽtrionales, quibus calor vegetior, concoquere probè: & concoquere non solùm multa, sed etiam δύσπεπτα. Hinc vere & hyeme, cùm calor viget, concoctiones sunt meliores. Minùs autem idem calidus stomachus appetit: quia ad excitandam appetentiam animalem, quæ fit cũ sensu suctionis, frigus plus roboris habet, quã calor. Hic enim laxando dissolvendoq; ventriculũ ad appetendum reddit segniorem. Illud tunicas Ventriculi contrahendo & cogendo appetitum excitat. Sic enim suctio quædam & corrugatio in orificio ventriculi oboritur. Vnde aqua frigida ab* Hipp. l. 6. epid. s. 4. *dicitur vorax: nimirùm effectivè & causaliter: quoniam appetitum excitat. Et alimẽta ac medicamenta acida atq; styptica eũdem reddunt intensiorem: quia corrugando stringendoq; orificium Ventriculi suctionis sensum efficiunt.*

XIV.

An calidior Ventriculus rectè concoquat quæ dura sunt & δυσαλλοίωτα: corrumpat autem quæ εὐαλλοίωτα? *Vtrumq; affirmat* Gal. c. 62. *Ratio*

est:

est: quia inter agens & patiens quædam debet esse proportio. Aliâs id, quod coquendum, vel crudū & imperfectum relinquitur: vel corrumpitur. Habet autem validus calor ad δυσαλλοίωτα, v. g. carnem bubulam cervinam, leporinam, caseum &c proportionem justam: quia utrūq;, agens scil. ac patiens, forte est. Inter validum verò calorem & alimentum εὐαλλοίωτον, v. g. brodia, ova sorbilia, pisces saxatiles, pulticulas delicatiores, pullos gallinaceos, carnes agninas & vitulinas &c proportio est nulla: quia agens est efficax valdè: patiens autem debile & mutabile admodùm: ideoq; corrumpitur. Illius enim actio hujus passibilitatem longè superat.

XV.

An Ventriculus calidus calidis gaudeat alimentis? Si calor non magnoperè modum excedat: sintq; alimenta quoq; non enormiter vel actu, vel potestate calida, concedit Galenus, c. 62. talē ventriculum calidis delectari. Insitum enim cuilibet parti sanæ est, ut similia appetat: quoniā iis conservatur: respuat autem cōtraria: quia sunt φθαρτικά.

XVI.

Utrum dictus Ventriculus à frigidis facilè offendatur cibis ac potibus? Negat Galen. c. 62. dummodò modicè iis utatur. Ratio est: quia calor à levi contrario non facilè superatur. Est enim qualitas ejusmodi, quæ reliquas efficaciā vincit.

XVII.


An frigidus ventriculus malè concoquat, cibos pręsertim frigidos & δυσαλλοιώτυς? Ita videtur

detur Gal. c. 63. *Organum enim πέψεως præcipuũ calor est: qui in ejusmodi ventriculo remissior. Malè verò concoquit, I. cibos frigidos, qui tales, vel actu, vel potestate: quoniam ventriculum magis refrigerant: & consequenter inhabiliorem ad concoquendum reddunt. II. malè concoquit cibos δυσαλλοιώτους: quoniam inter concoquentem calorem, & concoquendũ cibum δυσαλλοίωτον nulla est proportio. Patiens enim subjectum validum est. agens verò calor remissior, quàm ut illud superare valeat.*

XVIII.

An cibaria in frigido Ventriculo citò acescant? *Affirmativa placet* Galeno *cap.* 63. *Est enim acor soboles caloris remissioris, qui cibos perfectè concoquere nequit. Nidor verò effectus caloris intensioris, alimenta quasi urentis, ut rerum tostarum & ustarum odorem & saporem referant.* Hinc *quibus cibi ob caloris infirmitatem vertuntur in acorem, acidos edere ructus solent: quibus contrà ob caloris vehementiam mutantur in nidorem, nidorulenta eructant: quemadmodum idem* Gal. l. 3. alim. fac. c. 16. & l. 3. caus. sympt. *c.* 1. *ostendit.*

FINIS.



Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XXI.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:


Respondente

JOANNE GEORGIO LEYTTER-spergero, Argentinensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





Thesis I.

De Corporibus & Signis actum est. Sequuntur Causæ: eæq; quadruplices. I. *Salubres conservantes.* II. *Salubres efficientes*, quæ dicuntur Curativæ. III. *Prophylacticæ*, sive *Præservantes*. IV. *Analepticæ*, sive *Reficientes*. De quibus ordine dicendum.

Ἐργασίας membrũ tertium, quod est de Causis.

II.

Inquit ergò *Galenus*, causas ratione constitutionis corporis esse triplices: ὑγιεινὰς, νοσερὰς, καὶ οὐδετέρας, De salubribus autem priori loco tractandum esse. Et quia rursùs harum aliæ sunt φυλακτικαὶ, aliæ ποιητικαὶ τῆς ὑγιείας, conservatrices & effectrices sanitatis: initium faciendum esse à conservatricibus, tanquam χρόνῳ καὶ ἀξιώματι, tempore & dignitate prioribus. *Cap.* 84.

Differentiæ causarũ, & de quib. primò agendum.

III.

Quia verò magna sanitatis est latitudo, variaq; sanorum corporum genera, quemadmodum *suprà cap* 8. indicatum: subdit *Gal.* varias etiam & multiplices esse causas conservatrices. *Cap.* 84.

IV.

Rationem hanc adfert: quoniam πᾶν αἴτιον ἐν τῷ πρός τι, omnis causa ex eorum est genere, quæ ad aliquid referuntur. Quodlibet igitur sanorum corporum genus suam habet conservatricem causam. *Cap.* 85.

V.

Ex quo sequitur, denuò ab ἀρίστῃ corporis κατασκευῇ inchoandum esse, ac quæ illi salubria sint, declarandum. Nàm illius quoq; signa c. 8. primo loco erant proposita. *Cap.* 84.

VI.

Causa necessitatis invẽtionis causar. optimam constitutionẽ conservantium.

Necessitatem verò inventionis salubrium causarum, quæ optimam constitutionem conservant, ἡ τοῦ πράγματος φύσις ὑπαγορεύει, ipsius rei natura, h.e. conditio corporis conservandi nobis insinuat. *Cap.* 84.

VII.

Nam si corpus esset ἀπαθὲς καὶ ἀναλλοίωτον, impatibile & inalterabile, utiq; optima constitutio semper suo in statu permaneret: neque artis præsidio per causas conservatrices op⁹ haberet. Quia verò alteratur, corrũpitur, & immutatur, neque eundem servat constitutionis suæ tenorem, ἐπικουρίας ἐν τούτῳ δεῖται, ea ratione auxilium desiderat, quod illi per causas φυλακτικὰς suppeditatur.

Cap. 84.

I.

UTrum sitis solius ventriculi causâ accidat? *Certum est, homines vtplurimùm ventriculi sicciorìs causâ sitire: idq; etiam à* Galeno c.60. μικροτέχν. *significatum. Certum & istud, sitim suam habere sedem in ventriculo. At causa interim sitis non semper in ventriculo sita est. Experientia namq; testatur, & illos crebrò sitire, quibus hepar est calidius. Ventriculo enim insidet, totūq; corpus calefacit & siccat, si ipsum fuerit calidum & siccum. Sitibundos quoq; esse, quibus viscera thoracis, Cor & Pulmo sunt præcalida. De corde haud licet ambigere. Febres enim, quarum δεκτικὸν cor est, fidem faciunt. Idem quoq; probant quædam animi παθήματα, in quib. cor calescit: vt ira. De pulmone plana est* Aristotelis sententia l. 3. part.an.c.8. *vbi, quibus animalibus vesica data sit, investigat: dicitque, datam iis esse, quorum pulmo calido abundat sanguine. Hæc enim ob caloris excessum sitibunda sunt, multúmq; bibunt: & copiosi potûs causâ plurimùm colligunt excrementi serosi: quod peculiare requirit conceptaculum, vesicam. Eundem pulmonem, plus justo tamen calefactum, sitis causam esse, docent ij, qui vel longiùs perorârūt: vel altâ voce clamârunt, aut cecinerunt. Vnde tritum illud: Cantores amant cantharos & humores*

II.

Rectène pulmo cordis flabellum & ventila-

 tur

tur appellatus? *Affirmatur: quia datus, ut cor quod per se & naturâ suâ calidum, calidiusque evadit ob juges & perennes motus, quos usque ad extremum vitæ spiritum sustinere necesse habet, refrigeraret. Refrigerat verò illud aëre, quem inspiravit, & cordi postmodùm per arteriam venosam subministravit.*

III.

Num rectè idem cordis culcitra & organum vocale dictus? *Cordis culcitra meritò dicitur, quia illi est instar mollioris substerniculi, ne offendatur spinæ duritie. Organum verò vocale rectè nuncupatur, quia aërem, vocis materiam dùm contrahitur, suppeditat. Hunc enim in thoracis elevatione adducit arteria aspera: adductumq; pulmo excipit. Verùm, ut eundem reddere queat pro generatione vocis, musculi quidã thoracis ἐκφύσησιν, exufflationem, procurant. Hinc quæ animalia pulmone carent, ἄφωνα sunt: ut pisces: exceptis tamen cetarijs.*

IV.

Sitné pulmo spiritûs vitalis ἐργαστήριον. *Affirmat* Columbus l. 11. anat. c. 2. *quem sequitur* Arantius in observat. anat. c. 33. *Nos horum figmentum refutavimus alibi fusiùs. Sufficiat jam dixisse, ἐργαστήριον istud in solo corde situm esse. Est enim spiritus vitalis primarium cordis opus, cujus causâ cor om̃ia habet, quæ habet: nimirùm sanguinem, veluti materiam; parenchyma, tanquam subjectum, cui insidet vis generans: & cavitates,*

ceu locum generationi aptum atque idoneum. Inde enascũtur vasa cordis, quæ quod in eo genitũ, in totum corpus derivant. Si hoc tibi argumentum non satis, pisces contemplare, qui vitalem spiritum gignunt: & pulmone tamen carent. Si ne istud quidem sufficit, in memoriam revoca reliqua principalia viscera, cerebrum & cor: & deprehendes, ita comparatum esse, ut ubi alicujus facultatis statuitũr regia, ibi & spiritus suam habeat originem.

V.

An pulmo à semetipso, sicuti cor, moveatur? *Si à semetipso moveretur, motus illius non esset animalis, sed merè naturalis, sicuti cordis & cerebri: & per consequens neque à nobis pro libitu & arbitrio nostro variari, hoc est, celerior & tardior, rarior & frequentior, major & minor fieri posset. At variari potest: ut quilibet in seipso experitur.* II. *moveri posset pulmo, etiam thorace quiescente, quemadmodum cor eo stante moveri videmus.* III. *detracto thorace aliquandiu moveretur: sicuti cor, aut cerebrum, ablato cranio. At hoc nunquam hactenus in brutis observatum, in quibus tamen pulmo, ut in nobis, movetur.*

VI.

Utrum pulmo moveatur à corde? *Sic quidem autumat* Aristoteles l. 3. de partib. anim. c. 6. & l. de respir. c. 4. & ult. *Nos persuasum habemus, cor quidem finale principium esse motûs pulmonis: quoniam eum in finem à naturâ institutus*

tutus, ut cordis fervor ventiletur: per se quidem in εἰσπνοῇ: per accidens autem in ἐκπνοῇ. At efficiens illius principium esse pernegamus, si de proprio & proximo sermo sit. I. quia merè esset naturalis, utpote à merè naturali principio profectus. II. quia illæso corde semper continuaretur, non cessaret. Agente enim movente, fieri nequit, quin motus sequatur. At cessat, quiescente thorace, etiamsi cor sit illæsum. Non ergò prodit à corde.

VII.

Moveaturne à cerebro & thorace? *A cerebro, tanquam principio remoto. A thorace, velut principio proximo. Hujus enim motum sequitur. At thorax movetur à musculis sibi implantatis. Hi vim movendi à nervis acquirunt per spiritum animalem. Atqui & nervorum, & spiritûs animalis principium est cerebrum. Quòd autem pulmo motum thoracis sequatur, & cum eo tùm elevetur, tùm deprimatur, inde liquet: quia nullam invenire licet dispositionem corporis, in quâ pulmo moveretur, thorax autem quiesceret. Atque hæc causa est, quòd in apoplexiâ tamdiu motus pulmonum duret, quamdiu durat motus thoracis. Ut primùm verò hic vel imminuitur, vel aboletur prorsus, statim etiam pulmonum motus aut decrescit, aut perit.*

VIII.

Sitné pulmo calidus, an frigidus? *Calidus est: I. quia sanguineus, tenuique & calido sanguine nutritur. II. quia porosus, laxus, levis,*

& ad

& ad motum facilis. III *quia tutum minimè erat, frigidum creari membrum, quod frigidum aërem erat inspiraturum.*

IX.

Sitnè aliquod discrimen inter διαπνοὴν, perspirationem, sive transpirationem, & ἀναπνοὴν, respirationem. *Maximum sanè. Etenim, διαπνοὴ est insensilis, ἀναπνοὴ sensilis: quoniam fit thorace dilatato atq; contracto.* Διαπνοὴ *fit per occulta cutis spiracula:* ἀναπνοὴ *per ductus sensiles atque conspicuos, os scil. & nares.* Διαπνοὴ *in omnibus animalibus locum habet, etiam in* ἐντόμοις, *insectis,* καὶ ἀναίμοις, *exanguibus, quorum calor languidus est & debilis, ac ob id contentus, ut solâ transpiratione ventiletur.* Ἀναπνοὴ *in sanguineis tantùm observatur: neque iis tamen omnibus: sed illis solùm, quæ pulmonem habent; qualia sunt, quorum calor adeò intensus est, ut solâ transpiratione, & arteriarum pulsu temperari satis nequeat: sed majori adminiculo, veluti flabello, indigeat. Tale autem* ἀναπνοῆ *comparatur.* Διαπνοὴ *fit in corpore toto Ait enim* Gal. l. de. diff. morb. c. 7. διαπνοὴν *esse aëris per totum corpus introitum & exitum.* Ἀναπνοὴ *tantùm in thorace fieri solet.* Διαπνοῆς *nemo nostrûm carere potest. Suffocaretur enim calor, nisi ventilaretur.* Ἀναπνοῆς *carere dicitur fœtus in vtero: & mulieres hystericæ, quæ exoluto nativo calore cordis à venenatâ corrupti seminis, aut menstrui sanguinis aurâ ad tempus vivunt, solâ διαπνοῆ contentæ.*

X.

Quomodo pulſus & reſpiratio inter ſe conveniant? I. *fine aliquo: quia uterque motus inſtituitur ad nativi caloris conſervationem: quæ conſiſtit in refrigeratione, & difflatione, ſive expurgatione. Refrigeratio fit in diaſtole cordis & thoracis. Ingreditur enim aër frigidus: qui ſi non ingrederetur, cor ob perennes motus incendio conflagraret, & reliqui corporis calor degeneraret tandem in febrilem. Difflatio & expurgatio accidit in utriusque partis ſyſtole. Egrediuntur enim fuligines, & exit aër fervidus. Niſi enim calor ſic quaſi deſæcaretur, tandem ſuffocaretur, nõ ſecus ac flamma â craſſo multóq; fumo extingui ſolet.* II. *formâ motus. Vtraq; enim actio fit* διαςολῆ καὶ συςολῆ: *& utramque actionem quies excipit gemina: una* διαςολὴν: *altera* συςολὴν.

XI.

Quomodo pulſus & reſpiratio inter ſe differant? *Variis modis.* I. Subjecto. *Nam pulſus ineſt omnibus animalibus ſanguineis: quia talia omnia ſecundũ* Ariſtotelem *cor habent. Reſpiratio iis ſolùm data, quæ pulmonem acceperunt.* II. Formâ: *quia pulſus motus eſt merè naturalis, à noſtra voluntate minimè dependens: reſpiratio partim animalis eſt, partim naturalis, ut mox dicemus.* III. Efficiente: *quoniam pulsûs cauſa eſt facultas* σφυγμικὴ, *quæ in corde latitat: reſpirationis verò vis animalis, & illa quidem motrix: quæ muſculis utitur thoracis.* IV. Fine ſpeciali. *Etſi enim, ut*

ſigni-

significatum suprà, conveniant in fine generali, qui est caloris nativi conservatio: differt tamen pulsus à respiratione in eo: quoniam in διαστολῇ *non tantùm aërem attrahit per arteriam venosam pro refrigeratione cordis: sed etiam sanguinem venosum, per venam cavam, tùm pro sanguinis, tùm pro spiritûs vitalis generatione. In* συστολῇ *verò per venam arteriosam emittit ex dextro cordis sinu sanguinem pro nutritione pulmonis: per arteriam magnam ex sinu sinistro sanguinem & spiritum in corpus totum: per arteriam denique venosam, quæ intus exquisitè clausa non est, cùm duas solùm valvulas habeat tricuspides, fuliginosos halitus.* V. Celeritate. *Citius enim longè absolvitur pulsus respiratione: cùm cor quater, aut quinquies unius respirationis intervallo pulset.* VI. Nobilitate. *Videtur namque pulsus nobilior esse respiratione: I. quia nobiliori insidet parti, nempè cordi: quo secundum Peripateticos nobilior in corpore nulla. Est enim illud principium vitæ, à quo reliqua omnia membra dependent. II. quia finis nobilior, quæ ad finem diriguntur. At respiratio dirigitur ad conservationem pulsûs: & materiam cordi subministrat pro generatione spiritûs vitalis, ipsum nimirùm aërem.*

XII.

An respiratio actio sive motus sit animalis: an naturalis? *Animalis motus dicitur, qui situs in nostrâ voluntate & arbitrio. Potest enim instituti & intermitti; celerior & tardior, crebrior & ra-*

& rarior fieri. Talis est motus musculorum plerorumque omnium. Naturalis motus I. is est, qui fit à naturâ & formâ elementari. Hoc motu gravia feruntur deorsum: levia sursum. II. is, qui opponitur violento. Hoc modo motus musculorum, licet animales sint, voluntarii & arbitrarii: naturales tamen dicuntur, quoniam κατὰ φύσιν *se habent. III. is, qui opponitur voluntario, & à nostro arbitrio ac voluntate minimè dependet: qualis est motus cordis. Hac distinctione præmissâ, dicimus, respirationem naturalem quidem motum esse modo secundo: quoniam fit* κατὰ φύσιν: *at non modo primo & tertio: quoniā intermitti à nobis & institui, celerior & tardior, crebrior itē & rarior fieri potest: quemadmodum cuilibet in se ipso experiri licet. Est ergò actio, sive motus animalis: idque etiam propterea, quoniam perficitur musculis, thoracem dilatantibus & contrahentibus. At musculi voluntarii, sive animalis motûs sunt* ὄργανα. Verùm, notandum hîc est: *actiones animales duplices esse: alias merè ac purè tales: quales sunt apprehensio, ambulatio &c. alias mistas: nimirùm partim naturales: partim animales. Et in hoc genere respiratio collocatur. Est enim animalis ratione instrumentorū, hoc est, musculorum, thoracem moventium: est vero naturalis, ratione finis & usûs. Cum hac distinctione concordare videtur, illa quæ ex* Galeni l. 2. de mot. muscûl. c. 4. 5. & 6. *elicitur. Ait enim, voluntarias actiones vel esse simpliciter & absolutè liberas, quæ à libero nostro*

stro

ſtro arbitrio prodeũt. Fieri enim & non fieri poſſunt: poſſunt etiam in celeritate & tarditate, crebritate & raritate à nobis mutari: vt progreßio & apprehenſio. Alias per ſe quidem voluntarias, ſed naturæ neceßitati ita devinctas, ut, ſi maximè coneris easdem inhibere, cogaris tamen tandem naturæ obedire & ſatisfacere: ideoq; non planè liberas. Tales ſunt urinæ & excrementorum alvi emiſſio. Nam ſphyncterum veſicæ & inteſtini recti contractio & relaxatio, ad excrementa cohibenda, aut emittenda, voluntariæ quidem actiones ſunt: quia muſculis peraguntur: non tamen liberæ, ſed Naturæ neceßitudi ita devinctæ, ut ſi maximè coneris dictarum partium ſphyncteres contrahere, tandem tamen illos relaxare neceſſe habeas. Eodem modo reſpiratio actio quidem voluntaria eſt: ſed non prorſus libera: quia naturæ neceßitati, hoc eſt, conſervando vitali cordis calori obſtricta: cujus cùm ſit ſumma ad vitæ cuſtodiam neceßitas, ſit, ut, licet ſpiritum cohibere & thoracem contrahere, tentes, tandem tamen eundem rurſus dilatare cogaris.

XIII.

Utrum pulsûs major ſit neceſſitas quàm reſpirationis? *Sic omnino videtur. I. quia pulſus eſſe poteſt ſine reſpiratione reſpiratio ſine pulſu nũquã. Antecedens probatur exemplo mulierum hyſtericarum, quorundam apoplecticorum, fœtûs in utero, animalium eorum, quæ cor quidem habent, pulmone verò deſtituuntur. II. quia pulſus plures ani-*

mali

mali præstat usus, quàm respiratio: scil. immißionem & emißionem earum rerum, quarum in corollario II. *mentio facta.* III. *quia pulsu generatur spiritus ille vitalis, qui ita necessarius, ut sine illo nulla corporis pars actiones suas exercere poßit.* Loquimur autem de cordis, *non de privato alicujus arteriæ pulsu. Hic enim minus necessarius respiratione. Ligata enim interceptáq; aliquâ manûs pedisve arteriâ, non perit animal. Constrictâ verò arteriâ asperâ, ut respiratio prohibeatur, animal illicò suffocatur.*

XIV.

Quæ causa, quòd cùm in apoplexiâ omnes alii musculi motu careant, plerumque tamen illi, qui respirationi inserviunt, moveantur? *In apoplexiâ, inquit* Gal. aphor. 42. comm. 2. *totum corpus subitò sensu ac motu privatur. Causam dat istam: quia vis animalis ad partes infra caput existentes defluere nequit: idque vel ob dispositionem aliquam cerebri inflammatoriam: vel obstructionem ventriculorum illius ab humore pituitoso. Quodsi omnis movendi facultas sit deleta, nihilque prorsùs defluat à cerebro, etiam motus thoracis, & consequenter ipsa quoque respiratio ac vita tollitur. Si verò aliquid illius adhuc supersit, id omne ad musculos respiratorios convertitur: ex quo fit, ut sola maneat respiratio. Causam* Gal. *rejicit in respirationis necessitatem, quæ nervorum vim excitat ad actionem. Ideóque in apoplexiâ omnes musculi thoracem moventes simul operantur,*

tur, etiamsi rarò priùs operarentur omnes: non ob caloris vehementiam, & necessitatem respirationis adauctam: sed quia vis illorum motrix adeò debilis est, vt vix per omnes præstari possit, quod priùs solum præstabat diaphragma. Observandũ hîc obiter, quòd secundũ Galenũ loco citato ex modo læsæ respirationis apoplexiæ magnitudo cognoscatur. Nam si respiratio prorsus deleatur, maxima est & fortissima apoplexia. Si adhuc quidem supersit; magna autem cum vi fiat, fortis est, quam Hippocr. aphor. 42. s. 2. ἰσχυρὴν vocat. Si non quidem sit intenta, aut violenta: inæqualis tamen & inordinata, ac intermittens, fortis & ipsa est, sed minùs, quàm præcedens Quodsi ordinem aliquem servet, debilis est, quam idem Hippocr. ibid. ἀσθενέα nominat. Idem Gal. comm. 6. aphor. 51. aliud adhùc fortis apoplexiæ signum addit, nempè τὸν ῥόγχον rhonchum, sive stertorem, qui etiam profundè dormientibus accidere solet: idque propterea, quoniam aliquid commune est utrisque: nimirùm ἡ ἀῤῥωσία τῆς τῶν νεύρων ἐνεργείας, debilitas operationis nervorum: cujus causa est, quia stertentibus, dùm stertunt, facultas motrix debiliter influit in musculos respiratorios. Longè tamen major hujus est influxûs debilitas in apoplecticis, quàm in dormientibus quibusdam, qui adhuc sani sunt.

XV.

Quam ob causam, quibus pulmo est calidior, plus inspirent, longiùs exspirent, æstum

in

in thorace sentiant, & frigidi aëris inspiratione refrigerentur ac sitiant? *Signa hæc* Gal. c. 64. μικροτέχν. *ponit pulmonis calidioris, quæ rationi sunt consentanea.* I. Plus inspirant, *quàm quibus pulmo & cor est temperatum: hoc est, thoracem altè attollunt, ut aërem recipiant copiosum, qui ad contemperandum pulmonis & cordis æstum est necessarius.* II. Longiùs expirant: *hoc est, in contrahendo thoracem moram magis trahunt: ut fuligines, quæ propter cordis æstum copiosæ sunt, plenè evacuentur.* III. Æstum in thorace sentiunt. *Quali enim qualitate prædita sunt viscera, talem etiam tactui exhibent.* IV. Frigidus aër illos refrigerat: *quoniam aër integris penè viribus ad pulmonem pertingit.* V. Sitiunt. *Ratio est: quoniam calor cordis & pulmonis facilè ad ventriculum diffunditur, qui calefactus & siccatus potum appetit.*

XVI.

Utrum frigidus pulmo sensibiliter à frigidâ inspiratione lædatur: & juvetur à calidâ? *Assertio placet* Galeno c. 65. μικροτ. *Ratio est: quia aër integris penè viribus, & quidem indesinenter pulmonem ingreditur. Læditur autem frigidus pulmo præcipuè à flatibus Aquiloniis: quia vehementur refrigerant, & intemperiem frigidi pulmonis augent. Calida autem inspiratio, qualis est tempore veris & æstatis, eandem corrigit atque emendat.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XXII.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOHANNE GEORGIO Erhardt/ Argentinensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

DIctum fuit præcedenti disputatione, in doctrinâ CAUSARUM omniũ primùm agendum esse de Causis salubribus, & illis quidem Conservatricibus, quæ optimam corporis constitutionem tuentur: ideoq; jam illud præstandum: sed numerus priùs illarum investigandus.

Investigatio Causarum salubriũ quæ Conservatrices dicuntur.

II.

Illum autem *Galenus* ex numero rerum nos alterantium indagat. Etenim, quot modis corpus nostrum alteratur: seu quot sunt illa, quæ nos alterant, tot etiam sunt auxilia, sive αἴτια φυλακτικὰ. Ratio est: quia hæc sunt ἐπανορθωτικὰ, correctiva earum noxarum, quas causæ alterãtes corpori intulerunt. Itaque (addimus nos contextui) illis sunt contraria. At in contrariis hæc est ratio, vt quot genera sunt vnius, totidem sint & alterius. *Cap.85.*

III.

Quodsi objicias, si αἴτια φυλακτικὰ vitia illa, quæ ab alterantibus introducta sunt, corrigunt atq; emendant, sequitur, non φυλακτικὰ, sed ἐπα-

νορθωτικὰ potiùs & προφυλακτικὰ appellanda esse. Respondet *Galenus*, causas istas reverà quidem ex correctivarum genere esse: verùm, cùm κατὰ βραχὺ ποιῶσι τὰς ἐπανορθώσεις, paulatim correctiones faciant, πρὶν ἀθρόον ἀπαντῆσαι τὸ βλάβος, priusquam omnis noxa ingruat, fieri, ut non προφυλακτικαὶ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι κακοῦ, non præservantes causæ à futuro malo Medicis dicantur: ἀλλὰ φυλακτικαὶ τῆς παρέσης καταστκευῆς, sed præsentis statûs conservatrices. *Cap.* 85.

IV.

Cæterùm, duo sunt rerum genera corpus nostrum alterantium. Nam ab vno ἀλλοιοῦται τὸ σῶμα ἐξ ἀνάγκης, corpus necessariò alteratur: ab altero autem οὐκ ἐξ ἀνάγκης, non necessariò. *Cap.* 85.

V.

Necessariò ab illis alterari dicitur, οἷς ἀδύνατον αὐτῷ ἐσι μὴ πλησιάζειν, quas nulla datur evitandi ratio. Non necessariò autem ab iis rebus alteratur, quas declinare licet. *Cap.* 85.

VI.

Ex genere earum rerum, quæ necessariò nos alterant, quasq; fugere minimè licet, sunt Aër, Cibus & Potus, Somnus & Vigilia, & quædam alia, quæ mox recensebuntur. Ex albo verò illarum, quas declinandi datur potestas, sunt arma & feræ exitiales. *Cap.* 85.

VII.

Circa primum genus versatur ars corporis conservatrix: circa secundum minimè. *Cap.* 85.

Illud

Illud enim certum eſt ac definitum: adeò ut modus præſcribi poſſit à Medico ſalubriter eo vtendi. Hoc incertum & indeterminatum: & omninò tale, quod fortuitum & caſuale: ita ut præceptis Medicis præcaveri non poſſit: ſed propriâ cujuſque diligentiâ, curâ ac virtute opus ſit.

VIII.

Porrò, cùm de numero rerum neceſſariò nos alterantium nondum conſtet: ſine illo autem numerus conſervantium cauſarum ſciri nequeat: ideò ulteriùs nobis progrediendum, & res ἐξ ἀνάγκης nos alterantes commemorandæ, ut numerus etiam cauſarum conſervantium nobis ſit cognitus atq; perſpectus.

IX.

Sunt autem res neceſſariò nos alterãtes numero 6. Quare etiam 6. conſervantes cauſæ erunt. I. eſt ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὁμιλίας, ex aëris nos ambientis adhæſu. II. ἐκ κινήσεως καὶ ἡσυχίας ὅλου τε τοῦ σώματος καὶ κατὰ τὰ μόρια, ex motu & quiete, tùm corporis totius, tùm ſingularum ejus partium. III. ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, ex ſomno & vigilia, IV. ἐκ τῶν προσφερομένων, ex iis, quæ aſſumuntur. V. ἐκ τῶν ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων, ex illis, quæ excernuntur & retinentur. VI. ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν, ex animi perturbationibus. *Cap. 85.*

X.

Ab hiſce omnibus neceſſe eſt corpus aliquo

modo affici. Quomodo autem afficiantur, in singulis breviter declarandum est.

XI.

Ab *Aere* quidem corpus nostrum afficitur duobus modis: vno secundum qualitatem: easque aut simplices, aut compositas. Altero, καθ' ὅλην τὴν ὐσίαν, secundum totam substantiam. *Cap.* 85.

XII.

Secundum qualitates simplices, quando vel calefit: vel frigefit: vel siccatur: vel humectatur. Secundum compositas verò, cùm aut calefit & siccatur: aut calefit & humectatur: aut refrigeratur & humectatur: aut refrigeratur & siccatur. *Cap.* 85.

XIII.

Secundum verò substantiam totam, cùm labis aliquid acquirit ab aëre venenatis μιάσμασι, sive inquinamentis, provenientibus à stagnis, paludibus, cloacis, cadaveribus insepultis, oleribus & leguminibus putrefactis, cavernis & barathris, &c. contaminato.

XIV.

A motu & quiete, cùm modum negligunt: & vel in defectu, vel in excessu peccant, Ex quo rursus corpus nostrum refrigeratur, calefit, humectatur & refrigeratur. *Cap.* 85.

XV.

A *somno & vigilia* similiter: quemadmodum & ab *assumptis*, & ab *excretis*, & ab *animi perturbationibus. Cap.* 85.

Hæc

XVI.

Hæc ſiquidem omnia, partim quidem ἀντικρυς, protinus & immediatè: partim verò διὰ μέσων ἑτέρων αἰτίων, mediatè, per cauſas alias intervenientes corpus alterant, ſanitatemq; deſtruũt: de quibus omnibus fusè dictum ἐν τῇ περὶ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ, *in opere de tuenda ſanitate*. *Cap.* 85.

XVII.

Ex his conſervantium cauſarum numerus elicitur. Cùm enim ſuprà dictum ſit, tot eſſe conſervantium cauſarum genera, quot ſunt rerum, quæ nos neceſſariò alterant: & jam oſtenſum, res neceſſariò nos alterantes eſſe ſex: ſequitur, etiam ſex conſervantium cauſarum genera eſſe.

XVIII.

Quia verò abſurdum videri poterat, unum idemq; rerum genus & φυλακτικὸν eſſe καὶ ὑγιεινὸν: & φθαρτικὸν καὶ νοσῶδες: propterea *Galenus* jam oſtendit, quomodo iſtud citra ullam abſurditatem ſtatui poſſit.

XIX.

Sunt, inquit, dicta ſex rerum non naturalium, ſive neceſſariò nos alterantium, genera, cauſæ conſervatrices & ſalubres, μετὰ τῆς δεούσης χρήσεως, ſi, ut decet, uſurpentur: inſalubres autem, ſi à συμμετρίᾳ, h. e. modo corpori debito recedatur, & in illis error aliquis committatur. *Cap.* 85.

XX.

Ex quo consequitur, nullam harum rerum necessariò nos alterantium per se & naturâ suâ, vel salubrem, vel insalubrem existimari à nobis debere. *Cap.* 85.

XXI.

Rationem quidem *Gal.* nullam addit: ea verò est: quoniam si res enumeratæ tales essent per se & naturâ suâ, tùm non solum uni alicui corpori, sed in universum omnibus tales forēt. At hoc est falsum. Ergò & illud.

XXII.

Quodsi quæras, quomodo ergò salubres, aut insalubres dicantur? Respondet *Galenus, respectivè.* Habent enim rationem causarum. At causæ, ut præcedenti cap. dictum, ex genere sunt eorum, quæ πρός τι, ad aliquid referuntur. Itaque pro diversâ ad corpora applicatione, diversoque usu, modò salubres, modò insalubres causæ dici merentur. *Cap.* 85.

XXIII.

Nam, ut res exemplis quibusdam illustretur, *Motus* res est, & salubris, & insalubris. Salubris quidem, si corpori præcipiatur, quod motum desiderat: insalubris autem, si injungatur illi, quod non motum, sed quietem postulat. *Cap.* 85.

XXIV.

Similiter *Quies* salubris est iis corporibus, quæ quiete opus habent; insalubris verò illis,

quæ

quæ motu egent. Eademq; ratio eſt etiam ciborum ac potuum, aliarúmque rerum non naturalium. *Cap.* 85.

XXV.

Nulla enim harum per ſe & naturâ ſua ſalubris eſt, aut inſalubris: ſed ſalubris quidé, quando δεομένῳ τῷ σώματι προσάγεται μετὰ τῆς οἰκείας ποσότητος καὶ ποιότητος, egenti corpori cum menſurâ convenienti, & qualitate decenti adhibetur. Inſalubris autem, cùm μηδ᾽ ὅλως δεομένῳ προσφέρεται, corpori non egenti, citra aliquam neceſſitatem, applicatur: ἢ οὐκ ἐν τῷ προσήκοντι μέτρῳ, aut non in juſtâ quantitate uſurpatur. *Cap.* 85.

XXVI.

Hinc infertur, duas conditiones, ſive requiſita flagitari, ut aliquid ſalubris, aut inſalubris cauſa dicatur: nimirùm ἡ ποιότης καὶ ἡ ποσότης τοῦ προσφερομένου, rei, quæ adhibetur & uſurpatur, qualitas & quantitas. *Cap.* 85.

XXVII.

Dices, tertiam quoq; conditionem neceſſariam eſſe, nempè τὸν καιρὸν, tempus, ſive agendi opportunitatem. Reſpondet *Galenus*, eam minimè excludi: neceſſum tamen non eſſe, ut tanquam tertia quædam conditio, à duabus prioribus diſtincta, introducatur. Ratio eſt: quia ſub illis comprehenditur. *Cap.* 85.

XXXVIII.

Etenim, ſi corpus tali & tantâ re non natu-

tali, h.e. in tali qualitate, & tantâ quantitate, eget: dubium non est, quin καὶ κατὰ τὸν καιρὸν τὰ δέοντα προσφέρηται, opportuno tempore adhibeatur. Nã si opportuna nõ esset, corpus procul dubio tali ac tantâ re minimè egeret. *Cap.* 85.

XXIX.

Itaque manifestum est, τὸν καιρὸν, occasionem, sive opportunitatem temporis, non quidem actu & explicitè hìc poni: implicitè tamen & tacitè sub qualitate ac quantitate comprehendi. *Cap.* 82.

XXX.

Causa autem, cur ὁ καιρὸς à Medicis consideretur, est; quoniam τὸ θνητὸν σῶμα ῥευστὸν καὶ εὐμετάβλητόν ἐστι, καὶ δεῖται κατὰ τὰς μεταβολὰς ἄλλοτ' ἀλλοίων τῶν ὠφελούντων, mortale corpus fluxile est & facilè mutabile: ac pro transmutationis ratione aliis alio tempore indiget auxiliis. *Cap.* 85.

XXXI.

At instabis, *Galenum* tamen τὸν καιρὸν, tanquam tertium requisitum ad constitutionem causæ salubris necessarium, sæpiùs expresse posuisse. Respondet *Galenus*, se hoc fecisse εἰς τὴν διδασκαλίαν, doctrinæ causâ: h.e. cùm corpus humanum in diversis temporibus diversimodè alteretur: ac pro diversitate alterationum diversa etiam remedia postulet; ideò claritatis & perspicuitatis causâ opportunitatẽ temporis, veluti tertium aliquod salubris causis requisitum, se tradidisse. *Cap.* 85.

COROLLARIA.

I.

AN, quibus pulmo frigidus eſt, pituitam crebrò cum tuſſi expuant? *Omninò: præſertim ſi etiam humidus ſit. Soboles enim frigiditatis pituita eſt: quæ ſi copioſiùs in bronchiis pulmonum ſit coacervata, naturam gravat. Quo fit, ut expultrix inſurgat, eamq́ per tuſſim, impellentis ſpiritûs ope, eyciat.*

II.

An pulmo ſiccus pituitâ vacet; & vocem reddat claram? *Sic docet Gal. c. 66.* Prioris ratio *duplex eſt:* I. *quia ſiccitas nativa humiditates cõſumit.* II. *quia ſiccus pulmo ſicco quoq; nutritur alimento, in quo parum pituitæ.* Poſterioris *cauſa eſt: quoniam & aër ſiccus, qui vocis materia, à thorace ac pulmone ſicco exſufflatus: & arteria aſpera ſicca eſt: & viæ, per quas aër tranſire cogitur, liberæ ſunt. Quòd autem ad ſonum clarum edendum ſiccitas conferat, res externæ ſatis ſupé: que docent. Chordæ enim inſtrumentorum muſicorum ſiccæ clariùs ſonant, quàm humidæ. Fidem facit conſtitutio aëris aquilonaria, quæ ſicca, & auſtrina, quæ humida. Aes pulſatum ſonat clarè: quia ſiccum: plumbum obſcurè, quia humidum.*

III.

An humidior pulmo vocem reddat obſcuram & raucam? *Affirmat* Gal. ibid. *Ratio patet ex dictis, Addit autem; cùm vehementiùs atq; acutiùs*

cutiùs homines loquuntur, excrementa intercidere, ut ea ſubinde expuere neceſſe habeant. Cauſa eſt: quia in ejusmodi pulmone ob humiditatem humiditas larga ſuccreſcit: quæ è bronchiis vi impellentis ſpiritûs in aſperam arteriam, & inde in os extruditur: idq́; eò magis, quò validior fortiorq́; eſt ἐκφύσησις. *Talis autem in magnâ acutaq́; voce fieri ſolet.*

IV.

An Guttur rectè vocetur arteria? *Maximæ eſt inter guttur & arterias differentia. I. enim guttur in illis ſolùm animalibus reperitur, quæ reſpirant & pulmonem habent: arteriæ omnibus, quæ cor obtinent, etiam non reſpirantibus, inſunt: quemadmodum piſcium doceri poteſt exemplo. II. arteriæ originem trahunt à corde: guttur in collo ſitum eſt, ſuasq́; propagines per pulmonis parenchyma diſpergit. III. arteriæ moventur motu ſyſtoles & diaſtoles: guttur ſtat immotum. IV. arteriæ continent ſanguinem: guttur eo eſt vacuum. V. arteriæ compoſitæ ſunt ex fibris & tunicis: guttur ex membranis & cartilaginibus eſt conſlatum. VI. arteriæ diſſeminantur per corpus totum: guttur, uti dictum, in pulmones ſolùm deſinit. VII. arteriæ partes quaſi viuificant, beneficio caloris, ſanguinis & ſpiritûs vitalis, cujus ſunt canales: guttur aërem in pulmones deducit, fumidósq́; vapores ab iiſdem excipit. Differunt ergò inter ſe,* & ſubjecto, *&* ortu, *&* motu, *&* contentis, *&* ſtructurâ, *&* uſuatque officio. *Conveniunt autem in eo, quoniam*

niam aërem excipiunt pro ventilatione cordis, & halitus fuliginosos educunt. Unde factum, ut propter hoc contentum guttur arteriæ nomen sibi vendicarit: sed asperæ, ad discrimen aliarum, quæ læves. Aspera autem dicitur, ob inæqualem substantiam: quoniam partim cartilaginea est, partim membranosa. Vocatur & Canna pulmonum, *&* fistula spiritalis, *&* βρόγχος, ἀπὸ τοῦ βρέχεσθαι ἐν τῷ σιτεῖσθαι καὶ πίνειν, *quòd inter edendũ & bibendum humore quodam irrigetur Unde dicta* βρόγχια, *quæ sunt asperæ arteriæ cartilagines circulares in totum pulmonum divisæ. Aliis pulmonum cavitates.* Sumitur autem βρόγχος *interdum pro toto gutture: aliquando verò pro media duntaxat illius parte, quæ œsophago incumbit. Notum quippe, dividi guttur in partem superiorem, quæ caput & Larynx dicitur: in mediam, quæ vocatur truncus &* βρόγχος; *& in infimam, quæ* βρογχίων *pulmonis nomẽ gerit. Ad jugulum namq; guttur in duos ramos dividitur: qui pulmones ingressi rursùs utrinq; in alios duos ad quemlibet lobum finduntur: hiq; in alios variæ figuræ per pulmones ad extremum disseminantur.*

V.

Num idem guttur rectè organum spirabile & vocale appelletur? *Rectissimè. Spirabile quidem: vel quia unum ex respiratoriis est instrumentis: vel quia spiritum, h. e. aërem per nares, aut os inspiratum ad pulmones deducit. Vocale verò: quoniam materiam vocis, aërem, emittit, proximumq;*

vocis

vocis organum, γλωττίδα, *lingulam, sive rimulam in superiore sui parte, ipso scil. Larynge, continet.*

VI.

Quid φάρυγγος vocabulo inaudiatur? *Vocabuli istius significatus diligenter observandi sunt: quia varij sunt & multiplices. Reperimus autem significationes* 5. I. *sumitur propriè* pro faucibus. *Sunt autem fauces oris posterior & inferior regio, gutturi gulæque communis, ubi narium foramina in os descendentia, linguæ radix cum tonsillis, os hyoides, œsophagus, & larynx cum epiglottide existunt. Locus iste* à Galeno l. de muscul. dissect. cap. 15. ἰσθμὸς: *& ab Hipp. l de dentib.* ἰσθμιον *vocatur: metaphorâ sumpta ab angusto longoq́ue terræ tractu inter duo maria, qui propriè* ἰσθμὸς *dicitur.* Gal. com. 3. in prognost. Hipp. §. 16. φάρυγγα *nominat* τὴν προκειμένην χώραν στομάχου τε καὶ λάρυγγος: *Item, ibidem,* τὴν ἐν τῷ διανοῖξαι τὸ στόμα καὶ πιλῆσαι τὴν γλῶτταν κάτω φαινομένην εὐρυχωρίαν, ἐν ᾗ τὰ δύο στόματά ἐστι, τό τε τοῦ στομάχου καὶ τῆς, λάρυγγος: *h. e. prajacentem regionem œsophago & laryngi: &, amplitudinem illam, quæ infrà cùm os dilatatur & lingua deprimitur, apparet, in quâ duo ostiola conspiciuntur, œsophagi scilicet & laryngis. Quâ in significatione etiam* Aëtius tetrabib. 2. serm. 2. cap. 47. φάρυγγα *sumsit.* Φάρυγγα, *inquit, voco locum intra os, ubi œsophagi & asperæ arteriæ extrema conveniunt.* II. *generaliter accipitur* pro totâ illa capacitate, quam inter devorandum dilatamus. *Unde* Homerus *scripsit, ex pha-*

ringe

rynge Cyclopis erupisse vinumq́, humanaq́, membra. Neq; enim per φάρυγγα aspera arteria & pulmo intelligi possunt: quia dicere, vinum & humana membra inde exire, valdè ridiculum esset. Rufus Ephes. l. 1. de appellat. part. c. 1. III. pro œsophago: ut videre est apud Aristot. l. 3. Eth. & probl. 7. s. 28. ubi refert, Philoxenũ, quòd esset ὀψοφάγος, popinaliũ delitiarũ avidus devorator, φάρυγγα, h. e. οἰσοφάγον gruis sibi optasse, quò diutiùs sibi cibi potusque delectatione frui liceret. IV. pro fauciũ quibusdã affectibus: v. g. earũ asperitate: aphor. 5. s. 3. & inflãmatione: vt l. 6. epid. s. 7. aphor. 1. V. pro capite asperæ arteriæ quod propriè aliâs & specialiter λάρυγξ vocatur: ut in μικροτέχν. cap. 69. ubi scribitur, vocem acutã non sine angustiâ φάρυγγος, & gravem non sine ejusdem amplitudine fieri: cùm tamen c. 67. & 68. vocis differentias arteriæ tãtùm asperæ dispositiones sequi docuerit. Eadem significatio extat etiã l. 8. de vs. part. c. 1. ubi dicit, laryngẽ, qui suprà terminus est arteriæ asperæ, πρῶτον καὶ κυριώτατον ὄργανον εἶναι τῆς φωνῆς: eumq́; etiam φάρυγγα appellari.

VII.

An γλωττὶς, sive Rimula, sive Lingula, sit proximum vocis ὄργανον? Plura quidem sunt ὄργανα ad vocis editionem necessaria: quorum quædam materiam vocis suppeditant: ut pulmones: quædam eãdem adducunt, ut aspera arteria: quædam ἐκφύσησιν, efflationem, sive exufflationem, h. e. impulsionẽ aëris à pulmonibus asperaq́; arteriâ sursum ad laryngem

affatim, & quodammodò violenter fientem promovent: ut musculi thoracis, qui expirationi inserviunt: sed unum est proximum & principalißimū, Lingula, *sive* Rimula, *quæ ex duobus* ἀρυταινοειδοῦς, *sive guttalis laryngis cartilaginis processibus efformatur. Ratio est: quia vox fieri nequit, sine elisione & extrusione aëris. Hæc autem præstari non potest sine angustiâ transitûs. Angustia verò inest rimulæ: quia pro voluntatis nostræ arbitrio & dilatari, & planè claudi, & constringi, sive arctari potest: idq; beneficio musculorum ad laryngem pertinentium, cui rimula concessa. Musculis autem istis vim movendi largiuntur nervi illi* παλινδρομοῦντες, *recurrentes, sive vocales dicti, qui variis surculis in illos inseruntur. Quodsi rimula planè claudatur, spiritûs oboritur cohibitio, nihilq; aëris erumpit. Si omninò aperiatur, simplex fit exspiratio, sive aëris emißio. Sin medio modo se habeat, h.e. partim aperiatur; partim verò constringatur, aër à pulmonibus suppeditatus, & à musculis expirationi inservientibus per asperam arteriam sursum impulsus, vi quadam erumpere cogitur quæ eruptio, elisio, sive extrusio vocem gignit.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA GALENI
XXIII.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

WOLRADO ENGELHARDO FESELIO,
Durlacensi Marchico.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII,





THESIS I.

NVmero cauſarum ſalubrium, quæ quidem φυλακτικαὶ ſunt, invento, ſequitur, vt optimæ corporis conſtitutioni applicentur, &, quomodo hæc tractanda ſit, vt ſuo in ſtatu conſervetur, oſtendatur.

Cauſæ ſalubres, quæ optimā corporis conſtitutionem cōſervāt.

II.

Sciendum autem, quæ de requiſitis & conditionibus ſalubrium cauſarũ, quantitate ſcil. debitâ, & qualitate convenienti, dicta ſunt, communia eſſe, tùm aliis ſalubribus cauſis, efficientibus ſcil. quæ circa morborũ profligationẽ verſantur: tùm illis, de quib⁹ nunc nobis ſermo eſt, cauſis nimirùm conſervantibus, quæ circa ſana corpora ſunt occupatæ. Omnis enim ſalubris cauſa, ſive ſit curatrix, ſive conſervatrix, duas ſervat conditiones: decentem & corpori congruentem tùm quantitatem, tùm qualitatem. *Cap.* 85.

III.

Quia verò de duabus hiſce conditionibus in genere ſolùm actum: & generaliter indica-

tum, quamlibet ſex rerum non naturalium, debitâ quantitate & qualitate adhibitam, cauſam ſalubrem eſſe: ſecus autem adminiſtratam, inſalubrem: ideò denuò illæ repetendæ ſunt: ac in ſpecie ſignificandũ, quænam ſit cuiusq; illarum debita & quantitas, & qualitas, conſervationi optimæ corporis conſtitutioni utilis & neceſſaria?

IV.

Itaque, cùm hanc conſtitutionem conſervare ſtudemus, tùm motus & quies, ſomnus & vigilia, nec non quæ aſſumuntur ac excernuntur, debent eſſe σύμμετρα, h. e. in quantitate ac qualitate moderata, ſiquidem εὔκρατον ᾖ τὸ περιέχον, ambiens aër fuerit temperatus. *Cap.* 85.

V.

Quodſi verò idem fuerit δύσκρατος, tantum à mediocritate etiam in aliis rebus non naturalibus declinandum, quantus ab optimâ temperaturâ fuerit receſſus: ut ſcil. noxa aëris corrigi poſſit: vel quantum ab optimâ temperie corpus ab aêre δυσκράτῳ alteratum mutatumq; fuerit. *Cap.* 85.

VI.

Hîc ſi rogetur, cùm corpus optimè conſtitutum ſuo in ſtatu 6. rerum non naturalium συμμετρίᾳ conſervetur, quinam ergò ſint mediocritatis ſcopi? Reſpondet Galenus, ſcopos facilè inveniri, & quales eſſe deceat, ut ad conſervationem optimæ conſtitutionis aptæ ſint & accommo-

commodatæ, ſciri, ſi breviter omnes percurrantur.

VII.

Aërem enim quod attinet, certum eſt, illum pro tuendo corpore probè temperato temperarum eſſe debere. Tempetatus autẽ erit, ſi nec adeò frigid⁹ ſit, ut illius ratione corpus horreat: nec adeò calidus, ut propter eum ſudet. *Cap*. 85.

VIII.

Exercitia ita inſtitui debent, ut ſimulac corpus laſſari cœperit, quieſcat. *Cap*. 85.

IX.

In *cibis* ad coctionis perfectionem & egeſtionis modum in qualitate & quantitate reſpiciendum. *Cap*. 85. Nam ſi utraque actio, concoctio & egeſtio, rectè ſe habeat, indicium eſt, cibos eſſe tales ac tantos, quales & quantos eſſe convenit. Hinc perſpicitur, quantum homini temperato edendum: nempè quantum probè conficere poſſit. Probè autem factam concoctionem eſſe, alimenti reliquiæ; h. e. alui excrementa ſignificant.

X.

Eadem tamen aſſumendorum ciborum menſura ex appetitu quoque cognoſcitur: qui in optimâ corporis conſtitutione æqualis quodammodò eſt concoctioni. Tantum enim natura hæc appetit, quantum concoquere valet. *Cap*. 85.

XI.

Ex quo consequitur, eam ἐπιστάτῳ, præside non egere, qui singulorum, quæ assumenda, quantitatem metiatur atque præscribat. ἡ γὰρ ἀρίστη φύσις ὅσον ὀρέγεται, τοσοῦτον καὶ πέττει καλῶς, h.e. optima enim natura quantum appetit, tantum etiam concoquit: καὶ ἰσάζει ἐπὶ τῶν ἐδεσμάτων ἡ ὄρεξις τῇ πέψει, & æqualis est coctioni appetitus. *Cap.* 85.

XII.

Somnum quod spectat, monet *Galenus*, neque illius causâ optimam constitutionem præside opus habere. Nam quemadmodum illa sibi ipsi quantitatem cibi præfinit: sic etiam in somno debitam mensuram sibi determinat. A somno quippe excitatur, cùm corpus ampliore quiete non eget. *Cap.* 85.

XIII.

Excrementa qualia sint & esse debeant, non est difficile videre. Nam si corpus optimè constitutum ita sese in cibo, potu, motu, & somno gesserit, uti modò indicatum, nullum erit in eius excrementis, quæ vel per aluum, vel per meatus urinæ, vel per totum corpus egeruntur, delictum. *Cap.* 85.

XIV.

Etenim, alvi fæces & urinæ ex modo eorum, quæ assumuntur, mutantur. Totum verò corpus salubriter perflari facit exercitij usus moderatus. *Cap.* 85.

Cæterum,

XV.

Cæterùm, oportet etiam in conſervatione corporis optimè conſtituti omnes animi perturbationes immoderatas, v. g. iram, triſtitiam, furorem (θυμὸν) timorem, & invidiam cavere. Hæ enim corpus alterant, atque à naturali ſtatu avertunt. *Cap.* 85.

XVI.

Atque hoc quidem modo tractari corpus optimè conſtitutrm par eſt, ſi ſuo id in ſtatu conſeruare voluerimus. Quæri tamen poſſet, quid de Veneris uſu ſentiendum, nuncquid & is in conſervantium cauſarum albo locum inveniat, necne? At hanc quæſtionem reſpondet *Galenus*, ἀφροδισίων κατὰ μὲν Ἐπίκουρον οὐδεμίαν χρῆσιν εἶναι ὑγιεινὴν, Venereorum juxta Epicuri placitum nullum eſſe uſum ſalubrem: h.e. Veneris exercitiũ nullo modo eſſe ſanitatis cuaſam conſervativam: ac propterea neque inter cauſas ſalubres φυλακτικὰς, de quibus hoc in loco ſermo eſt, commemorandum. *Cap.* 85.

XVII.

Verùm, ſententiam *Epicuri Galenus* damnat, dicitque, concubitum reverà conducere, ſi, ut decet, exerceatur: h. e. ſi modus in eo obſervetur: & tempus notetur opportunum. *Cap.* 86.

XVIII.

Modum verò ac menſuram hac ratione explicat. Non aſſiduus, ait, neque nimis frequens debet eſſe coitus: ſed per intervalla uſurpandus. *Cap.* 86.

XIX.

Tantum autem intervallum inter unum & alium congressum ponendum est, ut nulla ἔκλυσις, resolutio, sive debilitatio & dissolutio virium sentiatur: ipseque homo se ipso levior quodammodò factus, ac meliùs spirare videatur. *Cap.* 86.

XX.

Tempus ad exercendam Venerem opportunum est, cùm corpus fuerit constitutum in omnium circumstantium rerum mediocritate: ita ut in illis nullus deprehendatur excessus. *Cap.* 86.

XXI.

Erit autem tale, I. cùm non fuerit ὑπερπεπληρωμένον, supra modum repletum: h. e. cùm Ventriculus cibis non fuerit onustus: aut cùm magna humorum redundantia in vasis minimè extiterit. II. Cùm non fuerit ἐνδεὲς, planè vacuum. III. Cùm neque fuerit ὑπερεψυγμένον, supra modum refrigeratum: neque ὑπερτεθερμασμένον, immodicè calefactum: neque ἐξηρασμένον, plus æquo siccatum: neque ὑγρασμένον ἀμέτρως, nimiopere humectatum. *Cap.* 86.

XXII.

Quandocunque ergò corpus optimè constitutum excessum quendam à rebus, quæ foris occursant, nosque alterant, accepit, adeò ut vel nimis sit repletum, vel plus justo vacuatum, vel immodicè alteratum in primis qualitatibus,

bus, tùm à Veneris usu abstinere debet.

XXIII.

Quodsi aberrare contigerit, dictæque regulæ ἀκριβῶς observari non possint, opera saltem danda, ut magni excessus vitentur. Minus enim malum erit, si Venus exerceatur corpore parùm, vel repleto, vel vacuato, vel alterato, quàm si eidem incumbatur, corpore supra modum repleto, vacuato, aut in primis qualitatibus alterato. *Cap.* 86.

XXIV.

Porrò, quemadmodum in conservatione optimæ constitutionis justa est circa 6. res non naturales *quantitas* observanda: ita quoq; congrua in ijsdem eligi debet *qualitas*. Dictum enim *Cap.* 85. res illas tùm demùm salubrium causarum titulum mereri, cùm & in legitimâ quantitate, & in decenti qualitate corpori applicantur.

XXV.

Observabitur autem decens in *Exercitiis* qualitas, si πάντα τὰ μόρια τοῦ σώματος ἀνάλογον κινῆται, omnes corporis partes æquâ proportione moveantur: ita ut non aliæ ultra, aliæ citra modum fatigentur. *Cap.* 86.

XXVI.

In *cibis ac potibus* conveniens qualitas servatur, si fuerint εὐκρατώτατοι, optima temperie præditi. Causa est: quia offeruntur corpori optimè temperato. At εὐκρατώτατα quæ sunt,

ταῦτα καὶ οἰκειότερα ταῖς εὐκράτοις φύσεσιν ἐστὶ, quæ temperatiſſima ſunt, ea & convenientiora ſunt temperatis naturis. *Cap*, 86.

XXVII.

In cæteris rebus non naturalibus appellatis ratio planè eadem eſt. Moderatæ quippe eſſe tenentur: ſiquidem temperatam naturam conſervare debeant. Aliâs enim illam non conſervabunt, ſed potiùs mutabunt, atque ad deteriorem ſtatum deducent. *Cap*. 86.

Corollaria.

I.

AN quibus plurimum caloris eſt in corde, ſint μεγαλοφωνότατοι, maximam vocem edant? *Ajentem tuetur* Hippocr. l. 6. epid. ſ. 4. *Cauſam reddit* Ariſtot. probl. 3. ſ. 11. *quia vox magna oritur, cùm multus aër celeriter expiratur. At quibus cor eſt præcalidum, copioſus aër pro ventilatione caloris inſpiratur. Neceſſum igitur eſt, ut etiam copioſus celeriter expiretur, & ſic magna vox edatur. Verùm,* Galen. in com. 4. l. 6. epid. §. 24 *dicit,* μεγαλοφωνίαν, *magnitudinem vocis ſoli aëris multitudini tribui non poſſe. Hanc enim inter cauſas magnam vocem efficientes neque ſolam, neque dignitate primam eſſe: ſed duntaxat vocis magnæ materiam. Niſi enim etiam aſpera arteria eiusque caput, Larynx, ampla ſint, vocem formari*

magnam

magnam non posse. Duo igitur ad magnam vocem requiri asserit: inspirati aëris copiam, & asperæ arteriæ amplitudinem. Itaque non semper & simpliciter verum est, quòd calidi cordis homines sint μεγαλόφωνοι. sed duntaxat, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: quoniã cor statim in primâ cõformatione, quæ fit in utero, illis, quibus insitus calor est plurimus, amplificatur. Ad cordis verò portionem pectus quoq; plerumq; magnum efficitur. Hoc rursus pulmonum consequitur magnitudo. Pulmonibus respondet amplitudo arteriæ asperæ & laryngis. Quare, si semper ad portionem magnitudinis cordis pectus auctum esset. & pectoris magnitudini semper magnitudo pulmonũ & arteriæ asperæ responderet, homines calidioris naturæ non plerumque, sed semper μεγαλόφωνοι essent. At cùm harum partium magnitudo non semper sibi invicem correspondeat, quemadmodum αὐτοψία & anatome docet: ideò fit, ut non semper μεγαλοφωνία audiatur, quantumvis homo calidus existat. Et hæc quoq; causa est, quòd homines æquè calidi diversam omninò vocem edant: alter scil. parvam, cui organa vocalia angusta sunt: alter verò magnam, cui illa ampla obtigerunt.

II.

Vtrum Hippocrates, Aristoteles, Galenus & Avicenna de causâ magnæ vocis inter se consentiant, an dissentiant? Hippocrates *l. 6. epid. s. 4. μεγαλοφωνίας causam dicit esse copiam caloris.* Aristoteles *probl. 3. s. 11. aëris multi celerem expirationem.*

pirationem. Avicenna *l. 3. fen.* 10. *tract. 2. c.* 1. Hippocrati *subscribit.* Galenus *in* μικροτέχν. *c.* 67. *causas ponit duas: amplitudinem laryngis, & vehementiorem* ἐκφύσησιν, *exufflationem. Causa addi posset quinta: robur facultatis exufflantis. Dissensus & contradictio hîc nulla est: quoniã* Galenus *loquitur de causis propinquis* Hippocrates & Avicenna *de remotâ.* Aristoteles, *etsi remotã Hippocrati concedat: tamen etiam materiam vocis magnæ adjicit. Videntur autẽ omnes* μεγαλοφωνίας *causæ tacitè & implicitè poni, positâ explicitè caloris ubetate. Calor enim abundans primum facit, ut plurimus aër inspiretur expireturque. Idem dein musculis robur addit, ut vehementior fiat* ἐκφύσησις, *quæ nil est aliud, quàm copiosi aëris vehemens expulsio. Idem denique in causâ est, ut cor in utero formetur amplius, sive majus: cui utplurimum amplitudo respondet thoracis: & huic pulmonum: quorum amplitudinem sequitur amplitudo asperæ arteriæ & laryngis. Cùm ergò calor & copiosæ expirationis aëris, & roboris facultatis musculorum thoracicorum exufflãtus, & amplitudinis organorum vocalium causa sit: sequitur, etiam* μεγαλοφωνίας *causam esse, eóque posito, tacitè etiam reliquas illius causas poni.*

III.

In quanam re partium similarium, in quâ dissimilarium constitutio naturalis consistat? *Similarium constitutio posita est in temperie ad actiones naturales obeundas utili & necessariâ:*

seu

ſeu in juſtâ primarum qualitatum συμμετρία. *Hâc enim ſalvâ & integrâ, ſanæ ſunt, & actiones ſuas exercent. Hac vitiatâ, ægrotant, & ad actiones ſunt ineptæ. Diſsimilarium conſtitutio conſiſtit in debitâ & decenti compoſitione: quoniã hac præſente, munus ſuum atque officium faciunt: abſente, id aut planè non, aut diminutè, aut corruptè obeunt. Competit quidem etiam ipſis ſimilarium conſtitutio: ſed per accidens, quatenus ex ijs conſtant. Compoſitio verò ipſis propria eſt ac peculiaris: ſed pro varietate actionum edendarum varia eſt, & in alijs alia. Requiruntur autem ad eam multa. I. definitus partium componentium, quæ ſimilares ſunt, numerus. II. juſta earundem magnitudo. III. decens conformatio: quæ ſub ſe complectitur primùm convenientem figuram: deinde cavitates & meatus in numero, & in magnitudine convenientes: tertiò legitima ſuperficies, quæ vel lævis, vel aſpera eſſe debet, nimirùm prout partis natura deſiderat. IV. debita connexio & ſitus, vt diſsimilares partes locum ſibi competentem obtineant, & alijs rectè cohæreant.*

IV.

Vtrum aliæ partes diſſimilares magis: aliæ minùs ſint compoſitæ? *Quatuor diſsimilarium partiũ differentias, compoſitionis ratione,* Galenus l. de diff. morb. c. 4. *tradit. I. eſt earum, quas* Gal. *vocat inſtrumenta prima, quæ ex ſimilaribus partibus ſunt coagmentata: vt muſculus, vena, arteria, &c. II. earum, quæ ex primis ſunt conflatæ:*

ut

ut sunt digiti manuum ac pedum. III. *illarum, quæ ex secundis componuntur: ut manus & pedes.* IV. *earum, quæ fiunt & constituuntur ex tertijs: ut caput, thorax, abdomen, collum, artus superiores & inferiores.*

V.

An in quavis parte organicâ aliqua sit similaris, quæ princeps actionis, quæ ab illâ exercetur, causa existat? *Omninò: teste* Galen. l: de differ. morbor. c. 6. *& illa sic quidem comparata est, velut* idem l. 4. de us. part. c. 12. *docet, ut illi nulla similis in corpore reperiatur.*

VI.

Quot igitur genera partium in quavis parte dissimilari reperiantur? *Quatuor.* I. *genus est earum, per quas actio fit principaliter.* II. *sine quibus non fit actio.* III. *per quas meliùs fit actio.* IV. *per quas actio conservatur.*

VII.

Qui dicantur πικρόχολοι ἄνω, κακοσόμαχοι, & ab ipso statim vitæ primordio miseri, seu infelici sidere nati? *Illi, qui quotidiè bilem evomunt: idque ob vitium pororum* χοληδόχων. *Ordinariè enim pori sunt duo: quorum unus ad vesiculam felleā: alter ad intestini duodeni finem, vel ad jejuni principium, inter utramque intestini tunicam, ut plurimùm simplex: aliquando bifidus, parvo interjecto intervallo, inseritur, & bilem, tùm pro diluendis excrementis crassioribus: tùm pro abstersione mucoris & phlegmatis ab interiori intestinorum*

norum superficie: tùm pro irritatione & stimulatione facultatis expultricis, eructat. Extraordinariè tamen & monstrosè præter hosce duos ordinarios & naturales meatus aliquando etiam visitur tertius, qui in fundum ventriculi implantatur: cúmque bilem quotidiè in ventriculum effundat: hæcque acris sit & mordax, fit, ut vomitio sit quotidiana, concoctio turbetur, almentũ unà cum bile vomitu reÿciatur, reliquum corpus contabescat, & genio suo, alimento, defraudetur. Ex quo nõ ἀλόγωσ miseri tales & infelici sidere nati, & propter bilis vomitionem πικρόχολοι ἄνω *appellantur. Hujus constitutionis meminisse videtur* Galen. *in* μικρολέχν. c. 74. l. 2. de temperam. c. 6. com. 2. in l. Hipp. de vict. acut. §. 31. & l. 5. us. part. c. 1. Vesalius *scribit, se tertium istum* πόρον χοληδόχον *observâsse in uno.* Columbus & Falloppius *eum nunquam conspexerunt.*

VIII.

An ex læsione sensuum & motuũ necessariò inferatur, Cerebrum affectum esse? *Galenus docet c. 76.* μικρολέχν, *læsiones sensitivarum, & motivarum actionum indicia nobis esse patientis cerebri. Sed hoc verum credimus, si actiones istæ vitio cerebri, non vitio organorum sint offensæ. Principio enim malè se habente, principiata, quæ inde dependent, benè se habere nequeunt; non contrà. Læditur enim quandoque visus, auditus, gustus, tactus, & motus, quia organa eorum malè sunt disposita: cerebrum constitutum probè. Quodsi hoc patiatur,*

tiatur, quemadmodum fit in apoplexia, paralysi universali, & epilepsia, sensus & motus quoque læditur: & ex illius læsione rectè iudicatur, Cerebrum malè habere.

IX.

An dolores capitis pertineant ad meningas: an ad cerebri substantium medullarem: an ad partem utramque? *Galenus scribit cap. 76.* μηκροτ. *ex capitis doloribus cognosci, cerebrum affectum esse. Nos dictum istud in sano accipimus sensu, & per cerebrum non medullarem duntaxat cerebri substantiam, sed totum illud, quod ex meningibus & medullâ est conflatum, intelligimus. Solæ namque meninges sentiunt, patiunturque dolores pulsatorios, punctorios, tensivos, gravativos &c. quia, cùm sint membranæ, organa tactûs existunt. Cerebri medulla, cum membranis careat, sensu quoque destituatur est necessum.*

FINIS.



Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XXIV.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,

Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente


DOMINICO CHABRÆO Genevensi.



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI,

Anno M. DC. XXXII.





Thesis I.

Causas salubres φυλακτικὰς, quæ quidem ἀρίστην κατασκευὴν τοῦ σώματος suo in statu tuentur, quantum instituti nostri ratio postulat, breviter exposuimus. Nunc ad salubres causas eorum corporum accedendum, quæ quidem sana adhuc sunt, sed ab ἀρίστῃ κατασκευῇ nonnihil recesserunt: & quidem vel in temperaturâ partium similarium: vel in compositione partium dissimilarium: vel in continuitate partium utrarumque.

II.

Agamus autem de singulis ordine: & primùm de causis salubribus illius corporis, quod ratione quidē compositionis partium dissimilarium, & continuitatis partium utrarumque, similarium scil. & dissimilarium, benè valet: ratione autem temperaturæ similarium leviter peccat, & nonnihil ab optimâ constitutione recedit. *Cap. 86.*

III.

Ejusmodi corpus tractari potest dupliciter. Vel enim suo in statu conservatur: vel ad optimam constitutionem reducitur. *Cap. 86.*

Causæ sa-lubres, quæ corp- ab opti-mâ con-stitution- nõnihil i- solâ κράσ- recedens vel cõser-vãt in eo-dẽ statu vel ad me-liorem re-ducunt: s-ve simil- in omni-bus, siv- dissimili- in diver-sis parti-bus δυσ-κρασίαν habuerit

IV.

Causæ, quæ corpus ab optimâ constitutione in temperaturâ partium similarium deficiens suo in statu conservant, tantum à causis salubribus, quæ optimã constitutionem tuentur, distant, quantum & totius corporis temperatura ab illâ evariat. *Cap*, 86.

V.

Quibus verbis *Galenus* Canonem tradit generalem : quòd scilicet conservatio corporis istius suâ in κράσει per similia quidem fieri debeat, non secus ac conservatio corporis optimè constituti : sed hoc cum discrimine : quòd causæ istæ tantùm à temperatis, quæ optimam constitutionem conservant, distare debeant, quantum corpus conservandũ ab optimè constituto abest. Quare, ad quam qualitatem corpus inclinat, ad eam quoq; causæ conservantes inclinare debent.

VI.

Calidiora siquidã corpora calidiorem postulant diætã: frigidiora frigidiorẽ: sicciora sicciorem: humidiora humidiorem. Eademq; in conjugatis qualitatibus est ratio. Calidiora namque sicciora que corpora calidiorem & sicciorem diætam exposcunt: calidiora & humidiora calidiorem & humidiorem: frigidiora & humidiora frigidiorem & humidorem: frigidiora deniq; & sicciora frigidiorem sicciorémque. *Cap*. 86, Omnis enim conservatio fit per

similia:

ſimilia: quia omnis alteratio & mutatio per contraria inſtituitur.

VII.

Cæterùm, cùm non ſatis ſit, cauſarum conſervantium noſſe qualitates: ſed etiam requiratur, ut cauſarum materias, tanquam ὄργανα, quibus quod intendimus, efficiatur, cognitas perſpectáſque habeamus: ideò ſubdit *Galenus*, eum, qui corpus ſanum quidem, ſed in temperaturâ ab optim aconſtitutione lapſum, ſuo in ſtatu conſervare ſatagit, ſcire debere, quænam cauſæ calefacere, quæ refrigerare, quæ ſiccare, quæ humectare valeant? Rectè ſiquidem cauſarum utetur materiâ, qui τὰς συμφύτους earum δυνάμεις agnoverit. *Cap.* 86.

VIII.

Motûs enim v. g. alimenti defectus, vigiliæ, excretio quævis, omniáq; animi παθήματα corpus exiccant: quæ verò hiſce contraria ſunt, ut ſunt quies, aliméti copia, ſomnus, & excrementorum ſuppreſſio, idem humectant. *Cap.* 86.

IX.

Quemadmodum verò rebus modò non naturalibus dictis rectè utetur is, qui vires earum atque potentias noverit: ſic quoque qui quibus vitæ inſtituta, (ἐπιτηδεύματα) quibus cibi ac potus, quibus deniqúe ea omnia, quæ corpus noſtrum alterare queunt, viribus ſint inſtructa, cognitum habet, accommodatè ſalubres cauſas adhibebit. *Cap.* 86.

X.

Similes enim similibus temperaturis applicabit: siquidem ejus propositum fuerit, corpus in eadem, in quâ illud accipit, temperaturâ conservare. *Cap.86.* Nam si vires & qualitates causarum noverit, haud eum latebit, quænam earum corpori similes sint, quæ contrariæ: & per consequens etiam facilè perspiciet, quæ ad illius conservationem aptæ sint & accommodatæ: quæ ineptæ?

XI.

Quodsi corpus suo in statu noluerit conservare: sed traducere ad melius, altero causarum salubrium genere utetur, quod jam dicto est contrarium. *Cap. 86.*

XII.

Declinant autem hujusmodi correctrices & immutatrices, sive alteratrices causæ æqualiter ad alteram partem à benè temperatis ac mediis, quas optimis competere naturis diximus, *Cap. 86.*

XIII.

Calidior siquidem ac siccior temperatura à calidiore & ficciore victûs ratione ad exactissimum bonæ temperaturæ habitũ minime transfertur. Ideoque earum usus necessarius est, quæ tantùm ijs, quæ benè temperata sunt, frigidiora sint atque humidiora, quantum & natura naturam in caliditate & siccitate superabat. Tale namque causarum genus naturales

corrigit

corrigit dyſcraſias. Alterum verò, de quo ſuprâ dictum, temperaturas conſervat. *Cap.* 86.

XIV.

Eſt autem utriusque generis vſus apud Medicos neceſſarius. Utuntur enim utroque: quoniam & conſervare, & ad meliorem ſtatum reducere ſtudent corpus, quod in κράσει ab optimè conſtituto corpore declinavit. *Cap.* 86.

XV.

Verùm, non eodem tempore id præſtare ſolent. Corpus namque ab optimâ conſtitutione lapſum corrigere, mutare, atque ad ſtatum meliorem transferre ſtudent, ἐπὶ πολλῆς σχολῆς, eo tempore, quo multum otij ſuppetit; h. e. cùm homo intemperatus multis negotijs diſtrictus non eſt: ſed liberè vivit, ita ut poſſit v. g. commedere, dormire, quieſcere, aut ſeſe exercere ad placitũ & voluntatem. Et transferunt corpus ejuſmodi ad meliorem ſtatum, non ἐξαπίνης, ſubitò & repentè: ſed κατὰ βραχὺ, ſenſim & paulatim. οὐ γὰρ φέρουσιν αἱ φύσεις τὰς ἀθρόας ἀλλοιώσεις, non enim ferunt naturæ ſubitas & confertim factas mutationes. *Cap.* 86.

XVI.

Cùm verò homo intemperatus neceſſarijs eſt diſtrictus occupationibus, præſtat ſanè, eum in eodem ſtatu conſervare. *Cap.* 86.

XVII.

Contrà ea, quæ de cauſis corpora δύσκρατα ...em ſtatum reducentibus dicta ſunt,

obijci poſſet, eas non eſſe φυλακτικὰς: de quibus tamen priori loco acturum ſe *Galenus* c. 84. promiſerat: ſed potiùs ἀλλοιωτικὰς, καὶ θεραπευτικὰς, καὶ τῶν συφύτων ἁμαρτημάτων ἐπανορθωτικὰς. Ἀλλοιωτικὰς quidem: quia temperiem corporis ab optimo ſtatu declinantis mutant. θεραπευτικάς verò: quia reductio hæc ad meliorem ſtatum fit per contraria, ſicut & ipſa θεραπεία. Denique ἐπανορθωτικὰς τῶν συμφύτων ἁμαρτημάτων, naturales defectus corrigentes: quoniam δύσκρατα corpora ad συμμετρίαν reducunt. *Cap*. 86.

XVIII.

Ad hanc obiectionem reſpondet *Galenus*, cauſas φυλακτικὰς dici eas, quæ homines conſervant ſanos: non quidẽ præciſè in eodem ſanitatis differentiâ: ſed generatim in ſanitatis latitudine: ſive hoc præſtent tuendo hominem in eodem ſtatu: ſive reducendo ad ſtatum meliorem. *Cap*. 86.

XIX.

Quòd autem cauſæ φυλακτικαὶ hoc modo uſurpentur, & ſic à Medicis accipiantur, *Galenus* hac ratione probat: quia ſi illæ cauſæ, quæ χείρονα τὴν κατάστασιν ἀποτελοῦσι, corpus in deteriorem ſtatum conijciunt, νοσεραὶ appellantur: utique illæ cauſæ, quæ corpus in ſanitatis latitudine conſervant, φυλακτικαὶ καὶ ὑγιειναὶ rectè dicentur. At prius verum eſt. E. & poſterius. Jam licet cauſæ reductæ, quæ ſcililicet δύσκρατον corpus ad meliorem ſtatum mutant, alterent:

alterent: tamen cùm circa ſana corpora occupatæ ſint: eaque non quidem in eâdem ſanitatis ſpecie, ſive differentiâ, ſed duntaxat in ejuſdem latitudine conſervent, ideò rectè cauſarum φυλακτικῶν titulum ſibi vendicant. *Cap. 86.*

XX.

Atque hoc modo tractare convenit ea corpora, quæ ſecundum totum, ad aliquam intemperiem, leviorem tamen, v. g. vel ad caliditatem, vel frigiditatem, vel humiditatem, vel ſiccitatem, vergunt, ſicque ab ἀρίςῃ καὶ ἀκινῇ recedunt. Accidit autem, ut corpus non ſolùm ſimilem in toto habeat δυσκρασίαν, ſed etiam diſſimilem, ita ut hæc pars ad hanc: alia ad aliã δυσκρασίαν vergat, in eaque leve aliquod vitium, quod tamen adhuc in ſanitatis latitudine contineatur, habeat: idcirco paucis indigitandum, quomodo ejuſmodi corpora ſint tractanda. *Cap. 86.*

XXI.

Inquit igitur *Galenus*, corpora, quæ ſimilem habent δυσκρασίαν in omnibus partibus, ὁμοίᾳ ἐπιμελείᾳ, eâdem procuratione egere: Hoc eſt, ſi totum corpus ſecundum omnes partes vel calidius, vel frigidius, vel humidius, vel ſiccius fuerit corpore optimè conſtituto, ſiquidem illud in ſuo ſtatu conſervare decreverimus, ſimiles illi cauſas φυλακτικὰς adhibendas eſſe. Sin reducere ad melius, contrarias. *Cap. 86.*

XXII.

Quæcunque verò diſſimilem ſortitæ ſunt

δυσκρασίαν, h. e. quæ dissimiliter sunt intemperatæ, adeò ut una pars hac, alia laboret δυσκρασίᾳ aliâ, dissimili etiam modo cum illo agendum esse monet. *Cap.* 86.

XXIII.

Fieri enim potest, ut ventriculus sit frigidior, quam oporteat: caput verò calidius. Proprijs ergò utraque pars auxilijs opus habebit, h. e. causis tùm conservantibus, tùm reducentibus. Frigidior quippe ventriculus calefaciendus erit: caput contrà refrigerandum: siquidem mutare temperiem animus fuerit, & ad meliorem statum reducere. Sin conservare, similia auxilia cujusque partis intemperiei adhibenda. *Cap.* 86.

XXIV.

Cæterùm, quod in specie jam de capite & ventriculo dictum est: id in genere etiam de alijs intelligendum partibus. Singulæ namque partes, cùm fuerint, aut humidiores, aut sicciores, aut calidiores, aut frigidiorrs, τῶν οἰκείων τῆς δυσκρασίας δέονται διαιτημάτων, accommodatum postulant suæ intemperiei victum, qui in 6. rebus non naturalibus consistit. *Cap.* 86.

XXV.

Vnde concluditur, partes dissimili intemperie laborantes neque eodem modo exercendas: neque æqualiter humectandas, aut siccandas, aut alio modo alterandas esse: quemadmodum ἔτι πλέον ἐν τῷ τῶν ὑγιεινῶν π[illegible]είᾳ ostensum.

Corol

COROLLARIA.

I.

AN difficilis anhelitûs species rectè à Galeno c. 77. inter signa laborantis cordis sint recensitæ? *Est anhelitus, sive respiratio varia: magna scil. & parva: longa & brevis: velox & tarda: rara & frequens, quæ etiam densa spissáque appellatur: æqualis & inæqualis: frigida, fœtida &c. Ex quibus differentijs* Galenus *conijcit, cor affectum esse. Sed sciendum, respirationis læsionem signum esse* commune: non proprium. *Non enim cor tantùm ex ijs læsum esse deprehenditur: sed etiam pulmo, thorax, & diaphragma: quemadmodum liquet ex peripneumonia, pleuritide, asthmate, orthopnœâ, dyspnœa, empyemate, hydrope thoracis, inflãmatione diaphragmatis &c. Quòd autẽ ex respiratione cor affectum esse cognosci posit, inde patet: quia respiratio cordis causâ est instituta, ut illius calorem ventilet: & quia cor suo modo, respirationis quemadmodum & aliarum actionum, causa existit. Est igitur signum commune, quod distributivè sumptum nil probat certi: collectivè autem & conjunctim cum alijs acceptum probabilitatem magnam facit.*

II.

Sintne palpitatio & tremor cordis specie ijdem affectus? *Sic omninò videtur. Differunt tantùm* καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον. *Nam in palpitatione cordis dilatatio est major: motus impetuosior: cor-*

dis

dis robur validius. In tremore dilatatio est minor: motus debilior: cordis vis infirmior & langvidior. Vterq; autem motus p. n. est: & uterq; eam ob causam fit, ut profligetur id, quod cordi est inimicum. Notandum *verò, tremorem cordi* ἀναλογικῶς *tantùm tribui: non propriè. Scribit namque* Gal. l. 2. sympt. caus. c. 2. *tremorem &* σπασμὸν πάθη *esse* προαιρετικῶν ὀργάνων: *qualia sunt nervi & musculi. Est enim in tremore lucta quædam inter facultatem moventem & membri gravitatem. Illa membrum attollit: hæc, ut deorsum feratur, facit. Atqui musculis cor caret: neq; ipsum musculus est: etsi* καταχρηστικῶς *musculus ab* Hipp. l. de corde *vocetur. Palpitatio autem cordi competit. Ait enim* Gal. loc. allegato, *eam esse dilatationem p. n. & locum habere in omnibus ijs partibus, quæ dilatari queunt: quales sunt, quæ molles. Hæc enim dilatari, & attolli, iterūq; subsidere possunt.*

III.

Num refrigeratio corporis totius, & mutatio coloris signa sint cordis affecti? *Galen. c. 77. affirmat. Sed signa sunt* κοινὰ, *non* οἰκεῖα. *Itaque cum alijs conjungenda, & tùm demùm de corde laborante aliquid pronunciandū. Nam corpus totum refrigeratur etiam à frigiditate hepatis: quemadmodū docetur* cap. 38 *& id ipsum probatur exemplo* λευκοφλεγματίας. *Color quoque bonus mutatur in malum vitio ventriculi splenis, hepatis, ut habetur* cap. 78. *de hepate in specie. Quòd verò in quibusdam cordis affectibus totum corpus refrigeretur*

tur

tur, ostendunt leipothymiæ, syncopæ, metus, rigores & horrores febrium, quarum δεκτικὸν cor est. Quòd etiam color alteretur, tùm iidem affectus monstrant: in quibus corpus pallet: tùm etiam ira, verecundia, & æstus febrium planum faciunt: in quibus corpus, & potissimùm cutis faciei, rubet & calet. Ratio est in promptu: quoniam cor nativi caloris fons est. Itaque qualis & quantus calor est in corde, talis & tantus proportionaliter per arterias cum sangvine & spiritu in reliquum corpus distribuitur. Vt igitur partes æstuantes cordis intemperiem calidam patefaciunt: sic refrigeratæ ejusdem frigus significant: velut manifestum est in jam jam morituris: in quibus ob caloris νέκρωσιν partes externæ algent. Ab hac causâ pendet etiam causa, cur color corporis in cordis affectibus mutetur? Nam cor calidum sangvinem spiritusq; gignit calidos: qui in cutim effusi, rubedinis causæ sunt. Frigidum frigidi tùm sangvinis, tùm spiritûs author est: unde corpus pallet.

IV.

An ex vitiosâ humorum qualitate, qualis in κακοχυμίᾳ & καχεξίᾳ esse solet, arguatur hepar affectum esse? *Ajentem tuetur* Gal. c. 78. *Ratio est: quoniam hepar est officina* χυμώσεως. *Quale igitur ipsum est, tales & humores producit: calidum calidos: frigidum frigidos: nisi in causâ fuerit victus depravatus: aut ventriculus suum officium minimè fecerit. Hujus enim vitia in hepate corrigi non possunt. In causâ etiam esse potest lien,*

vesicula bilaria, & renes. Nisi enim hæ partes sangvinem etiam ab optimo hepate genitum defæcarint, & excrementa biliosa, melancholica ac serosa ad se traxerint, fieri nequit, ut εὐχυμία adesse poßit.

V.

An dyspnœa & tussis signa sint patientis hepatis? Ita placet Galeno c. 78. sed cõmunia rursùs sunt, non propria. Ideóque ex illis solis nil temerè pronunciandum. Esse autem signa, patet ex hepatis obstructionibus & tumoribus. Hi enim liberæ respirationis organum, diaphragma, comprimunt: vel ob pondus materiæ jecori inhærentis id quodammodò deorsum trahunt. Vnde, cùm liberè moveri nequeat, δύσπνοια oritur. Tussis autem, quam hepar excitat, levis est & sicca, quâ nihil expuitur: fitque propter συμπαθείαν organorum spiritalium in phlegmone hepatis: præsertim cùm gibba ipsius pars est inflammata.

VI.

Vtrum singultus motus sit convulsorius? Gal. l. 3. symptom. caus. c. 2. dicit, singultum esse veluti quendam motum convulsorium ventriculi, quo quæ in proprium ejus corpus impacta sunt, excutere nititur. Negat autem, propriè loquendo convulsionem esse, com. 6. aphor. 39. Ratio est: quoniam convulsio competit nervis ac musculis. Est enim, inquit, involuntaria musculorum versus principia, sive capita sua, retractio. At ventricu-

lus neque nervus, neque musculus est. Ergò propriè dicta convulsio ipsi non competit. Fuerit igitur melius, subdit idem ibid. *singultum nominare motum quendam ejus generis, cujus est vomitus: intentum tamen, & illo vehementiorem. Nam ventriculus desiderans aliquid eorum, quæ in se continentur, expellere, vehementiùs in singultu: leviùs in vomitu movetur. Ratio est: quoniam in vomitibus ea tantùm conatur excutere, quæ in ventriculi cavitate continentur. In singultibus autem satagit ejicere illa, quæ sunt in ipso ventriculi orificio penitiora: vel, ut* l. 3. sympt. caus. c. 2. *loquitur, quæ substantiæ ejus altiùs sunt infixa. Convulsio ergò ἀναλογικῶς dicitur. Nam qualis passio musculis est convulsio, inquit idem* Galen. com. 7. aphor. 3. *talis ventriculo est singultus. Vt enim per convulsionem musculi præter voluntatem contrahuntur: sic ventriculus per singultum.*

VII.

Num 4. tantùm summa sint tumorum p. n. genera: phlegmone, erysipelas, œdema, & scirrhus? *Ista tantùm 4. genera Gal. recenset cap.* 80. *Sed* l. 2. ad Glauc. *addit etiam tumorem flatuosum, c. 6. abscessus, c. 7. cancrum, c.* 10. *Strumas, meliceridas, & tumores aquosos, c.* 11. *Idemque facit.* l. 14. meth. med. *c.* 7.. 9. 10. 11. 12. *&* 13. Libro *denique* de tumoribus. p. n. *planè alios, eosque benè multos iisdem annumerat. Et sunt tumores etiam, qui neque ab humoribus, neque*

à flatibus

à flatibus, sed à decubitu partium in alienum locum oriuntur: ut epiplocele, enterocele, ἐντερόμφαλος. &c. Respondendum, 4. tantùm tumores in μικροτέχνῃ fuisse numeratos: sed principaliores qui 4. humoribus respondent, & frequentiores sunt: tales etiam, ad quos plurimi alij commodè reduci queunt. Etenim, ad phlegmonem reducuntur omnes sagvinei: ad erysipelas biliosi: ad œdema pituitosi: ad scirrhosos plerique melancholici & atrabilarij. Tumores flatuosi vix reperiuntur aquæ, aut phlegmatis expertes. Ad œdema igitur & aquosos tumores, materiæ ratione, referuntur: quamvis formam habeant propriam. Reliqui tumores, qui causam à dictis habent diversam, minimè excluduntur: sed brevitatis studio à Galeno teguntur silentio: utpote alibi sufficienter declarati.

FINIS.



Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XXV.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO


Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOHANNE GUILHELMO ZACHMANNO, Durlaco-Marchico.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M.DC.XXXII.





THESIS I.

CAuſas ſalubres illius corporis, quod quidem ſanum eſt: ſed tamen in κράσει ſimilarium partium nonnihil ab optimè conſtituto corpore receſſit, ſuperiori diſputatione indigitavimus. Sequitur, ut ſalubres cauſas illius tradamus corporis, quod & ipſum ſanum eſt: ſed ab optimo in compoſitione partium organicarum defecit.

Cauſæ ſalubres, quæ corp⁹ ab optimâ conſtitutione nõnihil in ſolâ compoſitione partium diſſimilariũ recedens corrigunt.

II.

Quia verò harum partium compoſitio in pluribus rebus conſiſtit, & ſingulæ ſua vitia habent: ideò *Galenus* paucis illa recenſet, ut poſteà ſingulis ſuæ adhiberi poſſint cauſæ ſalubres.

III.

Monet igitur, organicarum partium vitia poſita eſſe in *conformatione, magnitudine, numero, & poſitione*. *Cap.* 87.

IV.

Itaque, quemadmodum varia ſunt earum

σφάλματα, ſive ἁμαρτήματα: ſic etiam variæ ſunt cauſæ ſalubres, & à ſe invicem diſcrepantes. *Cap.* 87.

V.

Aliæ enim ſunt ſalubres erroribus, qui conſiſtunt in *conformatione*: aliæ his, qui in *magnitudine*, *numero*, & *ſitu* ſunt poſiti. *Cap.* 87.

VI.

In διαπλάσει verò, ſive *conformatione*, iterum plures errores contingunt: quia plura etiam ſunt, in quibus illa conſiſtit.

VII.

Conſiſtit autem in *figurâ*, in *cavitatibus*, in *meatibus*, in *ſuperficiei lævitate* & *aſperitate*. Proinde, in ſingulis hiſce accidentibus receſſus fieri poteſt ab οἰκείᾳ συμμετρίᾳ, naturali mediocritate. *Cap.* 87.

VIII.

Triplex verò receſſus eſſe poteſt. I. parvus & vix ſenſibilis: ac tùm corpus, quod ſic ab optimè conſtituto deficit, ſalubris corporis appellationem retinet. II. major & manifeſtus, ita tamen, ut adhùc in ſanitatis latitudine contineatur: & tùm corpus ſimpliciter inſalubre nuncupatur. III. tantus, ut actiones ſenſibiliter lædantur: & tùm corpus actu ægrotare, ſive NUNC inſalubre dicitur. *Cap.* 87.

Ἐν

IX.

Ἐν μεγέθει, in magnitudine, duo contingunt vitia: ὑπερβολὴ, exceſſus, cùm pars aliqua organica in molem juſto majorem excrevit: & ἔλλειψις, defectus, quando in minorem decrevit. *Cap.* 87.

X.

In hiſce verò duobus vitijs ijdem ſunt gradus, ſive differentiæ, quas modo in formatione eſſe diximus. Nam exceſſus & defectus vel fit ἐπ' ὀλίγον, h. e. parvus eſt & inſenſibilis: ſub quo corpus eſt ſanum ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Vel ἐπὶ πλέον, i. e. manifeſtus eſt: ſed adhuc in ſanitatis latitudine conſiſtens: ſub quo corpus eſt inſalubre ſimpliciter. Vel fit ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς βλάπτειν τὴν ἐνέργειαν, h. e. tantus eſt, ut actio organicarum partium ſenſibiliter inde lædatur: ſub quo corpus redditur actu ægrum. *Cap.* 87.

XI.

Ἐν ἀριθμῷ, in numero, ſimiliter duo ſeſe vitia offerunt: redundantia ſcil. & defectus unius, aut plurium partium ſimilarium. *Cap.* 87. Nam quando deeſt pars (*addimus nos*) quæ adeſſe debebat: aut abundat, quæ debebat abeſſe, vitium eſſe in numero cenſetur. In quo rurſus dictæ differentiæ vitiorum locum habent. Nam redundans & deficiens organicarum partium numerus, vel parùm, vel multùm, vel ſenſibi-

liter admodum lædit. Vnde partes istæ vel salubres ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: vel insalubres simpliciter: vel actu ægrotantes dicuntur.

XII.

Ad vitium in numero excedente refert *Galenus* etiam eas omnes substantias, quæ παρὰ φύσιν ἐν ἡμῖν συνίσανται, p. n. in nobis consistunt: ut sunt pterygia, sextus digitus, polypus in naribus, &c. Sed illæ reverà in corporibus duntaxat actu ægris locum inveniunt. *Cap.* 87.

XIII.

Θέσις, situs, sive positio partium, quatuor habet differentias. I. est ἀρίστη, optima, quæ reperitur in corpore optimo. II. βραχύ τι παραλλάττουσα, quæ parùm evariat: & visitur in corpore ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ salubri. III. ἐπὶ πλέον ἐξίσαται, quæ ampliùs à modo recessit: qualis est, quæ cernitur in corpore νοσερῷ, simpliciter insalubri. IV. ἐπὶ πλεῖστον ἐξίσαται, quæ à modo plurimùm deficit, & in corpore ἤδη νοσοῦντι, jam actu ægrotante deprehenditur. *Cap.* 87.

XIV.

Vitijs, quæ in organicarum partium formatione, magnitudine, numero, & situ contingunt, expositis, reliquum est, ut causæ salubres, quę vitia hæc emendant, indicentur. Et primùm quidem τῆς διαπλάσεως, formationis, quam in

figurâ,

[illegible], *meatibus*, & *superficiei* alicuius partis organicæ *lævitate*, aut *asperitate* consistere diximus.

XV.

Partes ergò *in figurâ* delinquentes : cujusmodi sunt βλαισαὶ, blæsæ : ῥαιβαὶ, varæ : καὶ λοξαὶ, obliquæ, sive curvæ, in nuper quidem natis & tenellis corporibus correctionem admittunt, & ad naturalem figuram reducuntur, vel διαπλάσει, formatione, h. e. figuratione manu cheirurgi, aut obstetricis factâ : vel ἐπιδέσει, deligaturâ convenienti, quæ fascijs & ferulis perficitur. At in adultis, in quibus ossa ob ætatem resiccata sunt, ac propterea dura maleque sequacia evaserunt, emendari nequeunt. *Cap*. 87.

XVI.

Eodem modo se habent vitia *Cavitatis*. Hæc enim in augescentibus adhùc corporibus, ob humiditatem & mollitiem partium, mutantur. Sed in ijs, quæ ad finem augmenti pervenerunt, nequaquam. Sicca enim sunt, dura, miniméq; sequacia. *Cap*. 88.

XVII.

Cavitates autem ampliores, quàm pro naturâ, redduntur angustiores partim ἡσυχίᾳ, quiete : partim, ἐπιδέσει, deligatione. Iusto verò angustiores redduntur ampliores, tùm ἐνεργείᾳ τῶν μερῶν, partium actione, seu exercitatione :

tùm καταλήψει πνεύματος, ſpiritûs cohibitione. *Cap.* 87.

XVIII.

Eadem corrigendi ratio eſt ἐν τοῖς πόροις, *meatibus*, ἢ ϛομίοις, *meatuum orificijs*. Nam quemadmodum cavitas parva redditur magna exercitatione & ſpiritûs retentione: ampla autem parva fit quiete & ligaturâ: ita quoque meatus & orificia vaſorum per ſpiritûs cohibitionem & partium actionem ampliora evadunt: per quietem verò & ligaturam arctiora. *Cap.* 87.

XIX.

Vitia ἐν μεγέθει, *magnitudine*, ſic corriguntur. Major quidem pars, quàm conveniat, minor fit, partim ἡσυχίᾳ, quiete: partim ἐπιδέσει, convenienti ligaturâ. Minor verò juſto redditur major, tùm κινήσει, τῇ κατὰ φύσιν, motu & exercitatione, ad quam pars à naturâ erat deſtinata: tùm τρίψει συμμέτρῳ, frictione moderatâ, tùm præſidijs alijs, ὅσα πέφυκεν ἐπισπᾶσθαι πλέον αἷμα, quæ multum ſangvinem attrahere queunt. *Cap.* 87.

XX.

Partes *in numero deficiente*, duplices ſunt. Vel enim ἐξ αἵματος ἔχουσι τὴν γένεσιν, ex ſanguine generantur: vel ἐκ σπέρματος, ex ſemine. Illarum ἐπανόρθωσις ἀδύνατος non eſt. Reparari enim poſſunt. Harum correctio ὀλίγου δεῖν ἀδύνατος, propemodùm impoſſibilis eſt. *Cap.* 87.

Licet

XXI.

Licet tamen aliquãdo loco earum alia facere, παραπλησίαν ἐκείνοις ἔχοντα τὴν χρείαν, quæ usum haud dissimilem præstent. *Cap.* 87. v. g. callum in fracturis ossium: & cicatricem in vulneribus & ulceribus, in quibus cutis amissa.

XXII.

Harum autem rerum, quæ in spermaticarum partium locum substituuntur δημιουργὸς, opifex, sive præcipua generationis causa est ἡ φύσις, Natura. Illius verò ὑπηρέτης, minister est ὁ ἰατρὸς, Medicus. *Cap.* 87.

XXIII.

Partium *in numero excedentium* salubris causa est ἡ ὑφαίρεσις, ablatio. *Cap.* 87.

XXIV.

Considerandum tamen hîc diligenter, in quibus ablatio fieri possit, in quibus non? Si enim pars superflua tutò & commodè auferri potest, auferenda omninò. Sin minùs, & tamen ut auferatur, necessitas postulat, tùm ut periculum vitetur, tentandum, quò μετατίθηται, transponatur. *Cap.* 87.

XXV.

Vitia ἐν τῇ θέσει, *in situ*, cùm partes suam sedem mutârunt; quemadmodum fit in ἐπιπλοκήλῃ καὶ ἐντεροκήλῃ, itémque in dislocationibus ossium:

 sium:

ſium: aut cùm conſenſum & ordinem naturalem inter ſe non ſervant, eâdem ratione corriguntur: aptè ſcil. reponendo, quæ ſedem mutârunt: & probè aptando, quæ inter ſe non benè cohærent. *Cap.* 87.

XXVI.

Atque his rationibus tractare convenit ſimplicia organicarum partium ἁμαρτήματα. Nunc de correctione compoſitorum aliquid dicendum. *Cap.* 87.

XXVII.

Accidere enim ſolet, ut duo triave vitia unam eandémque partem occupent. Cujus rei exemplum ſuprà *cap.* 71. habuimus in eo, qui ventriculum habebat parvum ſimul atque rotundum, καὶ κατὰ τοῦ διαφράγματος ἐπικείμενον, & adverſus ſeptum incumbentem. In illo enim & magnitudo, & figura, & ſitus erat depravatus: temperatura inſuper vitiata; quoniam frigidior erat. *Cap.* 87.

XXVIII.

Hic nullo artificio ad naturalem ſtatum transferri poterat. At, ne graviùs inſe ſtaretur, locus erat remedio. *Cap.* 87.

XXXIX.

Nam cùm repleto ventriculo dyſpnœâ premeretur, minus cibi in quantitate, ne magna fieret repletio: multùm autem nutrientis in qualitate, ut corporis ſatis fieret neceſſitati, &

quì

qui facilè concoqueretur, citóque subduceretur, ut minùs ventriculum gravaret, minúsque diaphragma comprimeret, ter in die assumebat. *Cap.* 87.

XXX.

Aliud exemplum suprà fuit propositum *Cap.* 73. Quidam enim vasa hepatis valdè habebat angusta: eámque ob causã sæpissimè in hepatis oppilationes incidebat. Angustia igitur illa cùm tolli prorsùs nequiret, ad inhibendas obstructiones excogitatus fuit victus attenuans: qui sanè aperiendo, incidendo, extenuandóque haud mediocriter profuit. *Cap.* 87.

XXXI.

Hactenùs de Causis salubribus corporum sanorum quidem: sed ab optima constitutione nonnihil vel in solâ partium similarium κράσει: vel in solâ partium dissimilarium *compositione* recedentium. Supersunt causæ salubres eorum corporum, quæ ab eâdem *in solâ utrarumque partium continuitate* difficiunt: de quibus *Galenus* bevissimè agit.

Causæ salubres, quæ corp ab optimâ constitutione nonnihil in solâ cõtinuitat recedens emendãt

XXXII.

Dicit autem, posse forsan obijci, malè hîc continui tractari solutionem, cùm adhùc de causis salubribus eorum corporum agatur, quæ sanitate fruuntur. At continui solutionem in ejusmodi corpora minimè cadere: eò quòd semper sit

per ſit πάθος, ſive morbus, adeóque affectus aliquis præter naturam. *Cap.* 88.

XXXIII.

Sed reſpondet, vitium continui ſolutionis æquè in ſanitatis latitudine ſtare poſſe, ac vitium temperiei & compoſitionis: ac ob id rectè hùc referri.

XXXIV.

Quodſi hoc negetur, objectio ſanè etiam in temperaturâ & compoſitione valebit. Nam ſi rem tã accuratè expendere, & qualitatẽ duntaxat diſpoſitionis inſpicere, h.e. per ſana corpora ea ſolùm intelligere vellemus, quæ optimâ & perfectiſſimâ ſanitate fruuntur, tùm neque illa corpora, quæ vitium aliquod habent in temperaturâ, aut in compoſitione, in ſanitatis latitudine continerentur. *Cap.* 88.

XXXV.

Verùm, ſana corpora non ſic accipi debere inde conſtat, quoniam dogma ἀπαθείας neceſſariò introduceretur: cùm nullus ſit, qui ἀρίστας habeat ἁπάσας τὰς ἐνεργείας. *Cap.* 88.

XXXVI.

Itaque, ſeparanda ſanitas eſt à morbo per αἰσθητὴν βλάβην τῆς ἐνεργείας, ſenſibilem actionis læſionem: & ſani illi omnes dicendi, qui ſuis in actionibus ſenſibiliter impediti non ſunt: ægri autem, qui ſenſibilem habent ſuarum

actionum

actionum offensam. *Cap.* 88. Secus si faciamus, & illos solùm sanos pronunciemus, qui in similaribus optimè sunt temperati: in dissimilaribus optimè commensurati: & in partibus utrisq; perfectam unionem sunt sortiti: ægros contrà judicemus, qui vel in κράσει, vel in compositione, vel in continuitate vitium aliquod, idque leve & parvi ponderis atque momenti, contraxerunt, fieri certè nequit, quin δόγμα ἀειπαθείας stabiliamus.

Corollaria.

I.

AN dolor ad id symptomatis genus pertineat, quod actio depravata dicitur? *Dolorem symptoma esse, & quidem in genere sensitivorum symptomatum, minimè dubium. Quorsum verò reducendus sit, ambigitur. Non enim est actio imminuta, multóque minùs abolita, ut omnibus notum. Restat ergò, ut sit depravata. Verùm objicitur, talem non esse: quòd res non depravatè, nec aliter percipiatur, quàm qualis sit: neque illis, qui dolent, tale quid accidat, quale vel depravatè videntibus, quibus etiam alba rubra apparent: vel depravatè gustantibus, quibus dulcia quæ sunt, amara videntur. Respondemus, etsi res ita se habeat: tamen depravatam esse actionem inde liquere,*

re, que-

re, quoniam ipsum objectum est excellens, & violentum, ac ob id minimè proportionatum: organum verò ab ejus violentiâ corruptum & labefactatum.

II.

Vtrum natura doloris in ipsamet sensione: an potiùs in molestiâ, quæ cum sensione conjuncta est, consistat? *Non in sensione. Nam si sensio dolor esset, omnia cum dolore sentirentur. Et quia omnis sensio suum habet objectum, dolor etiam proprium & peculiare haberet: quod falsum. Itaque potiùs illa est molestia, quæ ex perceptione objecti ingrati, sive organi corruptione nascitur. Dictum enim, objectum esse violentum & sensorium corrumpere.*

III.

An doloris proxima & immediata causa sit continui solutio? an alteratio subitò vehementérque facta? an utraque simul? *Vnam continui solutionem doloris causam statuit* Argenterius *l. de morb. caus. c.* 14. *Solam verò alterationem* ἀθρόως καὶ βιαίως *factam pro causâ agnoscit* Averröes *l.* 3. *collig c.* 31. Galenus *probat utramque c.* 80. μικροτέχν. l. 12. meth. med. c. 7. l. de inæq. intemper. c. 4. & l. 1. symptom. caus. c. 6. *Cui suffragatur* Avicenna *l.* 1. *fen.* 2. *doctr.* 2 *c.* 19. *Credimus, plures esse posse doloris causas: sed mediatas. Vnam autem esse proximam & immediatam: nimirùm continui solutionem. Nam ubi dolor est, ibi continui est solutio: & vice versâ, ubi con-*

tinuè

tinui solutio, ibi dolor est. Intemperies primarum 4. *qualitatum, siquidem* ἀθρόως καὶ βιαίως *fiat, remota doloris causa est, eúmque efficit interveniente continui solutione: veluti ex* l. de inæq. intemp. c. 6. *colligitur.* Observandum *autem, continui solutionem esse duplicem: unam manifestam, sensibilem & evidentem, qualis in vulneribus, ulceribus, fracturis, rupturis, puncturis &c. cernitur: alteram obscuram, & ratione potiùs contemplabilem, quàm sensu perceptibilem: qualis in colicâ, nephritide, cephalalgiâ, podagrâ, pleuritide &c. se offert: & utramque doloris causam esse. Licet enim posterior differentia imperitis continui solutio non videatur: peritis tamen & eruditis pro eâ habetur. Fit enim, quia partes, quæ debebant esse unitæ & congregatæ, à flatuũ & humorũ copiâ tenduntur & segregantur: quia scil. vel ab humorum acrimoniâ & caliditate quasi eroduntur, punguntur & inciduntur: vel quia contrahuntur stipantúrque: quam vim* Galen. l. de inæqual. intemper. c. 6. *intenso tribuit frigori, quod contrahendo stipandóque, & introrsum trudendo quadam exprimit, quadam contundit.* L. 1. sympt. caus. c. 6. *ait, frigus divellendo doloris causam esse: calorem continuũ dissoluendo & erodendo. Esse verò continui solutionem reverà illam proximam & immediatam doloris causam, etiam inde liquet, quia sive fiat secando & incidendo, sive pungendo & perforando, sive contundendo, sive rumpendo, sive mordendo, sive tendendo,*

semper

semper dolorẽ adfert: dummodò parti accidat) quæ sensum tactûs habet. Primæ verò qualitates dolorem minimè inferunt, nisi eò usque vis earum sese extendat, ut continuum solvere poßit.

IV.

An actiones tripliciter tantùm lædantur? *Galenus & in* μικρο. *c.* 80 & l. de diff. sympt. & *alibi sæpiùs docet, actiones lædi tripliciter tantùm. Aut enim fiunt* diminutè: *aut* corruptè *ac* depravatè: *aut* prorsùs abolentur. *Diminutè fiunt, cùm sunt debiles & imperfectæ. Depravatè, cùm peccant in qualitate, & aliud, quàm debebant, efficiunt. Abolitæ censentur, cùm planè cessant.* Argenterius l. de sympt. differ. c. 3. *his differentijs contentus non est: sed addit etiam* auctas & superfluas, *quæ sunt majores, vehementiores, celeriores, frequentiores, longiores. Et tales actiones putat esse bulimiam, appetentiam caninam, palpitationem cordis, pulsum magnum, vehementem & velocem valdè, respirationem itidem magnam, vehementem, atque velocem, motus phrenisicorum & maniacorum, vigilias immoderatas, appetitum potûs inexplebilem, somnum nimium. Quæritur ergò, quid statuendum? Respondemus, negari non posse, quin actiones istæ sint vitiosæ. Non enim cadunt in hominem sanum: quia modum excedunt: súntque majores, vehementiores, fortiores, crebriores, longioréśque, quàm esse debeant, & quàm consuetus naturæ cursus in hominibus probè*

constitutis postulet. Quodsi ad aliquod læsarum actionum genus referri possent, deberent utique referri ad illud, quod est actionum depravatarum. Diminutæ enim & abolitæ non sunt, ut ipsis notum. At actiones depravatæ non sunt, duabus de causis. I. quia in qualitate minimè peccant: sed eo modo fiunt, quo etiam in sanis fieri solent: nisi quòd in quantitate delinquant. II. quia opponuntur actionibus diminutis. Itaque si hæ non sunt depravatæ, neque auctæ depravatæ erunt: quoniam contraria sub eodem genere comprehenduntur: sub quo plurimùm inter se differunt.

V.

Rectène Argenterius l. de sympt. diff. c. 3. quintum genus læsarum actionum addat? Præter diminutam auctam, depravatam, & abolitam actionem, habet Argenterius quintam, quam tristem & voluptuosam vocat. Tristem, in quâ dolor & molestia sentitur. Voluptuosam, cum quâ jucunditas est conjuncta, ex morbosis causis proveniens: quemadmodum accidit in pruritu & in quibusdam pudendorum affectibus. Verùm, dolor ad depravatã actionem commodè referri posse videtur. Etsi enim dolentes qualitates tales sentiant, quales sunt: quia tamen ob excellentiã & violentiã objecti ὄργανον sensûs corrumpitur, dolor pro symptomate in genere depravatarum actionum habetur. Voluptuosa actio, quia suavis est & jucunda, secundum naturam esse videtur, & per consequens non symptoma, neq; actio læsa.

VI.

An excretorum divisio, quâ Galen. c. 81. utitur, perfecta sit & integra? *Galenus c. 80. inquit, partes affectas investigari ex tumoribus, doloribus, actionum læsionibus, & excretorum differentiis. Hæc autem excreta c. 81. dicit esse triplicia: nonnulla esse veluti partes locorum affectorum: quædam tanquam excrementa: alia naturaliter in iis contenta. Quæ τριχοτομία ad hanc διχοτομίαν reduci potest. Nam quæ excernuntur, vel portiones sunt locorum affectorum: vel in partibus continentur. Sed hæc rursus duplicia sunt: quædam utilia sunt & necessaria: & quidem vel ad nutritionem, vel ad procreationem: quædam inutilia: sed aut naturalia: aut præter naturam.* Portiones locorum affectorum excernuntur, *vel putredine corruptæ: ut pulmonum in φθίσει antiquâ: vel humorum acrimoniâ abrasæ: ut in dysenteriâ incipiente pingvia quædam corpora: in ejus progressu intestinorum ramenta: tandem & carunculæ: teste* Galeno com. 4. aph. 26. *Item, renibus exulceratis, exiguæ carunculæ minguntur cum urinâ crassâ:* aph. 76. f. 4. *vesicâ laborante scabie. furfurea egeruntur cum urinâ simili;* aph. 77. f. 4. *ulceratâ asperâ arteriâ, crustulæ, sive frustula interioris membranæ extußiuntur:* Gal. l. 5. meth. c. 12. Contenta partium utilia & necessaria, *quæ aliquando excernuntur, sunt, sanguis venarum & arteriarum, lac mammarum, humores oculorum, chylus ventriculi, semen vasorum spermaticorum.* Contenta inutilia, na-

turalia

turalia *tamen, sunt, faeces intestinorum crassorum, bilis vesiculae felleae, urina vesicae, phlegma cerebri, pulmonum, uteri &c.* Contenta, quae inutilia & praeter naturā, *sunt, quivis humores corrupti, pus, sanies, sordes; vermes item, arenulae, calculi, lachryma oculorum, molae uteri. Videtur ergò dicta excretorum divisio sufficiens esse & perfecta: quia ad eam excreta omnia referri possunt.*

VII.

An sudor excrementum sit naturale, an praeter naturam? *Scribit* Galen. com. 1. aphor. 15. Dioclem *olim credidisse, sudores esse praeter naturam: quoniam omnibus, quae ad corpus attinent, rectè administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor excernitur. Nam quaecunque homines in balneis, aut vehementibus exercitijs, aut propter calorem aestivum exudant, ex violentis caussis originem habent. Ejusdem sententiae meminit etiam* in fine l. de differ. sympt. *sed addit, dogma istud* τραχὺ καὶ παρὰ τὴν ἐνέργειαν, *durum & praeter rerum evidentā esse: etsi id* Diocles *valdè probabiliter & speciosè confirmare sit conatus.* Nos distinguendum censemus. *Est enim sudor alius sanorum, alius aegrotantium. Sanorum per omnia naturalis est: I. ratione* caussae efficientis: *quae est facultas expultrix, eique ministrans calor, qui materiam resolvit, & spiracula cutis dilatat. II. ratione* caussae materialis: *quae vel est remota: ut cibus & potus largior: vel propinqua: ut serum & aqua. III. ratione* viarum,

per *quas sudor erumpit: & sunt pori cutis. AEgrotantium verò sudor duplex est: Vnus criticus, qui concoctâ materiâ morbificâ, prægressis signis concoctionis, die criticâ, circa morbi statum, cum* εὐφορίᾳ *laborantis exit. Alter symptomaticus: qui priori prorsùs contrarius. Foràs enim prodit, materia adhùc existente crudâ, in morbi principio: vi & impetu morbi, nullo cum ægroti levamine.* Criticus *ergò ratione causæ efficientis & viarū naturalis dici potest: ratione materiæ non item. Materia enim illius morbificus est humor: qui cùm p. n. sit, soboles quoque ejus, nempè sudor, talis sit necesse est.* Symptomaticus *& efficientis, & materiæ causa p. n. censetur. Efficiens enim morbi est ferocia, ex nimiâ materiæ morbificæ quantitate, aut pravâ ejusdem qualitate profecta. Materia verò portio est humoris noxij morbum generantis. Ad sudores p. n. pertinet etiam sudor diaphoreticus, sive syncopticus, qui in syncope & jam jam moriturus apparet: item sudor ille copiosus, quem plerique phthisici, noctu præcipuè sudant.*

VIII.

An laſſitudines ſpontaneæ morbos præſagiant? *Sic statuit* Hipp. aphor. 5. ſect. 2. *Sic &* Galen. *in* μικροτ. *c.* 82. *docet, quando scribit, cùm corpus grave pigrumq; est ad motum, signum esse, hominem neutralitate decidentiæ laborare, & brevi ægrotaturum. Sciendum autem ex* com. 2. aphor. 5. l. 3. de tuend. ſan. c. 5. & l. 4. de tuend. ſanit. c. 2. *laßitudinem esse duplicem: Vnam*

quæ

quæ sequitur immoderatos corporis motus: alteram, quæ accidit, nullo corporis exercitio vehementiore prægresso: ac propterea non simpliciter lassitudo, sed κόπος αὐτόματος, lassitudo spontanea dicitur. Illa symptoma est sanorum. Hæc morbosum symptoma: de quo Hipp. aphor. 5. s. 2. *loquitur. Sunt verò tres illius differentiæ: I.* ἑλκώδης, *ulcerosa. II.* τονώδης, *tensiva. III.* φλεγμονώδης, *inflammatoria.* ἑλκώδης, *ulceris sensum facit, ac si patiens aculeis compungeretur, & velut ulceraretur: idque vel circa cutim tantùm, cùm scil. est moderatior: vel circa carnem illi subjectam, cùm est valentior: vel circa utramque, cum adhùc est atrocior.* Τονώδης *tensionis sensum habet: iis præcipuè in partibus, in quibus humores continentur.* Φλεγμονώδης *inflammationis adfert sensum. In eâ enim ceu contusas, aut phlegmone obsessas partes sentimus.* Ἑλκώτης *soboles est cacochymiæ: nascitúrque ex humore acri, calido & tenui, qui corpus erodit, stimulat ac pungit.* Τονώδης *plethoræ effectus est, & quidem illius, quæ dicitur ad vasa. Proficisci tamen etiam potest à multitudine crudorum humorum, aut flatuum copia.* Φλεγμονώδης *causam habet utramque: abundantiam scil. boni succi & succum vitiosum: non quemcunque: sed tantùm in quo rodens est acrimonia. Hic enim ulcerosam procreat lassitudinem: non quidem cum adhùc in venis miscetur cum sanguine (latet enim ejus vis, inquit* Gal. 4. tuend. san. c. 2. *utpote transfluentis, & à sangvinis bonitate superat) sed cùm ab his translatus in carnibus & cute hæret.*

Ex dictis liquet, spontaneam laßitudinem à duabus potentißimis frequentißimisque morborum causis oriri: κακοχυμίᾳ scil. & πληθώρᾳ. Itaque rectè dictum ab Hipp. *eam morbos prænunciare: nempè vel ex κακοχυμίᾳ, vel ex πληθώρᾳ natos.*

IX.

An signa salutis & mortis ex uno tantùm fonte, actionum bonitate & vitio, hauriantur? Galenus c. 83. *unicum quidem istum fontem proponit: sed id facit, non quòd alios excludat: sed quia is præcipuus est, & certior reliquis, ac omninò talis, qui quosdam alios sub se complectitur. Videntur autem omnia signa prognostica, quæ ab* Hipp. in aphorismis, prorheticis, prognosticis, coacis, *locis aliis, tradita, ex duobus fontibus generalißimis hausta: Morbo scil. & morbi subjecto, quod est corpus ægrotans.* In morbo, *quantum attinet ad πρόγνωσιν, spectantur quinque I. pars affecta; quæ vel nobilis est, vel ignobilis: in quâ & sensus, & consensus cum nobilibus ac principibus partibus, & situs, & usus atq; officium præcipuè consideratur. Eam autem venamur ex 5. signorum fontibus, teste* Galeno l. 1 loc. aff. c. 1. *nimirùm ex actione læsâ, excretis, situ partis affectæ, doloris proprietate & propriis accidentibus. II. Species morbi: quam* eodem ibid. c. 5. *authore cognoscimus ex excretis, situ partis, doloris proprietate. & propriis accidentibus. III. Causa: quam nobis patefaciunt res quædam naturales, ut temperamentum, habitus & alia corporis accidentia, actiones, excrementa, ætas, sexus,*

xus. Item res non naturales, tùm necessariò, tùm non necessariò nos alterantes. Res insuper præter naturam: ut sunt symptomata. Denique juvantia ac lædentia. IV. Magnitudo: quæ facilè ex parte laborante, specie, sive naturâ & essentiâ propriâ, qualitate causæ, & viribus atque effectis, ipsis scil. symptomatibus, cognoscitur. V. Mos, an mitis sit & benignus? an ferox & malignus? quem signa ἐπιφαινόμενα palam faciunt. In morbi subjecto, sive corpore ægrotante, spectantur potissimum tria, ut aliquid de futura salute, aut morte præsagiamus. Primùm corporis accidentia, quæ in quantitate, qualitate, & situ consistunt. Sub quantitate intelligimus molem corporis singularúmq; ejus partium: an scil. macies adsit & tabes partium: an verò corpulentia adhùc constet? Per qualitatem intelligimus. I. colorem, & potißimùm faciei: qui vel adhùc aliquo modo naturalis est: vel pallidus, luridus, ruber, lividus, aut niger. II. calorem: qui vel est intensus, vel remissus peneq; extinctus, vel mediocris. III. qualitates tactiles alias: ut siccitatem, humiditatem, mollitiem, duritiem &c. IV. figuram, ac imprimis faciei, quæ aut similis, aut dißimilis sui est. Dißimilis vel est depravata: vel omninò à se mutata & penè emortua. Illius exemplum extat aphor. 49. s. 4. Ubi de labiorum, superciliorum, oculorum & nasi perversione & distorsione sermo est. Hujus exemplum offertur in prognosticis, ubi inter cætera facies cadaverosa, quæ Hippocratica vulgò nuncupatur, quòd authorem

Hippo-

Hippocratem *habeat, & in jam jam morituris cernatur, describitur, & secundum colorem, & secundum calorem, & secundum qualitates quasdam tactiles alias, & secundum figuram, & secundum molem corpoream. Nasus enim est acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidæ ac contractæ, & extremitates earum aversæ, cutis circa frontem dura, & arida, color faciei pallidus, aut etiam niger, lividus, plumbeusve: quæ facies etiam repetitur* in Coacis. *Per* situm *indigitamus decubitum ægri somni vigiliarúmque tempore: an prono, an supino corpore jaceat & dormiat? an decubitum servet naturalem, nimirùm in alterutrum latus, cruribus & manibus modicè reflexis?* In *eodem morbi subjecto deinde etiã* actiones *spectantur animales, vitales, & naturales: quæ ad prænunciandã vitam, aut mortem plurimùm habent ponderis atque momenti.* Tertiò excrementa *ponderantur: tùm universalia totius corporis: ut urinæ, dejectiones, vomitiones, sudores: tùm particularia: nempè capitis, quæ excernuntur ordinario modo per os & nares: thoracis ac pulmonum, quæ ejiciuntur per asperam arteriam cum tussi: renum & vesicæ, quæ per meatus urinarios educuntur: & sic deinceps. In quibus & substantiam, & quantitatem, & qualitatem, & tempus, & modum excernendi, & locum, per quem expelluntur, perpendimus.*

F I N I S.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XXVI.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOHANNE MACLÆO
Argentinensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.

THESIS I.

EGimus præcedentibus aliquot disputationibus de primo salubrium causarum genere, quod versatur circa corpora sana: & quidem vel optimè sana: vel ab eorũ perfectione nonnihil in κράσει, compositione, aut continuitate deficientia: dicitúrq; φυλακτικόν. Ordinis ratio postulat, ut accedamus ad alterum, quod ποιητικόν *Galenus* appellat; quodque circa corpora actu ægrotantia occupatum est, ijsque pristinam sanitatem restituit.

Causæ salubres ποιητικαὶ, quæ corporibus actu ægrotantibus cõpetunt: & primũ de illis, quæ δυσκρασίαν curant.

II.

Cùm verò causæ istæ vel versentur circa morbos intemperiei: vel circa morbos compositionis: vel circa morbos continui solutionis: ideò monet *Galenus*, singulas esse percurrendas, & more hoc in libello solito breviter & per capita solùm tradendas: inchoandúmque ab ijs, quæ νοσώδη δυσκρασίαν curant.

III.

Verùm, priùs distinctio causarum, ad curationem intemperiei instituendam necessaria, quam tamen omnes propemodùm Medici prætermiserunt, notanda. *Cap.* 88.

IV.

Nam cùm alia intemperies sit ἤδη γεγενημένη, facta: alia ἔτι γενομένη, adhùc fiens: alia denique γενησομένη, futura: liquet, etiam causas salubres, quæ circa intemperiei curationem sunt occupatæ, triplices esse: & alias pertinere ad intemperiem *factam*: alias ad *fientem*: alias ad *futuram*. *Cap.* 88.

V.

Postremæ, quæ futuræ sunt intemperiei, rursùs duplices sunt. Aliæ enim pertinent ad artis partem προφυλακτικὴν: scil. quæ corpus præservant ab intemperie *mox futura*. Aliæ ad partem ὑγιεινὴν, sive φυλακτικὴν: nimirùm, quæ præcavent intemperiem de longinquo futuram. Nam futuri morbi vel sunt in propinquo, vel in longinquo. *Cap.* 88.

VI.

Primæ, quæ factam curant intemperiem, ad eam solùm artis partem spectant, quæ θεραπευτικὴ nuncupatur: quia reverà sunt curatrices. *Cap* 88.

VII.

Mediæ, quæ fientem respiciunt intemperiem, partim ad προφυλακτικὴν, partim ad θεραπευτικὴν revocantur. Ratio est: quia morbi fientes partim facti sunt, partim futuri. Ergò & ipsorum causæ salubres partim sunt προφυλακτικαὶ partim θεραπευτικαὶ. Προφυλακτικαὶ quidem; quatenùs intemperiem, quæ nondum quidem

adest:

adest: at futura est, prohibent, ne fiat ab eâ, quæ jam in corpore præsens est, dispositione. Θεραπευτικαὶ verò: quatenùs jam factam atq; in corpore existentem ægritudiné curant. *Cap* 88.

VIII.

Facto enim morbo (*addimus nos*) competit curatio: futuro præservatio, &, ne fiat, inhibitio. Ex quo sequitur, morbo fienti, qui factum habet & futurum, utrumque competere; θεραπείαν scil. partis factæ: & προφύλαξιν partis futuræ.

IX.

Liquet etiam, quales sint cujusque intemperiei causæ salubres. Nam, uti dictum, futuræ intemperiei causæ salubres sunt προφυλακτικαὶ, morbum scil. futurum præcaventes. Factæ, θεραπευτικαὶ, quæ quod factum, aufferunt. Fientis, partim θεραπευτικαὶ, ratione partis genitæ: partim προφυλακτικαὶ, respectu partis generandæ.

X.

Quodsi quæratur, quomodo id, quod futurum est, præcaveatur, & quod factum, tollatur? Respondet *Galenus* præcaveri quod futurum, τῆς διαθέσεως, ἐφ' ἧ γίνεσθαι πέφυκεν, ἀναιρεθείσης, sublatâ eâ dispositione, quã intemperies sequi naturâ apta est. Ista verò dispositio αἰτία προηγουμένη appellatur. Factam verò ægritudinem tolli, τῆς διαθέσεως ὑφ' ἧς πρώτης ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια βλάπτεται, λυθείσης, ἥνπερ δὴ καὶ φαμὲν αὐτὴν εἶναι

τῆς νόσου τὴν αἰτίαν (*Leonicenus* legit οὐσίαν) remotâ illa diſpoſitione, à quâ primùm læditur actio: quam quidem & ipſam morbi cauſam (rectiùs *eſſentiam*) eſſe dicimus. *Cap.* 88. Morbus enim primò actionem lædit. Cauſa mediante morbo.

XI.

Cæterùm, non ſatis eſt, ſcire in genere, quòd factæ intemperiei conveniant cauſæ θεραπευτικαὶ: futuræ προφυλακτικαὶ: fienti utræque: ſed in ſpecie etiam cognoſcendum, quomodo & per quas cauſas hæc curatio & præſervatio peragenda ſit? Ideóque *Galenus* progreditur ulteriùs: & I. curationem ſimplicis intemperiei, tùm factæ, tùm fientis & adhùc à ſuâ causâ dependentis docet. II. ad curationem intemperiei compoſitæ accedit, quæque conſideranda ſint, ut determinata alterantis remedij quantitas inveniatur, oſtendit.

XII.

Simplicem ergò factámque intemperiem quod attinet, monet *Galenus*, ejus ἴασιν, ſive curationem habere ἕνα καὶ πρῶτον τὸν κοινότατον σκοπὸν, αὐτῷ τῷ μέλλοντι λυθήσεσθαι τὸ ἐναντίον, unam præcipuam ac communiſſimam intentionem ad id, quod auferendum diſpoſitioni eſt contrarium. Hoc eſt, in hujus intemperiei curatione præcipua & communiſſima intentio una eſt, nimirùm contrarij adhibitio. *Cap.* 89.

XIII.

Hujus generis omnes ſunt cauſæ δημιουργοῦσαι

τὴν

τὴν ὑγείαν, ſanitatem efficientes: quoniam in quolibet morbo debent eſſe contrariæ: nimirùm ad differentiam cauſarum conſervantium, quæ ſunt ſimiles. *Cap* 89.

XIV.

Quemadmodum verò intemperies in genere, quatenus res eſt p. n. ſui ablationem indicat per contraria: ſic certa & determinata intemperiei ſpecies certam ac determinatam ſpeciem & qualitatem remedij indicat: & quidem contrarij. *Cap.* 89.

XV.

Calida enim intemperies remedium poſtulat frigidum: frigida calidum: ſicca humidum: humida ſiccum: quoniam hæc remedia iſtis intemperiebus ſunt contraria. *Cap.* 89.

XVI.

Cauſa verò, cur remedium in curâ intemperiei contrarium eſſe debeat, in duobus hiſce principijs conſiſtere videtur. I. quòd omne ἄμετρον, immoderatum, ſit παρὰ φύσιν: ac propterea mutandum atque ad συμμετρίαν reducendum, quæ eſt κατὰ φύσιν. II. quòd omnis mutatio & alteratio fiat à contrario in contrarium. *Cap.* 89.

XVII.

Sic ergò ratiocinari licet, Quod eſt ἄμετρον, id eſt παρὰ φύσιν: quia ἔμμετρον eſt κατὰ φύσιν. At omnis intemperies eſt ἄμετρόν τι. E. omnis eſt παρὰ φύσιν.

Quod autem eſt παρὰ φύσιν, id debet tolli. At

omnis intemperies eſt παρὰ φύσιν. E. omnis tolli debet.

Quod verò tolli debet, & ad συμμετρίαν reduci, id reduci debet, vel per ἔμμετρον: vel per ἄμετρον ſimile: vel per ἄμετρον contrarium. At omnis intemperies tolli debet, & ad συμμετρίαν reduci. E. reduci debet, vel per ἔμμετρον: vel per ἄμετρον ſimile: vel per ἄμετρον contrarium.

Sed non poteſt reduci per ἔμμετρον: quoniam hoc vim conſervandi, non mutandi & alterandi habet: & curatio morborum ac ſanitatis conſervatio per eaſdem fierent cauſas, nempè φυλακτικάς. quod eſt abſurdum.

Neque ad συμμετρίαν revocari valet per ἄμετρον ſimile: quia hoc illud augeret: aut ſaltem ſuo in ſtatu conſervaret.

Relinquitur ergò, reductionem illam fieri per ἄμετρον contrarium: atque ita omnis intemperiei curationem per contrarium inſtitui.

XVIII.

Notandũ autem, quòd ejuſmodi contraria, ſive ſint frigida, ſive calida, ſive humida, ſive ſicca, contraria eſſe debeant κατὰ δύναμιν, ſecundum potentiam: non autem κατὰ φαντασίαν, imaginationem. *Cap.* 89..

XIX.

Vocat *Galenus* κατὰ δύναμιν, ὅπερ ὄντως τε καὶ ἀληθῶς, οἷον λέγεται, quod re ipsâ verè tale exiſtit, quale eſſe dicitur. Κατὰ φαντασίαν autem, τὸ τῇ προχείρῳ μὲν αἰσθήσει τοιοῦτον εἶναι φανταζόμενον, ὄντως

δ' οὐκ

δ' οὐκ ὂν τοιοῦτον, quod primo quidem occursu, & quo ad sensum tale esse animo concipitur, cùm tamen reverà tale non sit. *Cap* 89.

XX.

Deinde monet, quòd in curatione factæ intemperiei ea sint eligenda remedia, quæ κατὰ δύναμιν, h.e. verè ac naturâ suâ illi sunt contraria: quæque nativis qualitatibus illam oppugnant: non illa, quæ quidē quo ad sensum contraria esse videntur: re ipsa autem talia non sunt. *Cap.* 89.

XXI.

Quomodo autē hæc distinguenda, h.e. quomodo dignoscenda sint illa, quæ per se & proprijs viribus, & quæ per accidens alienisq; qualitatibus operantur, in *opere de simpl. medic. facultatibus à Galeno* est explicatum. *Cap.* 89.

XXII.

Accedamus ad curationem intemperiei fientis, quæ adhùc à suâ causâ dependet. In illius verò curâ eâdem viâ utendum: &, cùm habeat partem factam & futuram, ratione partis factæ contraria adhibenda, & quidem talia, quæ κατὰ δύναμιν, non κατὰ φαντασίαν sunt contraria. Ratione verò partis futuræ alia quoque via ineunda, ut ægritudinis causa inveniatur. *Cap.* 89.

XX1II.

Cùm enim in fine *Cap.* 88. dictum sit, futuram partem præcaveri sublatâ causâ προηγουμένης: ideò hanc causam primùm invenire & cogno-

ſcere decet: poſteà eam aufferre. Sic namq; futura morbi pars inhibetur.

XXIV.

Hinc conſtat, intemperiem fientem duplicem præbere indicationem. Nam cùm ortûs ſui cauſam habeat præſentem, non ſolùm ſui ablationem indicat per contraria, ſicuti intemperies facta: verùm etiam inhibitionem ejus, quod futurũ eſt. Unde perſpicitur, cauſarum, quæ morbum gignunt, cognitionem maxime eſſe neceſſariam. In harum enim remotione inhibitio conſiſtit.

XXV.

Hoc præceptum, ut meliùs intelligatur, *Gal.* exemplo febris putridæ illuſtra. Eſto, inquit, & ſupponatur, febrem accendi ex humoribus putreſcentibus. Hîc quia ſimplex affectus non eſt, ſed compoſitus: ideò indicationem ſumere oportet, tùm à morbo, ſive à febri: tùm à causâ morbi, humoribus ſcil. putreſcentibus. A qùibus tamen rurſus duplex præbetur indicatio, pro duplici eorum conſtitutione. Nam vel nondum planè putrefacti ſunt, ſed incipiunt ſolùm, & ad putredinem inclinant: aut verè ſunt putrefacti. Illis ἀλλοιώσει παύουσα τὴν σηπεδόνα, alteratione, quæ putredinem finiat, opus eſt, ſubſtantiâ (alij legunt causâ) adhùc manente. His κένωσις, ὅλην ἐκ τοῦ σώματος ἐξάγουσα τὴν οὐσίαν, vacuatio, quæ totam ex corpore ſubſtantiam educat, neceſſaria eſt. *Cap.* 89.

Hæc

XXVI.

Hæc alterationis ſpecies πέψις eſt, concoctio quædam, quâ ſubſtantiâ quidem humorum manet: qualitates autem mutantur: quam ubi invenerimus, à quibuſnam cauſis fieri ſoleat, utique etiam cognitionem habebimus eorum præſidiorum, quæ humores ad putredinem nutantes ita alterare valent, ne ampliùs putreſcant. *Cap.* 89.

XXVII.

Evacuatio autem humorum, qui jam planè ſunt putrefacti, inſtituitur, & per ſanguinis miſſionem, & per clyſmatum uſum, & per meatus urinarios, & per ſpiracula cutis, & per ἀντίσπασιν καὶ μετοχέτευσιν εἰς ἕτερον, revulſionem atque derivationem ad partem aliam: oppoſitam quidem & longinquã in ἀντισπάσει: vicinam autem in μετοχετεύσει. Hùc pertinet & citatio menſtruorum, & apertio hæmorrhoidum, & vacuatio per nares ac palatum. *Cap.* 89.

XXVIII.

Itaque, ſi & hîc materias iſtorum præſidiorum invenerimus; & tùm qualitatem, tùm quantitatem, tùm opportunitatem temporis, tùm modum utendi perſpexerimus, cauſas etiã ſalubres ad evacuationem putridorum humorum neceſſarias cognitas habebimus. Quo verò pacto inveniendæ ſint, *in methodo therapeuticâ* oſtenſum fuit. *Cap.* 89.

Cæterùm

XXIX.

Cæterùm, quæ de fientis calidæ intemperiei curatione dicta ſunt, eadem etiam ad reliquas tres intemperies fientes, frigidam ſcil. humidam & ſiccam referri debent: quoniam in harum curatione eodem planè modo procedendum.

XXX.

Nam quemadmodum calida intemperies fiens, quæ à ſuâ adhùc causâ dependet, ratione partis futuræ προφυλάξει, quæ per cauſę ablationem perficitur, opus habet: ratione autem partis factæ θεραπείαν per contraria poſtulat: ſemperque in ea cauſa intemperiem efficiens priùs reſcindenda: poſteà ad intemperiei curationem accedendum: ſic quoque intemperies fiens frigida, humida & ſicca, quo ad partem futuram, cauſæ eget ablatione: quo ad factam curationem requirit: & quidem per remedium contrarium: quod non κατὰ φαντασίαν, ſed κατὰ δύναμιν ſit contrarium. *Cap.* 80.

XXXI.

Atque hæc methodus eſt curandi intemperies ſimplices tùm factas, tùm fientes. Sequitur *curatio compoſitarum*: quæ ex ſimplicium intemperierum curatione cognoſcitur. *Cap.*89.

XXXII.

Quemadmodum enim v. g. intemperies calida per remedia frigida: & ſicca per humida curatur: ita intemperies compoſita, calida

&

& ſicca, per ea, quæ ſimul refrigerant atq; humectant, corrigitur. Rursùs, ſicuti intemperies frigida tollitur per præſidia calida: & humida per ſicca: ita intemperies ex frigiditate & humiditate cōpoſita per calefacientia & ſiccantia moderata aufertur. Perpetuæ namq; veritatis regula eſt, quòd contraria contrarijs curentur.

XXXIII.

Verùm, non ſufficit, remedium eſſe contrarium, & debitā habere qualitatem: ſed etiam requiritur, ut convenienti ſit quantitate inſtructum. Vis enim tanta eſſe remedij debet, quanta eſt ipſa intemperiei exuperantia: ut utriuſq;, remedij & intemperiei, pugna ſit æqualis. Aliâs exuperantia nunquā ad mediocritatem reducetur.

XXXIV.

Nam ſi remedium ſit vehementius, oppoſitum introducet affectum. Sin imbecillius, affectum minimè tollet.

XXXV.

Quare, ut juſta contrarij remedij menſura cognoscatur, *Galenus* tale exemplum ponit, & inquit: ſi contigerit, ut corpus 10. numeris ad caliditatē majorem eâ, quæ naturæ conveniat, deciderit: 7. verò ad ſiccitatem majorem, tùm cauſa ſalubris, h. e. remedium compoſitam hanc intemperiem curaturum debet eſſe 10. quidem numeris, ſive gradibus frigidius: 7 verò humidius. Vnde perſpicitur, quòd remedia debeāt eſſe intemperiei tùm contraria, tùm in gradibus qualitatum æqualia. *Cap.* 89.

Vt

XXXVI.

Vt verò remediorum quantitas adhùc certiùs cognoſcatur, docet *Galenus*, non tantùm ad quantitatem intemperiei, & exuperantiam ipſam: verùm etiam ad ſitum partium affectarũ, quibus medendum, reſpiciendum eſſe. Hæ enim vel externæ ſunt: vel internæ. *Cap.* 89.

XXXVII.

Quapropter, ſi pars calidâ v. g. & ſiccâ intemperie laborans ſit externa, ita ut remedium illam immediatè & integris viribus contingere queat, tùm tradita regula, quod ſcil. remedium intemperiei in gradibus æquale eſſe debeat, eſt perpetua. At ſi pars intemperata intus in corpore deliteſcat, ſitúmq; habeat profundiorem, adeò ut remedium eam immediatè attingere nequeat: tunc in tantum illius vis ultra eos gradus intendenda eſt, quos intemperies poſtulat, quantum conijcimus in tranſitu partium ſuperpoſitarum exolvi poſſe. *Cap.* 89.

XXXVIII.

Ratio hujus præcepti tacitè ex contextûs ſenſu facilè elicitur. Nam cùm vis remedij in vijs intermedijs obtundatur: idq; vel propter partium, quas permeat: vel propter humorum, quos attingit, reactionem: ſanè niſi ultra illos gradus. quos intemperies exigit, haberet alios, haud eſſet pro illius demolitione ſufficiens: quippe jam obtuſum à corporibus intermedijs. Proinde aliquid illi adjiciendum:

ijciendum: ut, cùm ad partem loborantem pervenerit, ſat virium habeat, pro intemperiei curatione. Et ſic tale adhibendũ remedium, quod non ſolùm ſit æquale affectui in gradu: ſed quodammodò majus.

XXXIX.

Hoc præceptũ de auctione graduum qualitatis remediorum ſupra proportionem intemperiei conſtans eſt & firmum, ſi affectus in corporis parte profundiore deliteſcens ſit frigidus, ac proptereà per calida remedia curandus. Hæc ſiquidem non ſolùm tantam habere caliditatẽ debent, quantam intemperies deſiderat, parem ſcil. atque æqualem: ſed ultra eam menſuram tantum quoque de caliditate addendum, quantum conjecturâ aſſequimur, de viribus remedij in tranſitu ab intermedijs corporibus iri exolutum, priuſquam ad laborantem locum perveniat. Mutatur autem, ſi intemperies in penitiore corpore conſiſtens ſit calida, ac proptereà per frigida medicamenta abigenda. Tùm enim non ſimpliciter frigidi remedij vires augendę ſunt ſupra gradus calidæ intemperiei, uti factum in correctione intemperiei frigidæ: ſed priùs remedij materia & ſubſtantia perpendenda. *Cap.* 89.

XL.

Etenim, ſi remedium ſit ſubſtantiæ craſſæ, non poterit admodùm penetrare, ſi intemperiei ſit æquale; quoniam craſſities cum frigi-

ditate

ditate conjuncta vias densat atque constringit. Quantò ergò magis, si gradus frigiditatis sint aucti? Imò contrarium potiùs efficiet, & densando stipandoque partis superficiem, cui primùm occurret, caliditatem intus coarctabit & ventilationem prohibebit. *Cap.* 89.

XLI.

Contrà, si tenuium sit partium, promptè poterit profunda subire. Ideoque regula tradita observanda: addendumque aliquid ultra proportionem calidæ intemperiei: tantum scil. quantum putabitur de medicamenti viribus, anteaquam ad locum afflictum perveniat, iri deperditum. *Cap.* 89.

XLII.

Hic idem canon etiam in humectantibus & siccantibus remedijs observandus. Nam & in his considerandum, quæ crassæ, quæ tenuis sint substantiæ? *Cap.* 89. Nam si crassæ sint substantiæ, sive, ut *Galen.* loquitur, παχυμερῆ, in profundum facilè penetrare nequibunt. Sin λεπτομερῆ, partium tenuium, poterunt subire promptè & expeditè. His igitur superaddendum, quod in via amissum iri suspicabimur: ut intemperiei curæ sufficere queat.

XLIII.

Hunc in modum definitur remedij quantitas ratione θέσεως partis intemperie laborantis. Definitur autem & ratione θέσεως καὶ διαπλάσεως illius simul, *Cap.* 89.

ut

XLIV.

Cum pars alteranda ita à naturâ est formata, ut ἐκροὰς αἰσθητὰς, sensibiles habeat effluxus, sive meatus parentes, quorum causâ cum partibus alijs consentit, remedia requiruntur leviora, quàm cùm ejusmodi meatibus est destituta. *Cap.* 89. Ratio est: quia per meatus patentes vis remediorum facilè ad partem affectam pertingere valet.

XLV.

Ex quo præcepto *Galeni* colligimus, partes densas solidasque valentioribus opus habere remedijs, quàm raras & meatibus pervias. Per has enim facilè: per illas ægrè remedia penetrant. Ob difficultatem verò transitûs vis medicamenti hebetatur.

XLVI.

Sed notandum monet *Galen.* quòd quando fluxio per canales apertos ac sensibiles decurrit ad partes principes, eam debeamus ἀποτρέπεσθαι, avertere, & ad illas deducere, quæ principatum nullum habent. *Cap.* 89.

XLVII.

Deinde etiam breviter docet, quòd vacuatio in fientibus intemperiebus ad solas causas dirigatur: alteratio verò ad factas. *Cap.* 89.

XLVIII.

Nam quęcunque in illis instituuntur vacuationes, ratione causarum intemperiem efficientium instituuntur: ut futura fientis intemperiei pars præcaveatur: nequaquã ratione intemperiei factæ. Hæc enim solâ alteratione curatur,

I.

AN Galenus c. 83. per τὰς ἀρχὰς intelligat eas partes, à quibus aliæ oriuntur? *Nequaquam. Si enim testiculi ἀρχαὶ non forent: quoniam ab illis nullæ aliæ originem trahunt. Et ventriculus ἀρχὴ esset: quia intestina ab illo ortum ducunt. Inter ἀρχὰς etiam recensenda essent ossa, pulmo, renes, plurimæ partes aliæ. Ab ossibus enim oriuntur cartilagines & ligamenta: à pulmone arteria aspera: à renibus ureteres: à plurimis partibus musculi: atque sic non 4. solùm, sed plura essent principia corporis nostri: quod est contra* Galenum c. 9. μικροτέχνης.

II.

Num per ἀρχὰς inaudiat eas partes, quæ ad vitam sunt necessariæ? *Galenus* l. 6. de us. part. c. 1. *scribit, partes utiles esse vel ad vitam: vel ad commodiorem vitam: vel ad horum duorum conservationem. Ex his autem principes esse illas, quæ ad vitam sunt utiles. Proximas his esse, quibus principes facile compatiuntur. Longiùs verò ab illarum abesse præstantiâ, quibus compatiuntur ægriùs ac difficiliùs. Sed hoc modo* ἀρχῆς *vocabulum in* μικροτέχνῃ *quidem non accipit: quoniam etiam testiculos inter* τὰς ἀρχὰς cap. 9. *ponit. At constat ex* l. 14. us. part. c. 1. *testes ad vitam necessarios non esse: id quod manifestum est in castratis. Sic enim ibi* Galen. *tres sunt primi naturæ scopi in partibus animalis construendis. Quasdam enim fecit ad vivendum*

dum necessarias: ut cerebrum, cor, & hepar. Quasdam ad vivendum commodiùs. ut oculos, nares, aures & manus. Quasdam ad generis instaurationem; ut pudenda, testes, & matrices.

III.

Utrum per ἀρχὰς indigitet quamlibet partem ad vitam necessariam, & quæ publicam edit actionem? *Galenus l. 7. meth. med. c. ult. docet, magnam habendam esse rationem in medendo illarum partium, quæ publicas, & toti corpori ad vitam utiles ac necessarias actiones exercent: quòd permagna earum sit dignitas & excellentia. Consulendũ quidem etiam ijs, quæ vel sibi tantùm, vel paucis duntaxat partibus alijs inserviunt: at non tantum ijs habendũ respectum, quantus haberi debet prioribus. Verùm, ne sic quidem* Galen. *in* μικροτέχν. ἀρχὰς *usurpat. Aliâs enim non* 4. *sed plures omninò partes forent principes: nimirùm non cerebrum solùm, cor, hepar, & testiculi: sed etiam ventriculus, lien, pulmo, renes, vesica utraq;, venæ, arteriæ, nervi, arteria aspera &c. quoniam istarum partium actiones publicæ sunt, & ad vitam maximè utiles ac necessariæ. Imò ne quidem allegato in loco* Galenus *quicquam de numero* τῶν ἀρχῶν, *principalium partium, statuit: sed hoc solummodò monet, quòd in alterando vacuandóq; diligens sit habenda ratio virtutis & roboris earum partium, quarum actio publica est, & toti corpori utiis & necessaria.*

IV.

In quonam ergò ratio & essentia ἀρχῶν, sive principiorũ corporis, consistat? *In eo, inquit* Galenus l. 6. de placit. Hipp. & Plat. c. 6. *quòd ijs, quæ ab illis enascuntur, facultatẽ, aut omninò materiam suppeditent. Cerebrũ enim facultatem sentiendi & movendi largitur nervis; quoniã hi à cerebro oriuntur. Cor facultatem pulsandi tribuit arterijs? quarum est ῥίζωσις. Spiritum insuper vitalem sangvinemque spirituosum ijsdem subministrat, veluti materiam aliquam. Hepar materiam cõmunicat venis, nempè sangvinem. Imò & facultatem sangvificandi ijsdem concedit. Testes facultatem* σπερματοποιητικὴν *conferunt vasis spermaticis. Materiam quoque seminalem transferunt in vasa deferentia, sive ejaculatoria appellata: quanquam neque hæc, neq; illa ab ijs orta dicamus.* Sententia igitur Galeni *est, quòd per* ἀρχὰς *nostri corporis illæ intelligendæ sint partes, quæ vel facultatem, vel materiam, vel facultatem & materiam simul suis principiatis tribuunt. Facultatem tribuit cerebrum. Materiam hepar. Facultatem & materiam simul cor, uti dictum.* Nos arbitramur, *omnia principia, & facultatem, & materiam aliquam principiatis largiri: etiam cerebrum ipsum. Certum enim est, id spiritum generare animalem eumque in nervos infundere: & vectoribus nervis illum omnibus ijs communicare partibus, quæ moventur & sentiunt. Atqui spiritus æquè materia aliqua est, ac sanguis, quem cor & hepar per arterias & nervos in totum corpus derivant.*

V.

Utrum ad constituendam partem principem sufficiat communicatio materiei, quæ toti corpori ad sui conservationem sit necessaria? *Non videtur. Sic enim plura, quàm 4. essent principia. Etenim, & ventriculus materiam subministrat toti corpori necessariam: & pulmo aërem suppeditat cordi, qui illi necessarius pro caloris conservatione, & consequenter etiam pro sustentatione corporis totius: & mammæ in lactantibus lac præbent, quod lactentis corpusculum fovet & nutrit. Itaq;, ad principem partem constituendam requiritur. I. ut facultatem communicet. II. ut materiam vel spirituosam, vel sangvineam conferat. III. ut regimen quoddam habeat in toto: ita ut aliæ partes ab illa dependeant.*

VI.

Utrum excrementa per se in morbis quibuslibet signa sint salutis & mortis? *Galenus c. 83.* μικροτέχν. *excrementa inter signa salubria & insalubria reponit. Verùm ex diligenti contextûs inspectione apparet, excrementa talia signa esse, neq; per se, quà excrementa sunt: neq; in omnibus morbis: sed duntaxat quatenùs cocta, aut cruda. Cocta enim naturæ robur & victoriam significant. Cruda verò ejusdem infirmitatem, aut materiæ peccantis malitiam palàm faciunt, quæ adeò contumax & rebellis est, ut coquenti naturæ minimè obediat. Non ergò excrementorum substantia, sed qualitas substantiæ inhærens, concoctio scil. & cruditas, sa-*

lutis & mortis sun tindicia. Neq; *tamen in morbis quibuslibet: quia non omnes, ut loquuntur, materiales & humorales sunt: sed quidam etiam immateriales: qui non à vitiosis humorib. proveniunt.*

VII.

Sitné inter πέψιν & πεπασμὸν notabile aliquod effatúq; dignum discrimen? *Antequam ad quæsitum respondeamus, sciendum, tria vocabula sæpiùs apud* Hipp. Gal. & Aristot. *occurrere, quæ tamen unum idemq; minimè sonant: nempe* πέψιν, πέπανσιν, καὶ πεπασμὸν. *Nam* πέψις *propriè & specialiter loquendo alimentorũ est.* Πεπασμὸς *humorũ morbificorum.* Πέπανσις *fructuum qui tùm demùm* πέπονοι, *concocti & maturi dicuntur, cùm semina eorum tale aliquid efficere possunt, quales sunt stirpes, quæ fructus illos producunt.* Galenus *tamen passim concoctionem, quæ in morbis fit,* πέψιν *indifferenter appellat.* Et Aristoteles *l. 4. meteor. cap. 3.* πέψεως *nomen commune facit* πεπάνσει, ὀπτήσει καὶ ἑψήσει. *Tres namq; species* τῆς πέψεως *constituit.* Πεπάνσει, *maturitati, opponitur* ὠμότης, *cruditas.* Oπτήσει, *assationi,* στάτευσις, *semiustulatio,* ἑψήσει, *elixationi,* μόλυνσις: *quæ est inchoata sive imperfecta elixatio, ob infirmitatẽ caloris: sicut* στάτευσις *est imperfecta assatio propter caloris sufficiẽtis inopiã: &* ὠμότης, *sive* ἀπεψία *privatio coctionis propter caloris penuriã.* Πέπανσις, *sive* πεπασμὸς *fit a calore interno* ὄπτησις καὶ ἕψησις *ab interno: illa quidẽ a sicco: hæc verò ab humido.* Sed hæc παρέργως. Nunc ad rem. *Magnũ sanè discrimen est inter* πέψιν & πεπασμὸν

propriè

propter & specialiter acceptū. Conveniūt quidē in efficiente: quoniā utraq; mutatio fit à calore proprio ac nativo. Differunt autem, & in subjecto, & in materia, & in fine, & in formâ, sive speciebus ac differentijs. Etenim, subjectum πέψεως sanum est corpus: πεπασμȣ̃ ægrum. Materia πέψεως alimentū est: πεπασμȣ̃ humor morbificus. Finis πέψεως est nutritio & reparatio ejus, quod est consumptū: in πεπασμῷ natura quidem etiam nutritionem intendit. Verùm, finem istum minimè assequitur: idq; propter materiæ perversitatem, quæ nunquam ita mitificari potest, ut propriam nostri corporis qualitatem admittat, & posteà nutriat. Attamen, si modo morbus futurus est salutaris, à calore solidarum partium alteratur, ac ad meliorem convenientioremq; statum reducitur, & quocunq; modo evincitur: quod est apud Hipp. concoqui. Concocta & mitificata à puriore sangvinis massâ separatur: tandemq; excernitur. Formæ, sive species πέψεως duæ sunt: publica & privata. Publica iterum gemina: χύλωσις: cujus præparatio fit in ore: celebratio in ventriculo: perfectio & absolutio in tenuibus intestinis: & χύμωσις, sive αἱμάτωσις: cujus præparatio est in venis mesenterij: celebratio in hepate: consummatio in venis. Privata totuplex est, quotuplices sunt partes, quæ nutriuntur. Inchoatur in venulis cujusq; partis proprijs, & perficitur extra illas in partis substantiâ. In venulis constituit humorem, qui ex secundarijs appellatis primus est, proprioq; nomine caret: estque sanguis jam sensibi-

liter

liter alteratus, & partis alendæ tùm qualitate, tùm proprietate perfusus. Ex humore isto ἀνωνύμῳ conficit secundum, qui per oscula exilium vasorum jam excidit, ac per media spatia similaris partis roris modo dispergitur: unde & Ros nuncupatur. Ex rore gignit Gluten, humorum scil. illum, qui crassior jam factus ac coactus, concretusve, partibus agglutinatur, solidisque fibris adhærescit. Glutine ulteriùs cocto & alterato, tandem quartus constituitur humor secundarius, Cambium dictus: qui in partis substantiam mutatus est, & illi perfectè assimilatus: estque non, ut ἀνώνυμος & Ros, μέλλον τροφὴ: neque ut Gluten οἷον τροφὴ: sed τροφὴ ἐνεργείᾳ: quoniam actu reparat atque instaurat, quod est amissum. Πεπασμοῦ differentiæ longè sunt aliæ. Nam dùm v. g. crassa extenuantur, tenuia incrassantur, lenta inciduntur, putria in pus ververtuntur, acria & mordacia mitigantur, dura emolliuntur &c. concoqui domari & vinci à naturâ dicuntur.

FINIS.



Disputatio EX ARTE PARVA GALENI XXVII.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

ANDREA GERNERO,
Wimpinâ Palatino.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.



THESIS I.

SUperiori disputatione actum fuit de curatione δυσκρασίας: ejusque & fientis, & futuræ, & factæ: simplicis pariter & compositæ. Hac nobis de curatione continui solutionis tractandum.

Causæ salubres continui solutionẽ curantes.

II.

Postulat autem ad sui curam nil aliud; quàm ἕνωσιν, unionem: quæ quidem in partibus organicis, sive dissimilaribus est ἀδύνατον: in similaribus verò οὐκ ἀεὶ δυνατός. *Cap.* 90.

Curatio vulneris simplicis in parte carnosâ.

III.

Possibilis tamen est in partibus carnosis: in quibus κόλλησις, conglutinatio partium divisarum sanatio est: quam si etiam σύμφυσιν, coalitum appellaveris, nihil diversi dixeris. Sunt enim κόλλησις καὶ σύμφυσις hîc æquipollentia. *Cap.* 90.

IV.

Præcedit autem κόλλησιν, cùm vulnus est magnum, προσαγωγὴ τῶν διεστώτων μορίων, adductio partium distantium, sive conjunctio labiorum vulneris: quæ genus quoddam est τῆς διαπλάσεως, formationis. *Cap.* 90.

V.

Cæterùm, ut adductio iſta labiorum vulneris μόνιμος ſit, firma ac ſtabilis, inſtrumenta quædã requiruntur: cujus generis ſunt, 1. ἐπίδεσις ἡ συνάγουσα τὰ διεστῶτα, deligatio, ſive alligatio cogens in unum, quæ diſtant: & faſcijs perficitur: 2. ἀγκτῆρες, fibulæ. 3. ῥαφαὶ, ſuturæ. *Cap.* 90.

VI.

Cùm verò in vulneris curatione duo agentia concurrant: Natura & Medicus: quæri poſſet, quidnam utrumque in illâ peculiariter præſtet? *Reſpondet Galenus*, Naturam κολλᾷν τὰ διεστηκότα, καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἕνωσιν ἀποδιδόναι, priſtinam reſtituere unionem, & facere, ut, quæ invicem diſtant, coaleſcant: atque hoc nomine agens eſſe principale, &, ut *Cap.* 87. loquutus, δημιουργὸν: Medicum v. ut *ibidem* docuit, tantum eſſe ὑπηρέτην, Naturæ miniſtrum: & quatuor habere in vulnerũ curatione officia. I. enim συνάγει εἰς ταὐτὸ τὰ διεστῶτα, labia vulneris adducit atq; conjungit. II. φυλάττει ὡς συνήχθη, adducta & in unum coacta labia conſervat. III. προνοεῖ, ὡς μηδὲν ἐμπέσῃ τῶν χειλῶν μεταξὺ, cavet, ne quid labijs vulneris intercidat. Hoc enim agglutinationem impediret. IV. διαφυλάττει αὐτὴν τοῦ μέρους τὴν οὐσίαν ὑγιεινὴν, ipſam partis ſauciatæ ſubſtantiam ſalubrem conſervat. *Cap.* 90.

VII.

Quomodo verò & per quæ media primum & ſecundum officium Medicus exequatur, jam dictum

dictum fuit. Nam adductionem præstat operatione manuum. Conservationem fascijs, suturis & fibulis. *Cap. 90.*

VIII.

Tertium officium duobus perficit temporibus. I. in principio statim, cùm disjuncta vulneris labia adducit, cogitque in unum. Tunc enim diligenter advertit, ne aliquid vulneri extrinsecus incidat: quoniam quicquid illud fuerit, sive pilus, sive oleum, sive alia aliqua humiditas, τὴν ἕνωσιν, unionem & agglutinationem impedit. II. in tempore reliquo: quo scil. jam facta est labiorem vulneris applicatio. Sedulò namque cavet, ne ab intrinseco aliquid labijs dictis interlabatur: cujusmodi est ichor, sanies, sordes. Hæc enim corpora in vulnere generantur. Propterea hasce superfluitates Medicus expurgat, ὑποῤῥύσεσι, effluxionibus vulneri paratis. Vulneratam verò partem ita collocat, ut ex imâ vulneris parte congesta excrementa effluere queant. Quodsi pars ad superfluorum effluxum commodè situari non possit, tùm exitus ijs parandus, vel apertione in imà parte factâ: vel ligaturâ expressivâ: vt per vulneris orificium, licet in parte superiori constiterit, exprimantur. *Cap. 90.*

IX.

Quarto satisfacit Medicus, & partem salubrem conservat, si mediocriter siccantia adhibeat, *Cap. 90.*

X.

Atque hæc est solutæ continuitatis curatio: cùm ea sola in carnosâ parte constiterit, fueritque simplex, & nulli alij affectui conjuncta. Quodsi alicui alteri morbo sit associata, non una & simplex dabitur indicatio, ἕνωσις scil. sive σύμφυσις illius, quod est divisũ: sed plures: quæ in complicatâ continui solutione infrà explicabuntur. Nunc enim ad reliquas unitatis solutiones accedendum. *Cap.* 90.

XI.

Curatio fracturæ simplicis & solitariæ.

Inter illas verò etiam κάταγμα, fractura se offert: quæ continui solutio est in osse. *Cap.* 91.

XII.

Est autem illa κατὰ πρῶτον σκοπὸν ἀνίατος, insanabilis: κατὰ δεύτερον verò ἰατὸς πῶς γίνεται, quodammodò fit sanabilis. *Cap.* 91.

XIII.

Per πρῶτον σκοπὸν, primam intentionem, intelligit *Galenus* σύμφυσιν, unionem veram, sive partium divisarum coalitum. Per δεύτερον σκοπὸν δέσιν inaudit, colligationem. *Cap.* 91.

XIV.

Σύμφυσις in ossibus adultorum fieri nequit, διὰ σκληρότητα τοῦ μορίου, propter partis duritiem: Δέσις in osse possibilis est. Fit enim διὰ πώρου δεσμοῦντος ἐκ κύκλῳ τὸ κάταγμα, callo supernato partes fractas circumalligante. *Cap.* 91.

Calli

XV.

Calli verò efficiens causa est Natura: materia, ossis alimentum: quoniam ἐγγὺς ἐστι τὴν ἰδέαν, callus formam ossi vicinam habet. *Cap.* 91.

XVI.

Quodsi roges, an omnium hominum ossa tantùm per callum copulentur, atque ita κατὰ δεύτερον solùm σκοπὸν vniantur? Respondet *Galenus* per distinctionem. Alia namque ossa dura sunt; qualia sunt adultorum: alia mollia: cujusmodi sunt puerorum, quæ *idem Galenus* alibi ceræ in modum flexibilia, & caseo recens coagulato similia dicit. Illa ergò non nisi per callum conjunguntur. Hæc συμφῦναι δυνατὰ, verè coalescere queunt: nimirum κατὰ πρῶτον σκοπὸν, sine medio heterogeneo. *Cap.* 91.

XVII.

Notandum verò, fracturam rarò admodùm solitariam esse: sed ferè semper cum alijs affectibus complicatam. Causa est: quoniam musculi adjacentes, aliæque partes, utpote nervi, tendines, membranæ, venæ, arteriæ &c. fractis ossibus compatiuntur. *Cap.* 91.

XVIII.

Hinc fit, ut duplex etiam in ejusmodi fracturis intentio oriatur: quarum altera circa ossa fracta: altera verò circa partes adjacentes, quæ læsæ, versatur. *Cap.* 91.

XIX.

Verùm, de complicato hoc affectu infrà, ubi de solutione carnosarum partium cum alijs affectibus conjunctâ sermo erit, agetur. Nunc enim curatio simplicium fracturarum continuanda. Cap. 91.

XX.

Hæ quia in adultis κατὰ δεύτερον solùm σκοπὸν, interveniente callo, sanantur: proximum est, ut calli generatio procuretur. Procurari autem non potest, nisi proprij ossis alimenti superfluitas naturæ, quæ πωρώσεως, uti dictum, efficiens est causa, suggeratur. Cap. 91.

XXI.

Hanc verò superfluitatem, & in quantitate, & in qualitate moderatam (σύμμετρον) esse decet. Cap. 91,

XXII.

Unde & ejusmodi victûs ratio adhibenda, quæ talem ac tantum sanguinem producat, qualis & quantus ad calli generationem requiritur. Cap. 91.

XXIII.

An verò modus in victu servetur, sanguinis, qui ad cavernas, sive concava fracti ossis foramina transit, & posteà ex his in locum fracturæ effunditur, quantitas ac qualitas attendenda. Cap. 91.

Nam

XXIV.

Nam si sanguis effluxerit copiosior (quod ex magnitudine calli, & tumore partis fractæ cognoscetur) signum est, victum esse largiorem: ac propterea præscribendum parciorem. Sin sanguis fuerit paucior (quod ex contrarijs signis deprehendes) indicium est, victum tenuiorem esse: ac proinde vberiorem ordinandum. Rursùs, si membrum fractum extiterit humidius, siccior victus imperandus. Sin siccius, humidior offerendus: quemadmodum pleniùs in *meth. med.* ostensum.

XXV.

Hæc est generalissima & brevissima delineatio curationis continui solutionis in partibus mollibus & duris: carnibus scil & ossibus. Sequitur ea, quæ in partibus mediam naturam habentibus servanda: v. g. in nervis & tendinibus, quorum vulnera magni sunt momenti: quia periculosa admodùm symptomata invehunt. *Curatio punctura nervorũ & tendinum.*

XXVI.

Punctura enim nervi & tendinis facilè σπασμὺς excitat: duabus de causis. I. διὰ τὸ περιττὸν τῆς αἰσθήσεως, propter excellentiã sensûs. II. διὰ τὸ συνεχὲς εἶναι πρὸς τὴν ἀρχὴν τὸ μόριον, quia nervi cum principio suo, ipso nimirùm cerebro, continuitatem habent: & ob eam id facilè in consensum rapiunt: tùm præsertim, cùm cutis vul-

nus est obcæcatum, adeò vt nihil foràs expirare possit. *Cap.* 92. Quapropter, cùm in puncturis nervorum vulnera cutis valdè sint exilia, hocque nomine sanies facilimè intus retineatur: ideò vulnus aperiendum, & sanies siccanda. *Cap.* 92.

XXVII.

Sed remedia oportet esse tenui substãtia (οὐσίᾳ λεπτομερεῖ) ut usque ad ima nervi offensi penetrare queant: quemadmodum fusiùs in *meth. medend.* traditum. *Cap.* 29.

XXVIII.

Curatio continui solutionis cum aliis affectibus complicatæ.

Adumbratâ curatione simplicium continui solutionum, sequirur, ut aliquid etiam de curâ compositarum & cum alijs vitijs complicatarum dicatur. *Cap.* 29.

XXIX.

Proponit autem Galenus primùm ejusmodi Ulcus, cui κοιλότης, cavitas est adjuncta: quam dicit, quosdam non alium affectum (ἄλλην διάθεσιν) sed ulceris differentiam statuisse. *Cap.* 92.

XXX.

Est autem reverà cavitas non differentia: sed ἕτερόν τι γένος ὅλου τοῦ νοσήματος, aliud totius ægritudinis genus: in quo ipsius substantiæ jactura facta. *Cap.* 92.

XXXI.

Hîc cùm duplex sit morbus, continui solutio &

tio & cavitas, duplex etiam ſe offert σκοπὸς. Nam ratione ulceris, quod continui ſolutionis ſpecies eſt, ἕνωσις, unio requiritur: ratione autem ſubſtantiæ, quæ amiſſa, γένεσις, generatio. *Cap.* 92.

XXXII.

Oportet autem primùm ſubſtantia novam generare, & cavitatem implere: poſteà demùm unionem reſtituere. Hoc enim ipſa rerum natura commonſtrat. *Cap.* 92.

XXXIII.

Cavitate impletâ, & ulcere ad æqualitatem perducto, alter σκοπὸς, nempe unio partium diſtantium, aboletur. Ratio eſt: quoniam carne, quæ generata, media inter labia ulceris exiſtente, impoſſibile eſt, ut partes diſtantes uniantur. *Cap.* 92.

XXXIV.

Cùm ergò unio fieri nequeat: ulcus autem nondum ſit curatum, ſed cute nudum: alia intentio locum habet: quam conſequimur ex re naturali, quæ parti comparanda. *Cap.* 92.

XXXV.

Erat autem illi naturale, cute obduci. Quare procuradum nobis, ut denuò eadem obducatur: aut, ſi hæc intentio effectum ſortiri nequeat, cuti ſimile quid reparandum: nimirum

caro,

caro, quæ ad cutis naturam proximè accedat. *Cap.* 29.

XXXVI.

Accedet autem, si & sicca fuerit, & calli similitudinem præ se tulerit. Quare, cicatrix ulceri inducenda, caroque generata eò usque siccantibus, & sine mordacitate adstringentibus medicamentis siccanda & induranda, ut quodammodò callosa evadat, amissæque cutis vicem suppleat. *Cap.* 92.

XXXVII.

Atque hic est modus curandi *ulcus cavum* Est tamen sæpè etiam *sordidum*: quod ut sanetur, opus est, ut probè priùs abstergatur & mundificetur. Medicamentū ergò ῥυπτικὸν, abstersorium, illi erit salubre: cujus materia in lib. περὶ φαρμάκων est exposita. *Cap.* 92.

XXXVIII.

Accidit autem, ut cum ulcere etiam, vel *inflammatio aliqua*, vel θλάσις, sive *contusio & attritio*, vel *œdema*, vel *scirrhus* sit conjunctus. Quo in casu priori loco affectus isti removendi sunt: posteà ad ulceris curam accedendum. Quomodo verò tollendi sint, *l.* 13. & 14. *meth. med. nec non l.* 2. *de cur. rat. ad Glauc.* significatum. *Cap.* 92.

XXXIX.

Sed & *affluxus humorum* ulceri adesse potest, sana-

ſanationem impediens. Quocirca, in ἐπιῤῥεόντων, influentium humorum remotionem priùs incumbendum: poſteà ulcus ipſum aggrediendum. *Cap.* 92.

XL.

Eadem ratio eſt *intemperiei*, quæ ulceri adjuncta. Nam & iſtam priùs removere decet, quam ulceris cura ſuſcipiatur. *Cap.* 92.

Corollaria.

I.

AN Ariſtoteles & Galenus πέψιν propriè & ſpecialiter ſumptam uno eodémque modo definiant? *Quomodo* πέψιν Ariſtoteles *definiat, liquet ex* l. 4. meteor. c. 2. *Ait enim,* πέψιν *eſſe* τελείωσιν ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ, καὶ οἰκείου θερμοῦ ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν: *concoctionem eſſe perfectionem, quæ à naturali & proprio fit calore ex oppoſitis paßivis. Hæc enim eſſe* τὴν οἰκείαν ἑκάστῳ ὕλην, *propriam cuique materiam. In hac definitione ponitur forma, materia & efficiens.* Forma *eſt* τελείωσις, *perfectio, non eſſentialis: ſed accidentalis, quæ conſiſtit in qualitatibus: h. e. ultimâ proprij temperamenti abſolutione. Tunc enim res coctæ dicitur, cùm eam, quàm in temperamento ſive in qualitatibus habere debet perfectionem & abſolu-*

tionem

tionem est adepta. Quare, quicquid mutatio est ad perfectionem, & facit, ut res, quæ prius erat imperfecta & in potentiâ, perficiatur & ad actum deducatur, id meritò perfectio nominatur. At concoctio talis est mutatio facitque, ut res perficiatur, absolutúmque & sibi debitum temperamentum acquirat. E meritò perfectio nuncupatur. Materia, sive subjectum coctionis duæ sunt qualitates passivæ, humiditas & siccitas, quæ sibi invicem opponuntur: præcipuè tamen humiditas. Tunc enim planè celebrata dicitur concoctio, cùm victa est & terminata humiditas: h. e. domita, castigata, & ad eam proportionē redacta, quam misti natura postulat. Siccitas verò propterea materia concoctionis dicitur, quoniam humidum absque sicco in concoctione terminari nequit. Efficiens causa est proprius & naturalis calor. Dicitur autem calor proprius: quoniam hic est causa concoctionis principalis. Alienus enim juvans duntaxat & ministrās illius causa est: præsertim si proprius sufficiens non sit. Dicitur verò etiā calor naturalis: quoniam qui præter naturam est: h. e. vel nimis debilis & infirmus: vel nimis vehemens ac fortis, felicem concoctionem minimè efficit. Is enim in πεπάνσει ὠμότητος: in ἑψήσει μολύνσεως: in ὀπτήσει σαλεύσεως causa est. Hic verò non concoquit & perficit: sed destruit atque corrumpit id, quod ad perfectionem, & absolutionem ac consummationem sui temperamenti est perducendum.

Galenus concoctionem passim alterationem vocat:

cat: ut videre licet l. 3. sympt. caus. c. 3 & l. 3. nat. fac. c. 8. *& quidem* ἀλλοίωσιν κατὰ ποιότητα. *Hinc probat sententiam* Hippocratis, *qui eam alteratione fieri dicebat: contrà damnat opinionem* Erasistrati & Plistonici: *quorum is concoctionem* τῷ τρίβειν, *attritione: hic verò* τῷ σήπειν, *putrefactione fieri contendebat. Integram autem* πέψεως *definitionem tradit* l. 2. nat. fac. c. 4. *dicitque, esse eam* ἀλλοίωσιν τινὰ καὶ μεταβολὴν τοῦ τρέφοντος εἰς τὴν οἰκείαν τοῦ τρεφομένου ποιότητα, *alterationem quandam ac mutationem nutrimenti in propriam ejus, quod nutritur, qualitatem. Hanc definitionem repetit* l. 3. de nat. fac. c. 7. *& inquit, concoctionem esse* ἀλλοίωσιν εἰς τὴν οἰκείαν τοῦ τρεφομένου ποιότητα, *alterationem in propriam ejus, quod nutritur, qualitatem.* Idem com. 2. in l. 1. epidem. §. 44. *dicit,* τὴν πέψιν *esse* εἰς τὴν τοῦ πέττοντος οὐσίαν ἀγωγήν τινα τοῦ πεττομένου, *deductionem quandam ejus, quod concoquitur in coquentis substantiam.* Gorræus *in definit. medic. in voce* πέψεως *scribit, per alterationem non intelligi qualitatis depositionem & mutationem in qualitatem contrariam, eodem manente subjecto: sed specificam, quæ propriè & primùm à* Galeno *dicitur alteratio. Eam autem fieri, cùm ex specie alia species inducitur: ut cùm ex pane & carnibus chylus: ex chylo chymus, sive sanguis: ex sanguine caro, os, vena, generatur. Nam cùm in ventriculo, hepate, venis, singulisque partibus alimentum concoquitur, totâ suâ substantiâ alteratur, veterémque naturam exuit, & in*

aliam speciem transit. Quod si verùm est, uti verissimum arbitramur, sequitur, concoctionem Aristotelis *à* Galeni *plurimùm differre. Etenim, concoctio* Aristotelis *absolutio tantùm est temperamenti: & quod secundum illum concoqui dicitur, idem manet specie. Quod verò secundum* Galenum *in nostro corpore concoqui perhibetur, idem specie non manet, sed prorsùs interit, novamque substantiam producit: v. g. chylum in ventriculo: sanguinem in hepate: lac in mammis: semen in vasis spermaticis. Deinde, quia* Galeni *concoctio ad nullam concoctionis ab* Aristotele *traditæ speciem referri potest. Non enim* elixatio *est: sed elixationi duntaxat similis, inquit* Galen. l. 3. nat. fac. c. 7. *quia fit à calore humido. Propriè autem elixatio non est; quoniam per hanc res manent, & qualitates tantùm mutantur. At per coctiones animaliũ res coquendæ substantialiter mutantur. Non etiam est* assatio: 1. *quia non fit à calore sicco:* 2. *quia res, quæ assantur, manent: mutatis tantùm qualitatibus quibusdam: In concoctionibus autem, uti dictum, planè intereunt, & novæ ex iis generantur. Nec denique* maturatio *est:* 1. *quia hæc ortui naturali succedit. Fructus enim primùm gignuntur: deinde maturantur: quia adhuc aliquam imperfectionẽ habent in temperamento. quæ maturationis beneficio corrigenda ac perficienda. At res, quæ in animalibus concoquendæ, sive sint plantæ, sive animalia, maturitatem suam jamdudum acquisiverunt: neq; manent,*

ut

ut fructus maturandi: sed pereunt. *Quodsi quædam corpora in animalibus maturari dicuntur, ut excrementa, & pus; sciendum, maturationem esse analogicam & metaphoricam: correctionem scil. quarundam qualitatum.* Est ergò *concoctio* Aristotelis *I. generalis, & communis omnibus mixtis corporibus, quæ imperfectionem quandam habent in temperamento:* Galeni *specialis, quæ competit tantùm animalibus.* *Est* II. Aristotelis *concoctio mera & vera alteratio: quoniam melioratio & perfectio est temperamenti: seu motus ab imperfectiore qualitate ad perfectiorem.* Galeni *nuda qualitatum correctio non est: sed mutatio substantialis, quam tamen alteratio præcedit.* III. *In concoctione* Aristotelis *res manent, & alterationem tantùm patiuntur in qualitatibus. At quæ secundum* Galenum *concoquuntur, pereunt, & novam planè substantiam producunt: v.g. cibus perit in ventriculo, & chylum generat: chylus interit in hepate, & procreat sanguinem: sanguis deletur in oßibus, carnibus, & partibus cæteris, ac in earum substantiam convertitur.* *IV. Concoctio* Aristotelis *tendit ad qualitatem usui accommodatiorem: quemadmodum patet in pomis, pyris, aliisque fructibus immaturis:* Galeni *ad nutritionem & reparationem illius, quod est à calore consumptum spectat.*

II.

An quæ concoquuntur crassiora evadant? *Ajentem tuetur* Aristoteles l.4. meteor.c.2. *Ra-*

tio est in promptu: quoniam calor, qui in concoctione dominatur, partes tenues & aquosas resolvit, & in halitum convertit. Hinc videmus, fructus immaturos, & frigidiores, & aquosiores esse: coctos autem atque maturatos calidiores, minúsque aquosos, haberéque succum crassiorem magísque compactum. Hinc experimur, excrementa animalium, ut lac, semen, urinam, pus, &c. tenuia & aquosa esse, cùm sunt cruda: crassiuscula verò magísque coherentia, quando concocta. Observanda autem hîc sunt tria. I. calorem per se quidem attenuare: per accidens verò, cùm cruda concoquit, incrassare: quatenùs scil. superfluam & aquosam humiditatem absumit: & reliquum humidum cum sicco benè jungit & unit.

II. Concocta crudis dici crassiora, non cùm res una cum re aliâ, & specie quidem diversâ, comparatur. Nec quando cum semet ipsâ, postquam speciem mutavit, confertur. Sed cùm res eadem specie cruda cum se ipsâ cocta comparatur.

III. Distinguendum inter concoctionem, quæ temperamenti est perfectio, humidíque castigatio, & separationem, sive secretionem excrementorum à portione alimentali, quæ fit in singulis concoctionibus. Heterogenea enim ante coctionem arctè inter se colligata sunt. Ideóque in actu concoctionis separantur: fitque, ut, quod crassius erat ante coctionem, post illam, impurioribus & crassioribus portionibus à parte alimentali, quæ succosa est, separatis, tenuius evadat. Hâc observatâ distinctione

libe-

liberatur Ariſtoteles *à contradictione. Videtur enim modò ſtatuere, quæ coquuntur, tenuiora evadere: modò verò velle, fieri craßiora.* Nam ſect. 21. probl. 8. *dicit, quæ coquuntur, in minimas digeri particulas. At* lib. 4. meteor. c. 2. *ſcribit, craßiora reddi. Sed contradictio nulla eſt. Ibi enim loquitur de ſeparatione partium excrementitiarum ab alimentalibus. Hîc de ſolâ alimentali portione verba facit: quæ cùm tota ſit aquea, beneficio caloris craſſeſcit, idque propter reſolutionem & digeſtionem partium tenuiorum & aquoſarum.*

III.

An quæ cocta ſunt crudis & incoctis frigidiora exiſtant? *Affirmativa rurſus placet Philoſopho* ſect. 21. probl. 24. *Quod crudum, inquit, frigidum eſt: quod coctum, calidum.* Cujus *dicti veritatem probant experientia & ratio.*

IV.

An quæ cocta ſunt calidiora ſint crudis? *Affirmantem iterùm tuetur* Philoſophus ſect. 31. problem. 24. *Quod crudum eſt, ait, frigidum eſt: quod coctum, calidum. Ratio eſt in promptu: I. quia calor veſtigia quædam caliditatis in re coctâ relinquit. II. quia frigidas & aquoſas humiditates conſumit. Vnde experientia teſtatur, vina vetera calidiora eſſe novis: quoniam in vaſis vinariis meliùs & exquiſitiùs cocta: & phlegma crudum abſorptum. Oleum vetus ſimiliter calidius eſt recenti: propter cauſam eandem.*

V.

Possitné concoctio alimentorũ juvari à causis externis? *Maximè: & quidem à præsidiis diæteticis & pharmaceuticis: tùm assumptis, tùm foris applicatis. Ratio est: quoniam calorem vel augent: vel fovent atque conservant: idque aut per se, caliditate suâ: aut per accidens, quatenùs impediunt, ne proprius & naturalis calor exhalet: vel, ne frigus externum facilè penetret, & naturali calori vim inferat. Annuit huic placito* Galenus comm 2. in l. 1. epidem. §. 44. *ubi scribit, maturationes fieri ab omnibus mediocriter calefacientibus, tùm cibis, tùm fomentis, tùm cataplasmatibus, tùm frictionibus modicis, tùm etiam balneis. Et* in fine l. de constit art. *addit etiam quietem, ciborum euchymorum esum mediocrem, vini moderatè calidi potionem, denique omnem calefactionem moderatam, quæ nostro quidem judicio à vestibus, tegumentis, inunctionibus, speciebus aromaticis, somno, &c. proficiscitur. Idem statuit* lib. 5. simpl. c. 5. *cùm scribit, naturales alterationes, sive concoctiones ab innato fieri calore: ab externo autem juvari.* Commento *insuper* 5. aphor. 22. *ait, externum calorem concoquere & ad melius alterare. A cujus sententiâ haud est alienus* Aristoteles. *Nam & is* l. 4. meteor. c. 2. *res externas concoctionem juvare scribit. Dicit enim, cocta quæ sunt, perfecta esse ac genita: perfectionísque exordium à nativo provenire calore: aliquo tamen externorum adminiculo ad calcem usque perduci.*

Obser-

Observandum *autem, calorem nativum primò ac per se concoctionem efficere, quod* Galeno *est* ἐργάζεσθαι: *præsidia verò externa secundariò & ex accidente tantùm, nativo nimirùm calore interveniente. Propterea idem* in fine de constit. art. med. *docet, quietem, ciborum euchymorum esum moderatum, & vini moderatè calidi potionem non* ἐργάζεσθαι τὴν πέψιν, *sed* εἰς πέψιν *solùm* ἄγειν, *ad concoctionem deducere: quoniam scil. nativum & internum calorem juvant, eúmque fovent & augent.*

VI.

Quæ in morbis dicantur cocta? quæ cruda?

Cocta dicuntur ea, quæ à naturâ sunt evicta, & ad meliorem convenientiorémque statum, tùm in substantia, tùm in qualitatibus perducta. Cruda verò, quæ evicta non sunt. Habet hanc descriptionē Gal. comm. 2. in l. 1. epidem. §. 46. *ubi scribit, fieri concoctiones naturâ causas noxias superante: cruditates autem non superante. Sed clariùs* comm. 2. in l. Hipp. de vict. acut. §. 44. *ubi dicit, quanquam excrementa mutata nutrire nequeant, habere tamen* Hippocratem *in more positum, ut cocta appellet, quæ à naturâ sunt evicta: cruda, quæ evicta non sunt.* Hoc modo bilis *cocta dicitur* Galeno ibidem, *quæ pallida est, & minimè fœtet: cruda, quæ flava est, & acris, & malè olens.* Pus *item in inflammationibus coctum dicitur, quod, ut* Hipp. *monet in prognosticis, album est, æquale, læve, miniméque graveolens: crudum contrà, quod huic*

contra-

contrarium. Urina *in ægritudinibus cocta dicitur ea, quæ ad sanorum proximè accedit, vel in omnibus, vel in aliquibus saltem conditionibus & requisitis. Talis est, quæ est subpallida, aut subflava, mediocriter crassa, habétque* ὑπόςασιν *albam, æqualem & lævem. Cruda verò est, quæ tenuis & aquosa: aut crassa & turbida, alba, contentis vel destituta, vel instructa quidem, sed aut in summitate urinæ natantibus, aut in medio volitantibus, iisque inæqualibus, & divulsis, sive distractis: alio etiam, quàm albo colore, imbutis.* Fæces alvi *coctæ censentur* Hippocrati in prognost. & Galeno l. 1. de cris. c. 7. & 11. *quæ colore sunt subrufæ: odore non admodùm fœtidæ: consistentiâ molles: figurâ planæ & læves, h.e. conjunctæ, coactæ, & unitæ. Crudæ, quæ his sunt contrariæ: magis quidem, quò plures: minùs verò, quò pauciores habuerint cruditatis notas.* Sputamina *cocta affinia sunt illis, quæ extussiuntur à sanis. Talia verò sunt, quæ alba, mediocriter crassa, lævia & plana, in quantitate modica, quæque facilè & sine labore eÿciuntur. Cruda, quæ colore flava, nigra, viridia, rubra: consistentiâ crassa, aut tenuia & aquosa, nimísve lenta ac viscosa: figurâ rotunda: quantitate admodùm pauca, aut copiosa nimis: & quæ cum multo labore ac conatu expectorantur.*

Ex quibus patet, πεπασμὸν *nil esse aliud, nisi dominatum & victoriam naturæ in humores morbificos, sive putridos, sive non putridos. Hoc verò concoctionis genere id consequitur natura, ut morbificos*

bificos humores faciliùs expellere queat. Quamdiu enim crudi sunt, & à natura nondum evicti, commode vacuari nequeunt. Quodsi vacuationes fiant iis adhuc existentibus crudis, symptomaticæ sanè sunt, neutiquam criticæ. Habet enim natura in more positum, ut primùm materiam peccantem concoquat: deinde eam ab utili humorum massâ secernat: tertiò prorsùs excernat.

VII.

Rectène sex res non naturales causæ conservatrices & immutatrices appellentur? *Rectè secundum* Galen.c.85. *Dicuntur autem* φυλακτικαὶ, *quoniam decenter adhibitæ naturalē corporis constitutionem, adeóque sanitatem, qualem acceperunt, conservant. Decenter verò adhiberi dicuntur, cùm in illis & justa quantitas, & legitima qualitas, & temporis opportunitas observatur. Dicuntur verò* ἀλλοιωτικαὶ *& immutatrices, quia nisi opportunè & salubriter usurpentur, sanitatem & naturam hominis destruunt.*

VIII.

An sex illæ res non naturales hoc nomen acceperint propterea, quòd naturæ corporis adversentur? an quòd sinistrè adhibitæ corpus nostrū alterent, adeóque sanitatem destruant? an quòd nobis à naturâ non insint: sed forinsecus adveniant? Ratio prima *nominis nulla est: quia sine 6. rebus non naturalibus vivere non possumus. Itaque quod naturam nostram sustentat, & sine quo natura conservari nequit, neutiquam illi adver-*

adversatur. Et quod naturæ adversatur, affectus est præter naturam: morbus scil. morbi causa, & symptoma. At nulla rerum non naturalium, modò dextrè usurpetur, vel morbus est, vel morbi causa, vel symptoma. Nulla igitur naturæ adversa est & inimica. Ratio secunda admitti potest: quoniam si in quantitate, qualitate, & tempore peccent, non naturaliter nos afficiunt. Ratio tertia Fuchsii est l. 2. Instit. in procem. sed nobis minimè probatur: quoniam neque motus & quies, neque somnus & vigilia, neque excretio & retentio forinsecus adveniunt: sed hominibus omnibus naturâ insunt: si non actu, saltem potestate. Omnes enim vel secundum totum, vel secundum partes moventur, aut quiescunt. Omnes aliquando dormiunt, aut vigilant: omnes supervacua excernunt, &, priusquam excernant, illa coacervârunt, & aliquandiu secum retinuerunt, donec molesta esse cœperint. Quin etiam animi παθήματα non omnia foris nobis evenire, ostendunt metus & mœstitia melancholicorum: furor & ira phreniticorum ac maniacorum: lætitia & hilaritas sanguineorum. Hæc enim ab internis, non externis causis proficiscuntur. Quanquam in aliis pleráque ab externis objectis, bonis aut malis, φαινομένως aut ὄντως talibus, præsentibus, præteritis, & futuris, proveniant.

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XXVIII.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

MATTHÆO Wagner/
Augustano.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI
Anno M. DC. XXXII.





THESIS I.

SUperest curatio illius morbi generis, quod partibus organicis inest, & *mala compositio* appellatur.

Causæ salubres morbos partium dissimilarium curantes.

II.

Consistit verò illud *in malâ conformatione, vitioso numero, indecenti magnitudine*, & *pravo situ*.

III.

Διαπλάσεως verò, sive *formationis* vitia posita sunt in figurâ, cavitatibus ac meatibus, & lævitate atque asperitate superficiei: de quorum curâ ordine agendum: sumpto principio ab eo, quod est σαφέςατον, evidentissimum: nempe à vitio figuræ.

IV.

Vitia figuræ plurimarum partium emendabilia sunt in iis, qui adhuc crescunt. In his autem, qui jam aucti sunt, nequaquam. *Cap.* 93.

V.

Intentio verò curationis sumitur ab essentiâ morbi, depravatâ scil. figurâ: quæ corrigenda, & ad naturalem, quæ vitiosæ contraria, reducenda, *Cap.* 93.

VI.

Quodsi ob fracturam malè curatam vitiata sit membri figura, considerandum, num callus, cujus interventu fracti ossis partes conglutinantur, recens sit, an inveteratus? Nam si sit recens, os iterum perfringere oportet: dein partes fractas rectè coaptare: tandémque callum superinducere. *Cap.* 93.

VII.

Ex eodem ægritudinis genere ἔμφραξις est, sive *Obstructio*: quæ varias causas habet: ac propterea diversimodè curari solet.

VIII.

Obstructio enim ex lentis crassisque humoribus nata unam, non secus ac vitiata figura, indicationem præbet, eámque sibi contrariam, nempè ἔκφραξιν, deobstructionem. Causæ verò salubres huic indicationi satisfacientes sunt medicamenta ῥυπτικὰ καὶ τμητικὰ, abstergentia & incidentia. *Cap.* 94.

IX.

Obstructio intestinorum à duritie fæcum postulat 1. emollitionem: deinde emollitarum fæcum evacuationem. Illa fit per humidos pinguésque clysteres. Hæc per acres atque intestina ad expulsionem irritantes. *Cap.* 94.

X.

Obstructio vesicæ urinariæ à calculo duplicem curam habet. Unam ἐν τῷ παραυτίκα, in præsenti: ut nimirùm æger à dolore, quem

ἰσχυ-

ἰσχυρία parit, liberetur, & urinam liberè reddere possit: & est μετάθεσις, calculi transpositio. Alteram, quæ ἴασις est παντελής, integra & perfecta cura, nimirùm τὴν διὰ τομῆς κομιδὴν, incisionem & calculi extractionem. *Cap.* 94.

XI.

Obstructio ab humoribus præter naturam in parte contentis solvitur omnimodâ obstruentium humorum inanitione: ita ut nihil de illis in parte relinquatur: quia planè inutiles sunt nobisque inimici. Talis obstructio se offert in empyicis: in quibus purulenta materia bronchia pulmonum adeò obstruit, ut suffocationis periculum immineat. Itaque prorsùs exhaurienda est. *Cap.* 94.

XII.

Obstructio à plenitudine humorum, non toto genere p. n. existentium, qualis est, quæ visitur in πληθώρᾳ vasorum, vacuationem desiderat. *Cap.* 94.

XIII.

Obstructio ventriculi, intestinorum, asperæ arteriæ, ac pulmonis, à pure, aut sanguine in grumos converso excitata, totalem requirit inanitionem: quoniam & istæ materiæ toto genere p.n. sunt. *Cap.* 94.

XIV.

Repletio ventriculi à cibo potúque uberiore, quam ventriculus ferre & conficere non valet, sive recens sit, sive talis, in quâ cibus jam

dudùm deſcendit, & os ventriculi clauſum eſt, ſui vacuationem indicatur. *Cap.* 94.

XV.

Cæterùm, non ſufficit nôſſe, obſtruentes materias evacuandas eſſe: ſed vel inprimis etiam ſciendum, per quas vias evacuandæ ſint?

XVI.

Sunt autem *quæ in pectore* ac *pulmone continentur* educenda per aſperam arteriam cum tuſſi: & quidem medicamentis extenuantibus. *Quæ in hepate, venis, arteriis*, aut *renibus* ſita ſunt, vel per ductus urinæ, vel per alvum eliminanda. Prior vacuatio inſtituitur per διερητικά, quæ vehementer extenuant. Poſterior per illa, quæ ἑλκτικὰ καὶ ἀναστομωτικὰ appellantur. *Quæ in ventriculo hærent*, eradicanda vel per gulam, inſtitutâ vomitione. *Quæ in inteſtinis*, per ſeceſſum, factâ ſubductione. *Quæ ſub cute latitant*, uti fieri ſolet in tumoribus, per cutem ipſam exhaurienda, ſectione, aut uſtione: eáque vel igni, vel medicamentis cauſticis: ſiquidem ſenſibiliter impactam materiam evacuare fuerit animus. *Cap.* 94.

XVII.

Ut ſummatim dicamus, quæcúnque in aliquâ cavitate naturali, v. g. in thorace, & quæ ὅλῳ τῷ γένει p. n. in aliquibus partibus continentur, eorum ſanatio eſt ἆρσις, ablatio: quæ ſi ſit ἀδύνατον, μετάθεσις, tranſpoſitio ſufficiet. Quæ verò non ſunt ὅλῳ τῷ γένει παρὰ φύσιν, ſed quan-

quantitate solùm damnantur, in iis intentio curationis est ἡ ἀποκένωσις, abvacuatio, sive detractio eius, quod erat superfluum. *Cap.* 94.

XVIII.

Inventio verò eorum, quæ ad sanationem perducunt, ex duobus fontibus hauritur: 1. ex naturâ & essentiâ ipsiusmet affectûs. 2. ex partibus afflictis. *Cap.* 94.

XIX.

ASPERITAS partium præternaturalis curatur, si lævitas naturalis iis restituatur. Id quod fit, si v. g. ossa lævigemus: arteriam verò asperam, vel linguam leniamus medicamentis humidis, quæ lentorem habeant, & nihil mordeant. *Cap.* 95.

XX.

LÆVITAS partium tollitur, si revocetur asperitas medicamentis, quæ sufficienter abstergant, & parùm adstringant. *Cap.* 95.

XXI.

Obstructiones, quæ non à materiâ aliquâ cavitatem partis occupante oriuntur: sed quæ alios affectus consequuntur, quomodo curandæ sint, in specie significandum.

XXII.

Non possunt autem curari, nisi priùs ægritudines illæ sint ablatæ. Ideóque curationem ab earum remotione auspicari oportet. *Cap.* 95.

XXIII.

Quodsi quæras, quænam illæ sint ægritudi-

nes, quas obstructiones & angustiæ meatuum sequuntur? Respondet *Galenus*, ostensum fuisse *l. de differ. morbor.* esse inflammationes, œdemata, scirrhos, siccitates immodicas, vitiosas partium continentium figuras, & tumores τῶν πέριξ σωμάτων, eorum corporum, quæ sunt in ambitu, h. e. quæ ipsa quidem cavitates habent nullas: iis tamen vicina sunt, quæ cavitatibus ac meatibus sunt prædita, ac propterea partes illas comprimunt, comprimendóque angustiores reddunt. *Cap.* 95.

XXIV.

Quare, si contingat, ut quædam horum vitiorum complicentur, plures etiam indicationes se offerent. *Cap.* 95.

XXV.

Ut autem appareat, quomodo complicati hi affectus curandi sint, unico declarâsse exemplo sufficiet. De omnibus enim pleniùs actum in *methodo medendi. Cap.* 95.

XXVI.

Supponatur, inquit *Gal.* sanguinem in partem aliquam fluere adeò, ut vasa, quæ in eâ sunt, distendantur, non majora solùm, sed etiam minora, quæ priùs sensum effugiebāt: nunc verò, quia plena sunt, manifestè conspiciantur: quemadmodum fieri consuevit in ὀφθαλμία, in quâ capillares tunicę adnatæ, sive conjunctivæ, venulæ ob sanguinis affluxum ita replentur, ut propter tunicæ illius albedinem manifestè cernantur.

nantur. Itaque par eſt, ut & alia vaſa, ſenſum latentia, jam plena diſtendantur, & periculum immineat, ne, quod ex vaſis exudat, ad inania ſpatia, quæ ſunt in medio, effundatur: aut ne jam modicum quid ſit effuſum. *Cap.* 95.

XXVII.

Varius ſanè & multiplex hîc eſt affectus: nimirùm tumor p. n. affluxus ſanguinis: intemperies calida & humida: nec non venarũ meatuúmque obſtructio. Scopus verò curandi ſumitur à causâ, nimirùm à repletione: cui cùm contraria ſit κένωσις, vacuatio: ideò cura in κενώσει, vel potiùs in ἀποκενώσει conſiſtet. *Cap.* 95.

XXVIII.

Modus verò, quo pars repleta vacuari poſſit, duplex eſt. Neceſſe enim eſt, ut ſanguis, qui influxit, vacuetur per παλινδρομὴν, remeationem, ſive recurſum & retroceſſionem ad loca, unde manavit: vel per ipſam partem affectam educatur. *Cap.* 95.

XXIX.

Retrocedit autem ſanguis, vel ὠσθεὶς, impulſus, h. e. repercuſſus per medicamenta ἀποκρουστικὰ, repellentia: vel ἑλχθεὶς, attractus, h. e. in contrarium raptus per præſidia ἀντισπαστικὰ: vel παραπεμφθεὶς, tranſmiſſus, h. e. ad loca vicina derivatus. Et quidem aut uno aliquo horum medorum: aut omnibus. *Cap* 95.

XXX.

Vacuatur verò per partem affectam aut φα-

νεϱῶς καὶ αἰσθητῶς, manifestè & sensibiliter: aut ἀδήλως, nimirum εἰς ἀτμοὺς λεπτυνθεὶς, insensibiliter in vapores tenuatus, per modum διαφορήσεως, discussionis, sive digestionis. *Cap.* 95.

XXXI.

Porrò, antequam vacuationem moliamur, & indicationi à phlegmones naturâ petitæ satisfaciamus, considerandum est, an totum corpus sit πληθωρικότερον necné? Nam si tale sit, vacuatio per partem affectam neque sensibiliter, neque insensibiliter instituenda. *Cap.* 95.

XXXII.

Non sensibiliter per scarificationes, aut sectiones: quoniam talis vacuatio dolorem excitat: & hujus causâ plus attrahit sanguinis. Non insensibiliter per medicamenta διαφορητικά: quoniam talia calida sunt. At vi caloris plus ad partem laborantem attrahetur, quàm discutietur. *Cap.* 95.

XXXIII.

Quodsi in eo elaboraverimus, ut sanguis, qui influxit, retrocedat per pharmaca repercutientia, certè corpus, quod præsupponitur πληθωρικὸν esse, remeantem sanguinem non admittet. Venæ enim ejus sunt repletæ: & nullus est remeanti sanguini locus. *Cap.* 95.

XXXIV.

Hîc si rogetur, quid ergò faciendum: cùm dictum antè, scopum curationis in vacuatione illius, quod influxit, consistere? Respondet *Gal.*

l.to-

I. totius corporis πληθώραν esse tollendam. II. ad contraria loca id, quod ad partem affectam influit, revellendum. III. repellentibus utendum. IV. digerendum discutiendúmque, quod est parti affectæ impactum. *Cap. 95.*

XXXV.

Cur autem repellentia discutientibus præmitti debeant, *Galenus* hanc rationem reddit: quia humore introrsum repercusso, minus in affectâ parte materiei relinquitur. Ex quo meatus ac vasa, in quibus ille continebatur, expeditiora laxioráque evadunt. Ideóque reliquum quod est, per ea faciliùs & promptiùs, quàm si obstructa adhùc essent, digeretur. *Cap. 95.*

XXXVI.

Vacuatione & revulsione præmissâ, quæ omninò in corpore πληθωρικῷ dictas ob causas præmittenda est: adstringentibus & refrigerantibus præsidiis utendnm. Hæc enim partis substantiam contrahunt, contrahendóque sanguinem impactum exprimunt: & sic illum à loco affecto repellunt. *Cap. 95.*

XXXVII.

Retrocedet autem & remeabit sanguis hoc curandi ordine observato faciliùs, duabus de causis. I. quia partes ob prægressam universalem vacuationem inanitæ, non solùm sanguinem repercussum commodè excipiunt: sed etiam ob egestatem eundem ad se trahunt. II. quia vasa partis affectæ adstringentium usu roborantur,

rantur, vigorémque acquirunt: atque ita inhærentem sibi humorem à se ad loca alia remittunt. *Cap. 95.*

XXXVIII.

Quodsi igitur per repellentium usum sanguis, qui influxit, totus retrocesserit, benè se res habet: neque aliis opus est remediis: nisi fortè intemperies in parte ab illo fuerit derelicta: de cujus tamen correctione dicetur infrà. At si in parte laboráte aliquid sit retentũ, quod repelli non potuit, conjecturandum erit, id lentum existere ac crassum, eámque ob causam coactum atque adstrictum, ut ægrè difficultérque extrahi possit. Aut non quidem lentum & crassum esse: sed tamen in spatia intermedia effusum: è quibus παλινδρομὴ ad vasa aut impossibilis est: aut certè perquàm difficilis. *Cap. 95.*

XXXIX.

Hoc ergò in casu, quod reliquum est per patientem locum evacuandum; & quidem tùm insensibiliter per medicamenta διαφορητικὰ: tùm sensibiliter per scarificationes & incisiones. Et quia διαφορητικὰ ob calorem novam attrahere materiam valent; sectiones verò ob dolorem, quem excitant, fluxionem novam accersere queunt: ideò partibus supra affectum locum sitis frigida & adstringentia medicamina imponenda sunt, ut fluxiori via præcludatur. *Cap. 95.*

Porrò,

XL.

Porrò, cùm id, quod in parte inflammatâ relinquitur, vel effusum sit in spatia intermedia, quæ inter partes similares observantur: vel in capillaribus adhùc venulis inflammatæ partis contineatur: subdit *Galenus*, quamvis vacuatio per partem affectam sensibilis in utroque casu sit conveniens; necessariam tamen magis esse, cùm conjecturâ assequimur, aliquid in spatiolis intermediis contineri. *Cap. 95.*

XLI.

Non autem satis esse innuit, ut sciamus, diaphoreticis, sive degerentibus & discutientibus medicamentis, quæ scil. impactam materiam rarefaciant, attenuent, & in halitum vertant, opus esse: sed multa etiam in eorum dextro ac legitimo usu perpendenda; ob quorum diversitatem non parùm illa variari consueverunt. Quapropter I. ostendit, qualia esse debeant διαφορητικά? II. quomodo pro varietate partium, quibus applicantur, varianda sint, monstrat.

XLII.

Prius quod attinet, inquit *Gal.* cùm omnia διαφορητικά calida sint, cavenda cumprimis ea esse, quæ vehementer calefaciunt. Talia enim mordent: mordendo dolorem excitant: dolorem excitando fluxiones commovent: & quidem tùm maximè, cùm pars affecta est in superficie corporis sita. Contrà, eligenda illa, quæ calida sunt mediocriter. Hæc enim doloris sensum

ſum minimè invehunt: præſertim ſi humida extiterint. *Cap. 95.*

XLIII.

Poſterius quod ſpectat, monet idem *Galen.* plurima in partibus conſideranda eſſe, ut diaphoreticis rectè utamur.

XLIV.

I. enim partium SITUS expendendus. Affectus enim hæret vel in corporis ſuperficie: vel in corporis profundo demerſus eſt. In priori ergò διαφορητικὰ uſurpāda, quæ modicè calida ſint. Nam etſi hæc vehementer calida nō ſint: ſat tamen viriū habent ad digerendū diſcutiendúmque id, quod in corporis ſuperficie continetur. Proximè quippe illud attingunt, integriſque viribus in id agunt. In poſteriori verò calidiora conveniunt: modò partes externæ, quibus immediatè applicantur, omni noxâ careant; h. e. neque inflammatæ ſint ipſæ, neque inflammatis partibus compatiantur. Ratio eſt: quoniam debiliora διαφορητικὰ, priusquam profundas corporis partes, quarum gratiâ adhibentur, attingant, vires ſuas amittunt. Ideóque meritò eorum calor intendendus atque augendus. Audacter ergò & intrepidè in ejusmodi caſu calidiora acrioráque διαφορητικὰ uſurpare poſſumus: & id quidem tùm ratione partium ſuperficiem corporis occupantium, quæ ea tolerant: tùm ratione partium profundarum, quæ phlegmone laborant, ac propterea diaphoreticis opus habent. *Cap. 95.*

II. Par-

XLV.

II. Partium SUBSTANTIA perpendenda. Nam & ob hanc diaphoretica variari contingit. Sunt autem partes, in quibus fluxionis residuum digerendum, vel naturâ raræ, laxæ & molles: vel densæ, compactæ & duræ. Priores vacuantur facilè. Ideóque validis diaphoreticis non egent. Posteriores evacuantur difficulter. Proin calidiora acrioráque desiderant diaphoretica: & insuper etiam talia, quæ tenuia sint & penetrantia: cóque magis, quò profundiorem situm obtinuerint. *Cap. 95.*

XLVI.

III. Partium FORMATIO & SITUS simul, sive societas & connexio ponderanda. Nam hujus causâ variari curam, *Galenus* exemplo hepatis inflammati declarat. Supponatur, inquit, hepar inflammatum esse, & non totam humorum affluxionem revelli, derivari, aut repelli potuisse: sed portionem humoris morbifici in angustis extremisque hujus visceris venis derelictam esse: quæ vel ob lentorem ac tenacitatem, vel crassitiem, vel multitudinem præsidiis revellentibus, derivantibus ac repercutientibus minimè cesserit. Hîc sanè, ut reliquiæ phlegmones eradicentur, alia curandi ratio ineunda: quam quidem ex hepatis formatione & situ invenimus. In eo namque & numerosæ, & amplæ venæ reperiuntur: quarum aliæ cum venâ cavâ: aliæ cum venâ portæ socie-

tatem

tatem habent. Nam quæ sunt ἐν τοῖς σιμοῖς, in gibbâ hepatis parte, cum venâ cavâ: quæ verò ἐν τοῖς κιρτοῖς, in cavâ illius parte consistunt, cum venâ portæ junctæ sunt. Itaque, cùm quod ex phlegmone relictum est, intrò ferri nec ὤσει per repercutientia: nec ἕλξει per præsidia revulsoria: nec scarificatione foràs educi possit, alia via quærenda, per quam hepar à residuo phlegmones liberari queat. Cúmque lentum crassúmque id esse præsupponatur, ideò I. cibis ac potibus, nec non pharmacis extenuantibus incidendum subtiliandúmque. II. sic præparatum, & quasi fluxile redditum, non solùm per angustos insensibilésque poros diaphoreticorum usu discutiendum: verùm etiam per meatus patentes, alvum scil. ductúsque urinarios evacuandum. Per alvum quidem id, quod ἐν τοῖς κιρτοῖς, in cavâ hepatis parte continetur: nimirùm beneficio medicamentorum attrahentium, h.e. purgantium. Per ductus autem urinarios illud, quod ἐν τοῖς σιμοῖς, in gibbâ ejus parte residet. *Cap.* 95.

XLVII.

IV. Partium VIRTUS, DIGNITAS atque PRÆSTANTIA spectanda. Sunt enim aliæ principes: aliæ principibus inservientes. Nobilium ergo diligens ratio habenda: neque perfusionibus & relaxantibus cataplasmatibus tonus earum dissolvendus: sed adstringentia semper admiscenda. Manet autem *Gal.* in ex-

emplo

emplo proposito: & præceptum datum hepatis exemplo illustrat. Hoc enim cùm non solùm se ipsum regere naturâ aptum sit, ut pleræque aliæ animalis partes: sed venarum quoq; principium sit, iisque virtutem aliquam, scil. sanguificandi, largiatur: periculum immineret, ne, si digerere & discutere id, quod ex phlegmone relictum est, studeremus, tonum illius perfusionibus, fomentationibus, emplastris, unguentis, linimentis, cataplasmatibus, aliisque topicis relaxantibus dissolveremus. Talia enim sunt diaphoretica, quibus uti ad discutiendum id, quod derelictum est, cogimur. Tono autem hepatis dissoluto, duplex sequeretur incommodum. I. quidem hepar ipsum ad opus suum obeundum, αἱματῶσιν scil. inefficax redderetur. II. venæ ab hepate prodeuntes suo in officio imbecilliores evaderent. Quare, ut omne evitetur periculum, diaphoretica & relaxantia pharmaca partibus nobilibus sola applicanda non sunt: sed adstringentia iis addenda. Verùm, cùm hepar in profundo admodùm loco situm sit: adstringentia autem, utpote crassæ terrenæque substantiæ, non ita penetrent: pigra quoque sint ad motum: ideò ne, antequam ad locum affectum vis eorum perveniat, in ipso itineris cursu hebetetur, melius inquit *Galenus* esse, si adstringens medicamentum fuerit aromaticum & partium tenuium. Nam si duas habuerit naturâ insitas qualitates ac facultates,

alteram ſcil. adſtringentem, quæ tonum hepatis conſervet: alteram tenuem, quæ altè penetret, valentiùs operabitur. Vis enim tenuis & aromatica potenter penetrat, adeóque vehiculi officio fungitur. *Cap. 95.*

XLVIII.

Hæc eſt methodica curatio inflammationis, quæ ſuprà præſupponebatur obſtructionis cauſa: quâ finitâ, obſtructio quidem ipſa, quæ ab illâ dependet, perſanatur: ita ut peculiari aliquâ obſtructionis curatione opus non ſit. Verùm, cùm à cauſâ inflamationis, ipſo nimirùm ſanguine, intemperies aliqua in parte relinqui poſſit: idcircò quomodo illa emendari debeat, breviter ſignificandum.

XLIX.

Rectè autem de illâ poſtremo agitur loco: quoniam intemperies corrigi non poteſt, niſi obſtructio ſit dempta. Hæc autem tolli nequit, niſi cauſa inflammationis, à quâ ipſa quoque obſtructio dependet, ſit remota.

L.

Supponatur ergò, totam materiam, quæ in partem influxerat, evacuatam eſſe: & partem poſt illius evacuationem modum humorum naturæ congruentem in quantitate ac qualitate ſervare: conſiderandum venit, an affectæ partis temperatura ab humoris, qui influxit, qualitate alterata ſit, necné? v. g. ſi fluxio fuit phlegmatica, an pars facta ſit frigidior? ſi bilio-

ſa.

ſa, num calidior evaſerit? Intemperies enim relicta talis eſſe conſuevit, qualis erat humor, qui influxit. *Cap.* 95.

LI.

Hoc autem propterea conſiderandum, ut ſi derelicta ſit aliqua intemperies, eam curemus, partémque phlegmone obſeſſam perfectè ſanemus. Itaque, ſi talis introducta ſit δυσκρασία, ſcire cõvenit, cùm cauſa ejus jam ſit eliminanta, eam unam ſolùm præbere indicationẽ, contrariæ ſcil. qualitatis oblationem. *Cap.* 95.

LII.

Quocircà, calida intemperies curabitur remediis frigidis: frigida calidis: quemadmodum ſuprà *Cap.* 89. oſtenſum, cùm de intemperierum curatione ageretur? *Cap.* 95.

LIII.

Ea verò eodem exceſſu, quo pars intemperata à naturali ſtatu receſſit; adhiberi debent. Nam ſi v.g. pars aliqua tribus gradibus in caliditate à nativo temperamento declinavit, tùm remedium contrarium, quod hîc eſt frigidum, tribus quoque gradibus recedere à mediocritate tenetur. *Cap.* 95. Hoc enim (*addimus nos*) intemperiei impreſſæ verè adverſatur: quia vehementius contrariam gignit intemperiem: remiſſum & debile intemperiem non delet: par autem eandem curat, & ad mediocritatem quandam reducit.

LIV.

Ex quo conſequitur, quod ſi perfectè curare δυσκρασίας voluerimus, neceſſarium eſſe, ut nativa partium ſingularum temperamenta cognita habeamus. His enim ignoratis, ignorabitur etiam, quantum in frigiditate, aut caliditate pars à naturæ modo receſſerit. Latebit etiam nos, quando à frigefaciendo deſiſtendum ſit, ſi neſciverimus eam, quæ eſt ſecundum naturam, caliditaté. Pari ratione, ſi frigiditatis naturalis modus nos fugerit, fugiet quoque nos, tùm quantum calefaciendum: tùm quando calefactioni finis imponendus. *Cap.* 95.

LV.

Hæc de cauſis ſalubribus, h. e. curatricibus morborum partium organicarum, qui conſiſtunt ἐν διαπλάσει, in conformatione. Tranſeamus ad illas, quæ morbos in NUMERO curant. *Cap.* 96.

LVI.

Eſt verò morbus in numero duplex. Nam vel in exuperantiâ, vel in defectu peccatur Numerus quippe partium aut abundat, aut deficit. Abundat, cùm pars aliqua eſt ſuperflua, & adeſt, quæ abeſſe debebat. Deficit, cùm pars neceſſaria deſideratur.

LVII.

Quapropter, quibus particula aliqua deeſt, in iis intentio eſt eam reparandi. Reparabitur autem, ſi præcepta *Cap.* 90. & 91. tradita obſer-

vave-

vaverimus: h. e. si naturæ eo modo, qui locis allegatis indicatus, inservierimus. *Cap.96.*

LVIII.

Natura enim (dicimus nos) est δημιουργὸς, & deficientes partes ex nutrimento reparat. Medicus illius est ὑπηρέτης, & alimentum, tùm quantitate, tùm qualitate conveniens subministrat: & impedimenta, quæ naturam in regenerando morantur, removet.

LIX.

At in quibus pars aliqua redundat, in iis intentio est eam aufferendi, vel scalpello, vel igne, vel medicamento καυστικῷ, urendi facultate prædito. *Cap. 96.*

LX.

Hi sunt morbi in numero, & hæ sunt intentiones in curatione eorum. Sciendum autem, *omnes ferè morbos in numero excedente* curari posse. Sed non æquè omnes, *qui in numero deficiente* consistunt, sanationem admittunt: quemadmodum *l 1. de semine c.* 11. dictum. *Cap 96.*

LXI.

Ratio est: quia non omnes partes regenerari queunt: cujus generis sunt spermaticæ.

LXII.

Cæterùm, licet ejusmodi partes reparari non possint: possunt tamen generari talia, quæ non quidem ejusdem cum illis sint speciei: sed tamen iis aliquo modo similia, earúmque vices suppleant. *Cap.96.*

LXIII.

Osse namque ex toto ſublato, ſubſtantiam quandam in ejus locum ſufficere licet, à carne & oſſe differentem: quæ quidem in principio, cùm ſcil. in ablati oſſis loco generatur, media eſt inter carnem & callum: caro ſcil. calloſa: aut callus carnoſus. At temporis progreſſu magis magíſque induratur, callóque ſimilior evadit: cùm ab initio carnis potiùs naturam imitaretur. *Cap.* 96.

LXIV.

Quodſi organum aliquod ſit ablatum, & neque idem ſpecie cum illo, neque ſimile reſtitui poſſit, tunc tertia ſupereſt intentio, nimirùm ut in ejus locum ſufficiatur aliquid arte, quod ad ornatum potiùs & pulchritudinem, quàm ad uſum ſit comparatum. *Cap.* 96.

LXV.

Hac arte uti ſolent Cheirurgi in κολοβώμασι, mutilatis: v. g. cùm vel oculus eſt exemptus: vel naſus detruncatus: vel pes ablatus: vel manus amputata: & eam deficientium ſupplementum appellant. *Cap.* 96.

LXVI.

Sequitur tertium morborum organicorum genus, vitium ſcil. in MAGNITUDINE: cum quo communicat illud, de quo jam verba facta, & quod in NUMERO poſitum eſſe diximus. *Cap.* 97.

Nam

LXVII.

Nam morbus in numero, in quo res redundat naturalis, similis est morbo in magnitudine auctâ. Et rursus, morbus in numero, in quo deest res naturalis, similis est morbo in magnitudine diminutâ. *Cap. 97* Ratio est: quia sicut ibi ob πλεονασμὸν rei naturalis, puta, sexti digiti, aut tertii testiculi, & πλεονασμὸν magnitudinis, numerus partium & quantitas organi augetur: ita hîc ob ἔλλειψιν rei naturalis & magnitudinis numerus partium & quantitas diminuitur.

LXVIII.

Est verò morbus in numero, in quo res præter naturam abundat, dissimilis morbo in magnitudine auctâ. Talis namque excessus in numero nihil addit in membri quantitate.

LXIX.

Porrò, morbus in magnitudine duplex est: alter in excessu: alter in defectu: & uterque rursus vel universalis est totius corporis: vel particularis certi alicujus membri: velut constat ex *c. 9. l. de diff. morbor.*

LXX.

Itaque, qui in excessu est, & immodicum augmentum appellatur: sive universale sit, quale fuisse Nicomacho Smyrnæo *Gal. loco citato* testatur: sive particulare: cujusmodi aliquando in linguâ, & mammis observatur, ἀφαίρεσιν ἢ καθαίρεσιν τῶν ὑπερβαλλόντων, ablationem, & abolitionem superabundantiæ indicat. Qui

verò positus est in defectu, & diminutio magnitudinis dicitur, sive universalis sit, qualis esse solet in hectica & φθίσει. sive particularis: cujusmodi deprehenditur in partium ἀτροφία, ἀνάθρεψιν, refectionem, ἢ γένεσιν, generationem τῶν ἐλλιπόντων, deficientium postulat. *Cap.* 97.

LXXI.

Eadem ergò est curandi intentio in vitio utroque, Numeri scil. & Magnitudinis: eadémque forma præsidiorum. In utriusque enim defectu intentio est sarciendi defectum, & quidem per remedia genere eadem, quæ alunt & reficiunt. In utriusque autem excessu scopus est demendi ac minuendi, quod deest..

LXXII.

Superest morbus organicarum partium in SITU: cujus salubres quoque causæ brevissimè tradendæ. *Cap.* 98.

LXXIII.

Exempla hujus morbi se offerunt in ἐξαρθρήμασι, luxationibus ossium, & ἐντεροκήλῃ, in quâ intestinum delapsum est in scrotum. *Cap.* 98.

LXXIV.

Fit autem ἐξάρθρημα vel ob violentam τάσιν, tensionem: vel ob violentam ὦσιν, impulsionem. Ἐντεροκήλη verò accidit, ob dilatatum, ruptúmve περιέχον, continens, quod est peritonæum, *Cap.* 98.

LXXV.

Ἐξαρθρήματα ergò curantur, si ossa luxata extendan-

tendan,

tendantur, & ad oppositam partem impellantur.

LXXVI.

Ἐντεροκήλη verò sanatur, si intestinum primùm ad locum solitum retrudatur: deinde peritonæum firmius solidiúsque reddatur. Quibus autem viis ac rationibus singula inveniantur, in *lib. de meth. med.* explicatum est.

Corollaria.

I.

AN sub diætâ cibi tantùm & potus: an omnes res non naturales comprehendantur? *Vsitatum quidem est, diætæ nomine solos cibos ac potus indigitare. Verùm ex Galeno constat, diætæ nomine venire etiam reliquas res non naturales,* comm. 3. in l. 3. epidem. §. 9. & comm. 1. in l. de vict. aut. §. 6.

II.

An optimè constitutum corpus tantum ciborum appetat, quantum concoquere valet? *Galenus ajentem defendit* cap. 85. *ac propterea scribit, tale corpus nullo egere præside, qui ciborum quantitatem metiatur & præscribat. Liquet hoc ex corpore intemperato, cui ventriculus v. g. vel calidior est, vel frigidior. Calidior namque meliùs quidem concoquit, quàm appetat: frigidior verò plura appetit, quam conficere queat: quemadmodum constat ex* cap. 62. & 63.

III.

An natura alterationes subitò ac repentè factas ferat? *Negat* Galenus cap. 86. *Propterea monet, si corpus, quod ab optima constitutione in* κράσει *nonnihil recessit, mutare, atque ad melius traducere voluerimus, id faciendum esse sensim. Naturam enim minimè pati alterationes subitò ac repentè factas. Id quod desumptum videtur ex* aphor. 51. sect. 2. *Rationem dat* Galen. in commento: *quoniam natura consistit in quadam mediocritate: quam cùm alterationes subitò factæ destruant, ideò ab* Hippoc. *dicuntur naturæ inimicæ.*

IV.

An remedia morbis debeant esse paria? an superiora? an inferiora? Galen. cap. 89. *cùm modum præscribit, quo corpora intemperie laborantia curanda sint, docet, alterantia medicamenta debere esse intemperiei paria, & tantum à temperatis recedere, quantum corpus à mediocritate recessit, sed in qualitate opposità. Ratio est: quoniam quæ affectu longè superiora sunt, contrariam planè intemperiem pariunt. Quæ multò sunt inferiora & debiliora, affectum minimè tollunt. Quæ verò eidem sunt paria, eam ad mediocritatem quandam deducunt. Quodsi aliquot adhùc gradus medicamento alteranti addit, id facit, non affectûs, sed vel ipsiusmet medicamenti alterantis, vel densioris, aut in profundiore loco sitæ partis causâ: quemadmodum liquet ex Textu* cap. 89. *Obijcies:*

Aristo-

Aristotelem *tamen* lib. I. de gen. & inter. *dicere, ab æqualibus, sive paribus actionem non fieri: sed agens patiente semper debere esse robustius. Respondetur, actionem esse duplicem: unam, cùm alterum agens ita dominatur alter, ut illud vincat, suamque in naturam convertat. Alteram, cùm ex amborum actione nulla consequitur victoria: sed ambo ita obtunduntur, ut ad mediocritatem quandam perveniant. De priori loquitur* Aristoteles. *De posteriori* Galenus. *Docet enim, quando δυσκρασία ad συμμετρίαν reduci debeat? quæ mutatio æqualitatem certè agentium requirit. Nam si causæ alterantes intemperie essent longè fortiores, tùm non priorem solùm intemperiem mutarent: sed contrariam planè introducerent: quæ tamen, quia ἀσύμμετρος est, minimè desideratur. Sin inferiores, nil efficerent, neque δυσκρασίαν ad συμμετρίαν transferrent.*

V.

An non quandoque leviora primùm tentanda remedia: posteà, si nil proficiant, aggredienda majora? *Galenus* lib. 5. meth. med. c. 15. *scribit, placitum fuisse nonnullorum Medicorum, à parvis incipiendum esse auxiliis: &, si nil effecerint, ad validiora demùm accedendum. Sed ἐπίκρισιν suam statim subjungit, & inquit, in morbis, in quibus periculum non impendet, veram hanc esse opinionem: alienam autem à ratione, si malum adeò vehemens sit, ut mortis periculum immineat. Nam &* Hippocratem *non fuisse cunctatum in hujusmodi morbis*

bis: sed extremis extrema statim consuluisse remedia, aphor. 6. sect. 1. *Id quod etiam aphorismis aliis probari potest. Etenim* aphor. 23. s. 1. *sanguinis detractionem usque ad animi deliquiuus probat: &* aphor. 3. s. 1. *habitum plethoricum, utpote caloris suffocationem, venarum ruptionem, apoplexiam, aliósque graves affectus minantem, haud cunctanter, non per leviora præsidia, v. g. frictiones, parciorem cibum, exercitia corporis, balnea, inunctiones digerentes, &c. Sed per auxilium magnum & generosum, venæ scil. sectionem solvendum præcipit. Imò &* Gal. lib. de cur. rat. per S. M. c. 12. *in ardentißimis febribus sanguinem usque ad leipothymiam detrahit.* Arbitramur, *leviora adhiberi posse remedia in affectionibus, quæ periculo vacāt: præsertim si vel virium infirmitas, vel regionis caliditas, vel æstatis fervor, vel ætatis imbecillitas adsit. Ratio est: quia vehementiora non sine corporis offensione, & perturbatione magnâ, gravíque naturæ jacturâ usurpari possunt. Volumus autem leviora præsidia iterari. Sic enim quod validiora semel præstant, quanquam cum corporis & naturæ dispendio, id leviora repetita moliuntur sensim & paulatim, & ita quidem, ut natura quàm minimûm offendatur. In affectibus verò periculosis, qui celerem postulant opem, &, nî adferatur, mortem minantur, placet, ut remedia statim adhibeantur magna & generosa. Neceßitas enim in illis urget, Ideóque inter duo mala eligendum minus: & vis, quæ naturæ infertur, postea sarcienda.*

Qui

VI.

Qui dicantur βλαισσοὶ, blæsi, valgi & vacia? qui ῥαιβοὶ, vari? *Vtitur hisce vocabulis* Gal. c. 87. *Vocantur autem* βλαισσοὶ, *quibus crura in partẽ exteriorem sunt obtorta.* Ῥαιβοὶ, *quorum crura sunt obtorta introrsum. Habet verò vox* βλαισσοῦ *etiam significationes alias. Nã &* βλαισσοὶ *dicũtur, quibus membra sunt* παραλυτικά. *Appellantur & quibus lingua impedita est, & qui literam aliquam exprimere non possunt.*

VII.

An distorta varorum & valgorum crura corrigi & emendari queant? *Respondet* Gal. cap. 87. *emendari posse in recens natis: & quidem partim formatione, quæ fit operâ manuum: partim deligatione, quæ fit fasciis. Ratio est: quia ossa infantulorum sunt, ut* Galen *loquitur* l. 2. de temperam. c. 2. *propter humiditatem ceræ in modum flexibilia: adeò ut facilè aliam recipere figuram possint. Quam autem figuram habent ossa, eam quoque nanciscuntur membra ipsa, quorum compositionem ingrediuntur. Scribit namque* Hipp. lib. de nat. ossium, τὰ ὀστέα παρέχειν τῷ σώματι καὶ τὴν στάσιν, καὶ τὴν ὀρθότητα, καὶ τὸ εἶδος; *ossa præbere corpori, & stabilitatem, & rectitudinem, & figuram. Adultorum verò ossa exiccata sunt, & indurata. Ideóque non sunt ampliùs sequacia & ductilia. Aliam ergò figuram recipere nequeunt.*

VIII.

Verumné illud Galeni c. 87. quies & deli-

gatio

gatio cavitates amplas reddunt angustiores: actio verò partium & spiritûs cohibitio angustas cavitates ampliores faciunt? *Deligatio, quæ fasciis perficitur, angustiores reddit cavitates I. quia comprimendo partium dilatationem impedit. II. quia alimentum à partibus reprimit: quo deficiente, partes earúmque cavitates minores evadunt. Sed ligaturæ non debent esse dolorificæ, quales sunt, quæ arctiores. Hæ enim affluxum sanguinis causant: qui non minores, sed omninò ampliores efficere partes consuevit.* Quies *calorem reddit torpidum. Hinc partes minùs dilatantur: quoniam calor vim dilatandi habet. Adhæc, parcior per quietem fit sanguinis attractio: & per consequens etiam infelicior nutritio: quo fit, ut partes minores angustiorésque reddantur.* Actio & motus *nativum calorem exuscitat & auget: alimentum uberiùs allicit: meliorémque concoctionem facit. Unde partes crescunt, & in ampliorem molem elevantur: præsertim si adhùc humidæ sint, & molles, ac ob id sequaces ac ductiles.* Advertendum *autem, per* quietem *intelligi posse, & cessationem motûs voluntarij, & proprij officij intermissionem.* Per ἐνέργειαν, actionem, *similiter vel peculiare partiū exercitium, vel actionem illam, cujus gratiâ à naturâ conditæ sunt, inaudiri posse. Et sic ventriculus atque intestina temporis progressu ampliora fiunt cibo ac potu: vesica urinariâ lotio: uterus fœtu: vasa spermatica jugi seminis transitu: thorax ejusque partes spiritûs cohibitione.*

An

IX.

An quies & ligatura partes reddat minores: motus, frictio, & quæ sanguinem attrahunt, majores? *Annuit* Galenus cap. 87. μικροτέχν. *Et de* quiete *quidem res est clara. Cùm enim per illam calor torpeat, naturales sanè actiones fiunt deteriores: & proin etiam attractio, nutritio atq; auctio.* Ligatura *sanguinem ad partem fluere prohibet: & eum, qui affluxit, reprimit. Hinc partes penuriâ alimenti liberantes extenuantur. Intelligit autem* Galenus *ligaturam, neque laxam nimis, neque valdè fortem. Illa enim sanguinem admittit, nihilque ejus exprimit. Hæc verò dolorifica est, ac propterea sanguinis affluxum accersit.* Motus *calorem exuscitat: qui sanguinẽ postea attrahit, & alimentum attractum probè concoquit. Vnde felix nutritio: unde corporis auctio. Loquimur autem de motu modico: non immodico, qui corpus siccat & emaciat.* Frictio *moderata ob attritum calefacit, poros aperit, sanguinem attrahit, & attractâ auctionis materiâ, partes ampliat.* Sanguinem autem *attrahunt fotus rerum calidarum, inunctiones calorificæ, dropaces, & sinapismi: quemadmodum praxis in* ἀτροφίᾳ *membrorum docet.*

X.

An partes sanguineæ, sive carnosæ, si ablatæ sint, regenerari queant? *Ab ajente stat* Galen. c. 87. μικροτ. *Causas tradit duas* l. 1. de sem. c. 11. *I. quia materiam suæ generationis habent copiosam: nempè sanguinem. II. quia materia hæc facilè in*

carnem

carnem verti potest. Est enim illi similis valdéque vicina: & levem solùm mutationem postulat, ut caro fiat. Videtur enim caro sanguis tantùm esse exiccatus, induratus, & quasi coagulatus. Nos addimus *rationem tertiā: quia vis carnem generans in parte carnosâ ob caloris robur valida est atque robusta. Et experientia sanè etiam demonstrat in ulceribus carnis, carnem promptè & expeditè reparari posse.*

XI.

Utrum partes spermaticæ possint regenerari? Galenus cap. 87. μικροῦ. dicit, *reparationem earum propemodùm esse ἀδύνατον.* Lib. 1. de sem. c. 11. *scribit, eas aut nunquam, aut raro admodùm renasci. Causa redditur ab* Eodem ibid. c. 13. Nos *ex allegato libro respondemus, molles spermaticas, quæ unâ & simplici substantiâ sunt præditæ, ut venas, regenerari posse: sed raro; & non nisi hisce præsentibus conditionibus. I. si materia adsit sufficiens. II. si vis formatrix sit valida satis. III. si carnis generatio minimè præoccupaverit. At si sint multiplici, eáque durâ & siccâ substantiâ donatæ, nunquam reparari: idque ob causas contrarias. Vide* Galenum *fusiùs differentem* c. 11. 12. & 13. l. 1. de sem. *Hæ III. causæ cùm rarò admodùm concurrant, fit, ut etiam partes spermaticæ vel nunquam, vel rarò admodùm renascantur.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XXIX.

In almâ Argentoratensium
Academiâ proposita,

PRÆSIDE


MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite
Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

PHILIPPO ANSORG
Argentoratensi.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXII.





Thesis I.

Actum hactenùs fuit de Causis salubribus corporum sanorum & ægrotantium: ex quibus sanorum quidem dicuntur φυλακτικαὶ, conservatrices; ægrotantium autem ποιητικαὶ καὶ θεραπευτικαὶ, efficientes & curatrices. Supersunt causæ salubres corporum neutrorum. Ea cùm duplicia sint: neutra decidentiæ, quæ ob collecta morbificarum causarum semina in ægritudines facilè incidere possunt: & neutra convalescentiæ, quæ ex morbis emergunt: æquum est, ut & illorum quoque causæ salubres paucis explicentur. Dicuntur autem causæ salubres corporum neutrorum decidentiæ προφυλακτικαὶ, præservatrices: neutrorum verò convalescentiæ ἀναληπτικαὶ καὶ ἀναθρεπτικαὶ, refocillantes & renutrientes, sive instaurantes & reficientes. De illis dicemus hac: de istis sequenti disputatione ultimâ, favente DOMINO: verba faciemus. *Causæ salubres προφυλακτικαὶ quæ pertinent ad corpora neutra decidentiæ.*

II.

Sunt autem tria prophylacticarum causarum genera, pro triplici corporum, quibus applicantur, constitutione. *Cap.* 99.

Pri-

III.

Primum eſt hominum ἀμέμπτως ὑγιαινόντων, inculpatâ & integrâ ſanitate fruentium. Secundum μεμπτῶς ὑγιαινόντων, eorum, qui non integrè valent. Tertium τῶν νοσούντων, illorum, qui ægrotant. *Cap.* 99.

IV.

Primum genus pertinet ad artis partem ὑγιεινὴν: eſtque duplex: ut *c.* 86. dictum. Vel enim corpus optimè & perfectè ſanum in eodem ſtatu conſervat: vel corpus ab optimâ conſtitutione nonnihil digreſſum corrigit, atque ad meliorem ſtatum reducit. *Cap.* 99.

V.

Secundum ſpectat ad artis partem προφυλακτικὴν, quæ quidem propriè & ſpecialiter ſic appellatur. *Cap.* 99.

VI.

Tertium eſt partis θεραπευτικῆς: quod quidem hujus loci non eſt: ſicuti nec primum. De illis enim jam actum eſt. Ideóque agendum ſolùm de cauſis prophylacticis, quæ competunt neutris corporibus ut NUNC.

VII.

Sunt verò hæ cauſæ circa humores præcipuè occupatæ: quoniam humores frequentiſſimæ ſunt morborum cauſæ. Quare, ne humorum vitio homines in morbos cadant, ij ita tractandi ſunt, ut neque in quantitate, neque in qualitate peccent. *Cap.* 99.

Peccant

VIII.

Peccant autem *in quantitate*, cùm ſunt ſupra modum aucti. Peccant verò *in qualitate* vel manifeſtâ, vel occultâ. Et ſi in manifeſtâ, tùm vel in primâ, vel in ſecundâ delinquunt. In primâ: quando v.g. ſunt præcalidi, acres, mordaces, putredini obnoxij (σηπεδονώδεις) aut frigidi nimis. In ſecundâ: cùm ſunt lenti, craſſi, aut aquoſi, tenues ſcil. inſtar aquæ. Si in occultâ, tùm ſunt δηλητήριοι, veneno affines. *Cap.* 99.

IX.

Aucti enim ſi fuerint, morbos generant. Augentur verò duobus modis. Uno, ab eadem causâ, quæ ab initio eos procreavit. Altero, quando vitioſi humores, qui jam in corpore exiſtunt, ijs admiſcentur, qui ex quotidiano victu proveniunt. Hos enim inquinant, & labefactant. *Cap.* 99.

X.

Sunt autem duo iſtorum humorum, qui neutrum corpus in morbos præcipitant, curationis modi.

XI.

Etenim, ut morbi, qui ex vitio humorum imminent, præcaveantur, ἀλλοίωσις & κένωσις neceſſaria eſt. *Cap.* 99. Illa debetur vitiis humorum in qualitate. Hæc humoribus in quantitate peccantibus competit: quemadmodum & venenatis.

XII.

Alterantur verò, vel ab ipſomet corpore: à cujus calore & vi concoctrice meliorantur: vel à rebus medicamentoſam facultatem habentibus: cujus generis ſunt medicamina, & alimenta medicamentoſâ virtute prædita. Sunt quoque remedia ea, quæ τὰς ἰὰς τῶν ἰοβόλων ὀνομαζομένων ζώων θεραπεύουσιν, exitialium animalium venenis medentur, & quæ δηλητήρια φάρμακα μεταβάλλουσι, venenata medicamenta permutant. *Cap.* 99.

XIII.

Evacuantur autem medicamentis potenter calefacientibus, & purgantibus, & clyſteribus, & ſudoribus, & vomitibus. Quæ quidem vacuationes ſunt κοιναὶ, communes. Ἴδιαι autem, propriæ ſunt illæ, quæ vitioſos humores iis ex ſedibus exturbant, in quibus fuerunt coacervati. Ac propterea etiam locus materiei collectæ nobis palam facit viam, per quam vacuatio inſtituenda eſt. *Cap.* 99.

XIV.

Nam quæ ἐν ταῖς πρώταις φλεψὶ, in primis venis conſiſtunt, promptiùs διὰ γαστρὸς, per ventrem & alvum evacuantur. *Cap.* 99.

XV.

Quæ continentur in hepate, & præcipuè ἐν τοῖς σιμοῖς, in gibbâ ejus parte, faciliùs per urinę meatus educuntur. *Cap.* 99.

Quæ

XVI.

Quæ in toto corpore latitant, expeditè per ſudores & cutis ſpiracula eliminantur. *Cap.* 99.

XVII.

Quæ collecta ſunt in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per locum utrúmque exturbantur. *Cap.* 99.

XVIII.

Quæ occupant cavitatem thoracis, per aſperam arteriam cum tuſſi ejiciuntur. *Cap.* 99.

XIX.

Quæ renes & veſicam obſident, per urinæ meatus exinaniuntur.

XX.

Et hi quidem ſunt loci, per quos evacuandi ſunt humores, qui jam partem aliquam occupant, & in illâ quieſcunt. Quodſi verò humores ſint in motu, & ad partem aliquam præter naturam fluant, tùm vel ἀντισπάσει, revulſione: vel παροχετεύσει, derivatione utendum. Et illa quidem ἐπὶ τὰ πορρωτάτω, ad diſtantiſſima: hæc verò ἐπὶ τὰ πλησίον, ad vicina loca inſtituenda. *Cap.* 99.

XXI.

Quæ igitur cauſæ has humorum diſpoſitiones curant, ὑγιειναὶ dicuntur. Quæ illas adaugent, νοσεραὶ. Quæ neque proſunt, neque obſunt, οὐδέτεραι. *Cap.* 99.

I.

AN continui solutio cadat in corpus sanum? *Affirmativa placet* Galeno c. 88. *Sed levem & exiguam eam esse oportet, ita ut ejus ratione partium actiones sensibiliter minimè lædantur. Hujus generis sunt ulcuscula cutis, vulnuscula ejusdem superficiaria, puncturæ leviculæ, fissuræ manuum, pedum, ac labiorum parvi momenti, contusiones remissiores, quarum causâ actiones non offenduntur. Nam & leviora quædam vitia temperaturæ partium similarium, & compositionis partium organicarum in hominem sanum cadere dicũtur. Quidni ergò & unionis solutio parva atque exigua? Non hîc qualitas dispositionis, sed actionum conditio inspicienda est. Nam si propter leviculũ aliquod temperiei, compositionis & unionis, sive continuitatis, vitium, hominem vellemus dicere ægrotum, sanè ἀσυπαθείας dogma introduceremus. Itaq; tamdiu hominem valere dicimus, quamdiu actiones suas exercere potest. Vtprimùm verò noxam sentit in actionibus evidentem & effatu dignam, ægrotare eum censemus. Sensibilis enim functionum noxa illa est, quæ hominem sanum ab ægro separat: non qualecúnque corporis vitium.*

II.

An continui solutio sit partium similarium pariter & dissimilarium morbus? Averroës *docebat, continui solutionem solis similaribus partibus*

bus competere. Argenterius *contrà persuasum habebat, eam solis convenire organicis. Credimus cum* Galeno, *morbum esse utrisque partibus communem. Ratio est: quia utræque suam habeant unionem & integritatem: quâ læsa, actiones earum læduntur.*

III.

Quid Galenus intelligat per morbum factum? quid per fientem? quid per futurum? *Factus morbus est, qui manere potest, etiam causâ suâ ablatâ. Non enim ampliùs ab eâ dependet: nec in ejus curatione ad illam respicitur: sed omnis indicatio desumitur à morbo: estq; actio Medici, quam circa ejusmodi morbum exercet, verè curatio. Talis morbus est hectica & ephemera ab externis causis genita. Item, ulcus ab acri & erodente causâ introductum. Manere enim potest, etiam causâ remotâ.* Fiens *morbus est, qui à suâ causâ adhuc pendet: Item, qui ita ab eâ pendet, ut sine illâ subsistere nequeat.* In priori *indicatio petitur partim à causâ: & est præservatoria: partim à morbo: estque curatoria. Ratione partis factæ, h. e. ratione morbi jam actu præsentis, necessaria est curatio per contraria. Ratione partis futuræ, quam generare valet causa morbo adsistens, eámque fovens & augens, præservatio requiritur: quæ fit per causæ ablationem. Hac namque extirpatâ, quod futurum erat præcavetur.* In posteriori *indicatio solùm desumitur à causâ, quia hâc demptâ, illicò morbus evanescit. Et tales morbi sunt illi omnes, qui cau-*

ſam habent συνεκτικὴν. *Ab hac quippe ita pendent, ut ſine illâ eſſe nequeant. Dicuntur autem fientes non propriè, quaſi adhùc ſint* in fieri, in motu, in generatione: *ſed* ἀναλογικῶς. *Facti enim ſunt, h. e. perfecti, & abſoluti: fientes tamen appellantur, quia* ἀναλογίαν *habent cum rebus propriè fientibus, quæ adhùc generantur. Vt enim hæ, quamdiu fiunt, à cauſis ſuis dependent: ſic & fientes dicti morbi ita pendent à ſuâ causâ* συνεκτικῇ, *ut ſine illâ vim ſubſiſtendi nullã habeant: velut obſtructiones & tumores omnes.* Futurus morbus *is eſt, qui nondũ quidem præſens eſt: attamen adfuturus, niſi cauſa ejus, quæ jam in corpore exiſtit, eliminetur. Eſt autem iſte morbus vel in longinquo: vel in propinquo: vel pars morbi fientis: & cuilibet* προφύλαξις *debetur. Sed* προφύλαξις, *quæ debetur morbo longè adhùc abſenti, pertinet ad partem artis* ὑγιεινὴν. *Quæ competit morbo brevi adfuturo, ad partem ſpectat* προφυλακτικὴν *ſpecialiter dictam: eſtque propria corporibus neutris decidentiæ. Quæ denique congruit illi, qui dicebatur pars fientis, ad* θεραπευτικὴν *refertur. Nam & in hac* προφύλαξις *quædam eſt, ratione præſentis cauſæ, quæ morbum fovet & auget.*

IV.

An contraria contrariorum ſint remedia? *Affirmativa eſt* Hippocratis l. de flatibus aphor. 22. ſ. 1. & l. 2. de nat. hum. *hocque præceptum in praxi diligenter obſervat. Plethoram enim extremam v. g. per inanitionẽ curat.* aphor. 3. ſ. 1. *Corpora humidâ carne prædita fame, remedio ſiccante,*

&

& phlegmaticas superfluitates exiccante, sanat. aphor. 59. s. 7. Sanguinis vomitionem per refrigerantia & adstringentia præsidia sistit: aphor. 37. s. 7. Laßitudinem corporis ab immoderato corporis motu profectam quiete tollit: aphor. 48. s. 2. Inanitioni repletionem opponit: aphor. 16. s. 2. Morbos à plenitudine ortos vacuatione demit: & ab inanitione causatos repletione solvit: aphor. 22. sect. 2. Hippocratis placitum tuetur Galenus l. de constit. art. c. 12. l. 6. epidem. comm. 2. l. 11. meth. med. c. 12. & alibi sæpiùs. Nam in primo morborum genere, quod est νοσώδης δυσκρασία, pertinétque ad similares partes, intemperies calida tollitur remedio frigido: frigida calido: humida sicco: sicca humido: eâdemque fit in intemperie compositâ. In genere secundo, quod est partium organicarum, & appellatur mala compositio, curva quæ sunt atque distorta, diriguntur: lævia asperantur: aspera lævigantur: obstructa aperiuntur: arctata atque compressa dilatantur: quæ in numero deficiunt, supplentur: aut similia saltem substituuntur: quæ superflua sunt, aufferuntur: aucta magnitudo minuitur: diminuta augetur: quæ situm mutârunt ad locum pristinum revocantur, impelluntúrque ad contrarium ei, quem p. n. occupârunt. In tertio, quod ad partes utrasque spectat, & λύσις ἑνώσεως ἢ συνεχείας nuncupatur, soluta quæ sunt & divisa, uniuntur. Vulnera enim agglutinantur: fracturæ ferruminantur: ulcera cava carne implentur: nuda & plana cicatrice, veluti sigillo, obducuntur.

cuntur. Neque varò in morbis solùm *hoc valet* ἀξίωμα: *sed etiam in causis morbificis, & symptomatibus.* In causis *quidem, sive vacuandæ sint, sive alterandæ. Nam* πληθώρα & κακοχυμία *vacuatione eliminantur. Illa quidem sectione: hæc verò purgatione. In humorũ expurgandorũ præparatione lenti & viscidi inciduntur: craßi attenuantur: acres & mordaces cõtemperantur & mitigantur. Tenuis destillatio incrassatur: ne à capite facilè feratur deorsum. Tenuis itidem materia bronchiis pulmonum inhærens craßior redditur, ut impellentis spiritûs vi faciliùs extußiri queat.* In symptomatibus, *uti dictum, idem canon sedulò observatur. Nam vigiliis, v.g. occurritur per* ὑπνωτικά: *doloribus per* ἀνώδυνα: *fluxibus per adstringentia, refrigerantia & incrassantia: suppreßionibus consuetarum vacuationum per aperientia, & sic deinceps.* Ratio canonis *est: quia contrariorum contraria est ratio. At sanitas & morbus sunt contraria. E. si sanitas, tanquam res secundum naturam, conservatur per similia: morbus certè, utpote res p. n. profligabitur per contraria. II. quia curatio est mutatio, & quidem ad sanitatem. At mutationes per contraria fieri consueverunt. III. quia in curatione est actio & paßio: & quidem talis, in quâ aliquid tollitur. At ejusmodi actio per contraria fieri solet. Fit enim per remedium. At hoc morbum depellit. Quod autem depellit, id vim infert. Quod tale, contrarium sit oportet.*

V.

An puttredo humorum in putridis febribus
nh beri possit? *Qui humores in febribus planè
sunt putrefacti, non ampliùs ad meliorem statum
educi possunt. Vnde* Galenus in μικροτέχν. c. 89.
*os vult prorsùs evacuari. At qui nondum quidem
omputruerunt: ad putredinem autem inclinant,
orum putredinem arceri posse ibidem concedit: &
uidem alteratione, quam dicit esse speciem πέψε-
ως, ἢ πεπασμοῦ. Hæc verò alteratio videtur inprimis
ieri posse per refrigerantia modicéque siccantia
ræsidia. Calida enim & humida corpora omnium
naximè putredini sunt obnoxia: teste* Galeno l. 8.
neth. med. c. 7. *Verùm, & causa putredinis in pu-
ridis febribus removenda est. Hæc autem utpluri-
nùm est transpirationis & ventilationis prohibi-
io: authore* eodem lib. 11. method. med. cap. 8.
*Prohibetur autem transpiratio tùm à nimiâ humo-
um quantitate: tùm vitiosâ eorundem qualita-
e: cùm scil. sunt, vel crassi, vel lenti, glutinosi ac
iscidi. Opus ergò est vacuantibus remediis in exce-
lente quantitate: & alterantibus in pravâ quali-
ate. Attenuantibus quidem in humorum crassitie:
ncidentibus, sive dissecantibus & detergentibus in
llorum lentore. Quodsi exigui quoque cutis mea-
us, sive pori sint densati, obstructi, aut constricti,
llis, quoque occurrere decet per ea, quæ vim ra-
efaciendi, aperiendi, & relaxandi habent.* Galen.
l. 11. meth. c. 8.

An

VI.

An in febribus quibuslibet putridis sangui[s] detrahendus? *Inter præsidia vacuantia, quæ quidem febribus putridis conveniunt,* Galenus *recenset etiam venæ sectionem* c. 89 μικροτέχ. *Et* l. 11 meth. med. c. 15. *scribit, in omnibus febribus putridis venam secare esse saluberrimum. Arbitramur, verum hoc esse in illis putridis, quæ vel plethoricum corpus corripuerunt: vel a copiâ sanguinis vasa obstruente fuerunt ortæ. In talibus enim v. [s.] utilitates habet insignes. Levat enim, inquit* Galenus, *naturam, & exonerat illam eo, quo veluti sarcinâ premebatur.* Ex *quo consequitur, ut hau[d] ægrè quod est reliquum vincat. Muneris ergò proprij haud oblita, coquet, quod ad concoctionem est habile: & excernet, quod excerni potest. Quodsi putredo pendeat à prohibitâ ventilatione: hæcqu[e] profecta sit à copiâ sanguinis vasa oppilante, eadem venæ sectio remediũ est accommodatißimum. Nam & sanguinis copiam vacuat: & obstructionem tollit: & ventilationem ac perspirationem restituit: & ulteriorem putredinem arcet.*

VII.

An ad vacuationem materiei putridæ in putridis febribus Galenus c. 89. rectè commendet clysteres, diuretica, hidrotica, diaphoretica, provocantia item menses, & fluxum venarum hæmorrhoidalium cientia? Clysteres *locum inveniunt, si sint acriores fortioresque: qui scil. putridam materiam à venis ad intestina trahere*

here valeant. Posse autem hoc illos præstare, ex eo liquet: quoniam à capite, parte longè remotiori, humores queunt in apoplexiâ, lethargo, paralysi, &c. revellere. Diuretica salutaria esse ad exhauriendam materiam putridam, si corpus probè prius sit vacuatum, & materia cōcocta, inde patet, quia natura ipsa non rarò τὴν περιουσίαν μοχθηρῶν χυμῶν, abundantiam vitiosorum humorum, per urinæ vias excernit. Et observatum, quartanarios liberali nigrarum urinarum profusione fuisse restitutos. Quin imò materia putrida febrium continuarum consistit in vasis majoribus At facilis & expeditus ex his ad renes est transitus. Hidrotica ad eximendam materiam putridam conferre, natura ipsa docet: quæ multoties in febribus sudores movet. Et Hippocr. aphor. 36. ſ.4. eleganter docet, quinam sudores febres judicent: nimirùm qui criticis erumpere diebus consueverunt: & qui (addimus nos) largi sunt, ac copiosi, calidi item, effluuntque ex corpore toto: & effluunt non sensim & paulatim, sed confertim. Vnde rursus Hipp. l. prænotion. sudores optimi sunt in omnibus morbis acutis, qui diebus criticis egrediuntur, & febrem perfectè submovent. Boni verò sunt, qui per totum corpus fiunt, faciúntque hominem morbum ferre faciliùs. Peßimi contrà sunt frigidi, & qui tantùm circa caput, & faciem, & cervicem exeūt. Hi enim cum acutâ quidem febre mortem: cum mitiore verò morbi longitudinem præsagiunt. Et qui per totum corpus accidunt, similiter significant his

qui

qui circa caput. At verò milioformes, & solùm circa collum fientes, mali sunt. Qui verò cum guttis fiunt, & evaporant, boni. Diaphoretica, *quæ putridæ materiei portionem* ἀδήλως *per spiracula cutis sub specie halitûs evacuant, putridis commodare febribus balneum aquæ dulcis probat. Hoc enim ait* Gal.l.11.meth. c.20. *duplicem utilitatem præstat. Vnam: quia redundantiam minuit. Totum quippe corpus vacuat, & quod fumidum est ac fuliginosum digerit. Alteram: quoniam facit, ut multum febrilis caloris transpiret. Sed anteaquam administretur, tria advertenda monet. I. ut citra horrorem usurpetur. II. ut nullum primæ notæ viscus debile sit. III. ut multitudo crudorum humorum in primis venis minimè contineatur. Horror namque non solùm præsentem intendere febrem potest: sed etiam, cùm non fuit, eam excitare. Viscera verò debilia humores, balnei calore liquatos promptiùs excipiũt, quàm antè, cùm adhùc liquarentur. Copia denique crudorum humorum in totũ corpus digeritur.* Provocatio menstruorum & vacuatio venarũ hæmorrhoidaliũ, *sive spontè fiat, sive arte instituatur, multùm in progressu, tùm vacuationis, tùm revulsionis, tùm derivationis nomine conducere solet. Naturam enim exonerat, plethoram tollit, corpus refrigerat, graviora symptomata lenit.*

FINIS.

Disputatio
EX
ARTE PARVA
GALENI
XXX. & Ultima.

In almâ Argentoratensium Academiâ proposita,

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO,
Doctore ac Professore Medico, Comite Palatino Cæsareo, & Reip. Archiatro:

Respondente

JOH. HENRICO ARCULARIO,
Paderbornâ-Westphalo.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI
Anno M. DC. XXXII.

THESIS I.

CAusæ salubres προφυλακτικαὶ, quæ spectant ad corpora neutra decidentiæ, h. e. quæ jam semina morborum collegerunt, &, nisi præserventur, semináque morborum extirpentur, in morbos incidunt, præcedenti disputatione expositæ fuerunt. Reliquæ sunt ἀναληπτικαὶ, quæ ad illa corpora pertinent, quæ, neutra convalescentiæ appellantur, & ex morbis emerserunt: sed debili adhùc parúmque firmâ sanitate fruuntur. Itaque illæ hac vltimâ enarrandæ sunt συζητήσει.

Causæ salubres ἀναληπτικαὶ καὶ ἀναθρεπτικαὶ: quæ pertinent ad corpora neutra convalescentiæ.

II.

Conjungit autem *Galenus* duo corporum genera: convalescentium scil. & senescentium, & quomodo reficienda sint, ostendit. Ratio est: quoniam corpora Senum etiam neutra sunt, & convalescentibus perquàm similia. Nam neque integrâ fruuntur sanitate: neque morbis laborant: neque perinde afficiuntur, ut illi, qui morborum semina secum fovent: sed suam quandam habent corporis constitutionem. Quo nomine etiam peculiari curâ egent, quæ ἀναληπτικὴ nuncupatur.

III.

Pars ergò artis προφυλακτικῆ, cujus mentio facta *Cap.* 99. ad eam spectat corporis dispositionem, quæ neutra decidentiæ dicitur: quæ scil. nî præcaveatur, in morbos est lapsura. Pars verò ἀναληπτικὴ καὶ ἀναθρεπτικὴ ad senes & convalescentes pertinet. *Cap.* 100.

IV.

Quæ verò horum sit dispositio, & à quibus potissimùm causis ad naturalem habitum reducantur, *lib. de meth. med.* explicatum est τελεώτατα, abundè & sufficienter. Indigitanda jam solùm est διὰ κεφαλαίων, per capita. *Cap.* 100.

V.

Est autem dispositio eorum talis. Sanguis in iis est bonus: sed paucus. Spiritus animalis & vitalis bonus itidem est: sed paucus. Solidæ verò partes sicciores sunt. Vires, ob sanguinis & spirituum paucitatem siccitatémque membrorum debiliores existunt. Corpus universum frigidius. *Cap.* 100.

VI.

Causæ salubres, quæ hanc διάθεσιν emendant, sunt, ἑνὶ κεφαλαίῳ περιλαβεῖν, ut uno comprehendamus capite, ea omnia, quæcúnque ταχεῖαν μὲν καὶ ἀσφαλῆ θρέψιν ἐργάζεται, celeriter ac tutò corpus alunt. Κατὰ μέρος δὲ, in specie autem, sunt motus moderati; moderati item cibi potus ac somni. *Cap.* 100.

Motû

VII.

Motûs verò materiæ, sive species sunt, vehicula, ambulationes, frictiones, & balneæ. Ex quarum rerum moderato usu si dicta corpora multò meliùs se habuerint, & non parùm se profecisse senserint, paulatim se ad consueta opera, sive munera atque officia solita, transferre poterunt. *Cap.* 100.

VIII.

Cibos verò assument in principio quidem humidos & εὐπέπτους, miniméque frigidos: in progressu verò τροφιμωτέρους, qui plus alimenti præbent. *Cap.* 100.

IX.

Potus opportunus est vinum ætate medium: substantiâ purum & clarum: colore subflavum, vel album insuper & suaveolens: denique tale, quod neque sit omninò ὑδατῶδες, aqueum: neque cum aliquâ insigni qualitate, aut dulcedine, aut acrimoniâ, aut amaritudine conjunctum: quemadmodum de hisce omnibus *l. de med. meth.* pleniùs actum. *Cap.* 100.

X.

Nunc enim omnia particulatim persequi, & diexodicè explicare, nostri non est instituti: sed solùm ἀναμνῆσαι τῶν κεφαλαίων, capitum facere mentionem eorum, quæ in aliis operibus latiùs explicata sunt. *Cap.* 100. 'Επίλογος *artis parva.*

XI.

Proponit autem *Galenus* in fine libelli istius

catalogum suorum scriptorum, non quidem omnium, sed illorum duntaxat, quorum lectio lectori μικροτέχνης utilis est & necessaria: ut perspiciat, undenam plenior & accuratior doctrina sit haurienda eorum, quæ breviter & compendiosè hic traduntur.

COROLLARIA.

I.

AN partes divisæ, sive dissectæ, iterum uniri & coalescere possint? *Triplicem distinctionem adhibet* Galenus: *partium scil. agglutinationis, & ætatis: veluti colligere est ex* cap. 90. & 91. μικροτέχν. *Nam partes vel sunt spermaticæ, vel sanguineæ, sive carnosæ. Et agglutinatio vel fit* κατὰ πρῶτον σκοπὸν: *vel* κατὰ δεύτερον. *Vocat* πρῶτον σκοπὸν, *ut semetipsum* c. 91. *interpretatur*, σύμφυσιν, *coalitum. Hic enim principaliter à Medico intenditur, unicéque exoptatur: eò quòd per illum pars soluta perfectè restituatur, veréque uniatur.* Δεύτερον *verò* σκοπὸν *appellat* δέσιν, *colligationem, quæ fit per medium* ἑτερογενὲς: *& secundariò tantùm expetitur: & quidem tùm solùm, cùm quod intenditur principaliter, obtineri nequit.* Carnosæ *ergò* partes κατὰ πρῶτον σκοπὸν *consolidari veréque uniri possunt: & quidem in ætate quavis. Ratio est quadruplex. I. Carnis humiditas & mollities, quæ facit, ut partes illius divisæ facilè coëant.*

II. Ma-

II. *Materiei copia, quæ est sanguis.* III. *Consolidantis facultatis robur.* IV. *Carnis caliditas, quæ sanguinem sufficientem allicere potis est.* At partes spermaticæ κατὰ πρῶτον σκοπὸν *in adultis & senibus nunquam coalescunt: sed tantùm* κατὰ δεύτερον, *h. e.* κατὰ θέσιν, *interventu medii heterogenei, tanquam alicujus glutini.* *Causam ponit* Galenus *siccitatem & duritiem illarum. Mollia namque & humida inter se facilè coëunt & uniuntur. Sicca & dura ut coëant, glutino opus habent.*

Cæterùm, inter partes spermaticas ægrè admodùm, nec nisi longo tempore etiam κατὰ δεύτερον σκοπὸν *consolidantur, quæ durissimæ sunt & siccissimæ: ut ossa. Faciliùs & citiùs, quæ minùs siccæ & duræ: ut cartilagines. Adhùc faciliùs & expeditiùs, quæ ab ossu naturâ longè absunt: ut venæ, arteriæ, membranæ, tendines, &c. præsertim in corporibus mollioribus & humidioribus: qualia sunt mulierum & eunuchorum.*

Ratio patet ex dictis. In puerulis tamen & infantibus etiam ossa κατὰ πρῶτον σκοπὸν, *h. e.* κατὰ σύμφυσιν, *uniuntur, inquit* Galen. c. 91. *Causa est: quia mollia sunt, &, ut idem loquitur* l. 2. temperam. c. 2. *caseo recens coagulato similia. Reliqua membra cerea: adeò ut fingi formarive possint ad nutum & placitum.* Galen. ibid. *Quod si ossa in infantibus consolidantur* κατὰ πρῶτον σκοπὸν, *quibus tamen in corpore nil siccius, durius & solidius, poterunt etiam* κατὰ τὸν αὐτὸν σκοπὸν *uniri reliquæ partes spermaticæ.*

II.

Utrum organicæ partes amputatæ cum derelictis iterum coalescere possint? *Sensus quæstionis est, an, si auris v.g. à capite, manus à brachio, digitus à manu, nasus à facie prorsus sit separatus, cum partibus iterum coire queant, cùm quibus priùs partes istæ erant unitæ? Respondemus, si totaliter ab iis sint remotæ, coalescere cum illis ampliùs non posse. I. ob defectum agglutinantis materiæ, ipsius nimirùm sanguinis. Desideratur autem sanguis in parte amputatâ, quia omnis illius sanguis ob dissectas venas effluxit: & quæ reliquæ sunt cum iis, quæ adhùc sunt in parte sanâ, nullam ampliùs communionem habent. II. ob privationem consensûs & conspirationis cum principio vitæ, corde. Fit autem hæc privatio ob dissectas arterias. Nil ergò neque caloris, neque spiritûs, neque sanguinis vitalis pars abscissa à corde accipit. Ideóque putrescit & emoritur. III. ob extinctionem proprij & nativi caloris, spiritúsque insiti dißipationem. Quare, cum anima organis suis careat in parte amputatâ, nullas ampliùs actiones, & consequenter neque σύμφυσιν & agglutinationem exercere valet.*

III.

Quid sit apud Galenum, vulneratæ partis substantiam salubrem conservare? Galenus *agens c. 90. μικροτέχν. de curatione solutæ unitatis in parte carnosâ, inquit, naturam facere, ut quæ invicem distant, coalescant, & pristinam restituere unita-*

unitatem. Nostrum opus esse, I. applicare extrema partium distantium. II. in unum coacta conservare fasciis, suturis, fibulis, &c. III. cavere, ne quid labiis vulneris intercidat. Hoc enim unionem & continuitatem impediret. Nam quæ continuari debent, inter ea nihil debet intercedere intermedij, quod sit diversæ naturæ & generis. IV. ipsam partis substantiam conservare salubrem. Quæritur ergò, quomodo partis substantia conservetur salubris? Respondetur, si mediocriter exiccantia foris admoveantur. Sic enim seipsum Galenus l. alleg. *interpretatur. Debent autem illa etiam adstringendi pollere virtute. Etenim, pars vulnerata est debilis. Itaque superflua ad ipsam confluunt. Propter continui solutionem dolet. Ergò & doloris causâ fluxione tentatur. Natura enim volens dolenti parti succurrere, sanguinem in auxilium spiritúmque illi mittit. Ex quo contrahi potest intemperies calida & humida. Alimentum suum ob infirmitatem ritè conficere nequit. Hinc multa excrementa resultant: quæ cùm ob debilitatem extra vulnus propelli nequeant, partem ad humidam intemperiem perducunt. Labia insuper vulneris tam exactè adduci non possunt, quin exiguæ quædam cavernulæ intercedant. At istæ sanie implentur, & humidam efficiunt dyscrasiam. Quapropter, ut hisce malis obviam eatur, humiditates sunt siccandæ: fluxio repellenda: pars laxa & debilis adstringenda & roboranda. Hæc verò adstringentibus præstamus pharmacis: quæ repellunt, siccant, roborant, & simul etiam glutinant.*

Utrum

IV.

Utrum callus os sit propriè dictum? *Callus, græcè πῶρος, os verè non est: I. quia generatur ex alimento oßis: os ex semine. II. quia in omnibus oßibus fractis generari potest: os regenerari nequit. III. quia solidior firmiorque est osse: quo fit, ut os citiùs in parte aliâ, quàm in callosâ frangatur. IV. quia non ita, ut os, porosus est. Est igitur quiddam oßi ἀνάλογον: quemadmodum cicatrix ἀνάλογος est cuti. Estque illud medium ἑτερογενὲς, sive vinculum, quod distantes fracti oßis partes conjungit.* Materia *illius est redundans alimenti oßis portio. Nam cùm proximè accedere debeat ad oßis naturam, necesse est, ut ex eâdem materiâ nascatur, ex quâ os nutritur.* Efficiens *est natura, seu temperamentum oßis fracti.* Modus generationis *est iste. Superflua alimenti oßis portio I. è labiis fracturæ exudat. II. circum illa concrescit, fitque caro callosa: eò quòd ex terreno & crasso oßis alimento generetur. III. caro hæc indies magis magisque à propriâ oßis naturâ induratur: donec tandem ad oßis naturam accedat. Est enim inquit* Gal. c. 91. *callus ἐγγὺς ὀστῷ τὴν ἰδέαν, h.e. formam oßi vicinam habet.*

V.

Verúmne, quòd tendines ex tenuiſſimis nervorum & ligamentorum fibris componantur? *Sic quidem docet* Galen 1. de mot. muscul. c. 2. *&* l. 1. de decret. Hipp. & Plat. c. 9. *Sed si rem accuratè examinare voluerimus, patebit, eam secus se*

ſe habere. Nam quòd ex ligamentis conflati non ſint, *ex eo liquet: I. quia ligamenta authore* Gal.6.m.m.4. *ſenſu carent: qui tendinibus datus exquiſitiſsimus. II quia ubi tendines eſſent, ibi forent & ligamenta. At falſum hoc eſſe, docent tendines muſculorum oculos moventium, qui in oculorum globum, ubi ligamenta nulla, inſeruntur. Probant muſculi abdominis pyramidales, qui tendine ſuo in lineam albam deſinunt. Planum faciunt muſculi temporales, ad quorum tendinem, qui inſignis eſt, & infrà ſupráque carne tectus, nullum ligamentum pertingit. Demonſtrant muſculi alij, ad quorum tendines nulla ligamenta concedunt.* Quòd verò neque ex nervis compoſiti ſint tendines, *inde patet, I. quia oporteret maximam nervorum adeſſe copiam iis in muſculis, quibus tendines appenſi ampliſsimi: quales ſunt v. g. abdominis obliqui, externi & interni, & membranoſus ille, qui à ſpinâ Ilij acutus enatus femoris partem exteriorem occupat, & latiſsimo tendine, quo inſtar cutis femoris muſculos poſteriores circumdat, in tibiam anteriùs inſeritur, & antrorſum illam movet atque tendit. At tanta nervorum copia in ejusmodi muſculis minimè obſervatur. II. quia fines nervorum per muſculos exporrectorum tandem obliterarentur, & tranſirent unà cum finibus ligamentorum in tendines: quod tamen rursùs* αὐτοψία *non docet. Tendo enim ex ipsâ muſculi carnosá ſubſtantiâ enaſcitur, & in membrum, quod movendum, implantatur. Statuimus ergò, tendi-*

nem

nem partem esse similarem, & sui generis, atque à nervis & ligamentis longè aliam: non obstante, quòd olim à quibusdam dicti fuerint nervi: quemadmodum Gal. l.6. meth. med. c.4. & l.2. loc. aff. c.7. *attestatur.*

VI.

An in nervorum vulneribus & puncturis frigida liceat adhibere medicamina? *Negatur. Ratio I. est: quoniam* Galen. *ait,* l.6. meth. med. cap. 3. *frigida in partibus exquisito sensu præditis acerbum excitare dolorem. Vnde periculum imminet affluxûs humorum: quem inflammatio consequitur: & hanc convulsio.* II. *quia frigida repellunt & puncturam claudunt. At in cæcâ nervorum puncturâ aperiendum & attrahendum: nimirùm ob saniem, quæ mox colligitur. Retenta namq; diutiùs pravam qualitatem induit.* III. *quia frigida aliâs nervis, etiam minimè læsis, inimica sunt: quemadmodum & oßibus, & cerebro, & spinali medullæ, & dentibus teste* Hippoc. aphor. 18. l.5. *Quantò ergò magis, iisdem malè affectis? Quapropter, medicamenta cæcæ nervorum puncturæ inservientia* I. *debent esse* calida: *ut scil. collecta sanies attrahatur & evocetur ex alto. Sed non nimis calida & acria. Hæc enim damnat* Gal. 6. meth. 3. *quia dolorifica, & fluxiones accersunt.* II. siccantia: *ut sanies absorbeatur & putredo evitetur.* III. tenuium partium: *ut ad vulneratum nervum penetrare valeant.* IV. anodyna: *ut dolor, qui atrox, leniatur.*

An

VII.

An consultum, ut fracturâ malè curatâ, ossa iterum perfringantur? *Accidere solet, ut post curatam fracturam membrum in figurâ vitietur, & distortum evadat: idque propterea, quia fracta ossa non sunt benè coaptata: & quidem vel inscitiâ & imperitia* Cheirurgi: *vel inordinato ac intempestivo ægrotantis motu: vel malâ deligaturâ. Quæritur ergò, an consultum, ut ossa denuò perfringantur, rectiúsque coaptentur, quò naturalis membri figura recuperari queat?* Galenus *annuit, si callus sit recens. Hic enim facilè frangi potest. Verùm, cum operatio hæc, & dolorosa, & periculosa sit, aliæ adhùc limitationes addendæ videntur. Nam si figuræ depravatio levis sit & exigua, & membrum suâ in actione non multùm lædatur, præstat, ægrum suâ sorte esse contentum. Si verò depravatio admodùm deformis sit, & membrum suæ actionis insignem patiatur jacturam, distinguendum inter ætatem ægri, ossis fracti magnitudinem, & calli conditionem. Etenim, si æger sit senex & debilis: si os fractum magnum: si callus antiquus & induratus, melius est, factam ferrumminationem boni consulere: quam in periculum inevitabile se conjicere. Fieri enim nequit, quin si denuò frangantur ossa, dolor oboriatur insignis: affluxus humorum excitetur: inflammatio causetur: & convulsio aliqua accersatur. Quodsi æger sit juvenis & robustis viribus præditus: si os fractum parvum: si callus recens & mollis: vel saltem non admodùm indura-*

induratus, tùm, si æger omninò sibi velit aliam figuram membri fracti conciliari, nullo sanè alio medio id præstari poterit, quam novâ ferruminati ossis fracturâ. Oportet autem ante operationem corpus esse à plethorâ & cacochymiâ liberum, ut affluxus humorum aliáque symptomata arceantur. Deinde per multos dies callum mollire, ut faciliùs rumpatur. Mollitur autem & persusionibus, & cataplasmatibus, & emplastris, & fomentis laxandi emolliendíque virtute donatis.

VIII.

Sintne remedia abstergentia, attenuantia & incidentia obstructioni ex lentis, crassis, glutinosísque humoribus natæ contraria? *Per se & πρώτως nequaquam. Sic enim illi opponuntur aperientia. Tollunt tamen eam, quia causæ ejus adversantur. Crassæ quidem medicamenta attenuantia: lentæ verò viscidæ & glutinosæ ea, quæ incidunt atque detergunt. Quod enim viscosum est, id & sibi continuum est, & alteri adhæret. At continuitas tollitur incisione: adhærescentia abstersione. Incidentia enim, sive dissecantia medicamenta penetrant, seséque in substantiam humoris quasi insinuant: & illum velut in partes secant. Abstergentia viscosos humores abradunt: quibus abrasis, obstructæ viæ recluduntur.*

IX.

An in curâ obstructionis contra causam solùm obstruentem pugnandum? *Affirmatur. Hac enim demptâ, cadit obstructio. Hac persistente, obstru-*

obstructio affligit. Est enim hac ex classe illorum affectuum, qui fientes dicuntur ἀναλογικῶς: *quique causam habent* συνεκτικήν: *quorum hac ratio est, ut post causæ ablationem, statim evanescant: neque peculiari aliquâ curâ egeant, sicut morbi illi, qui causa remotâ nihilominus perseverant.*

X.

Utrum calculus vesicæ confirmatus, planéque induratus, medicamentorum viribus frangi exturbaríque possit? *Iactabundi quidam practici ajentem tuentur. Sed, si quod jactant, præstarent, haberent nos* ὁμοψήφους. *Insigniores & peritiores Medici longè sentiunt aliter. Propterea cùm viderent, nil sese medicaminibus efficere,* λιθοτομίαν *excogitârunt. Quam sanè, utpote doloris & periculi plenissimam, nunquam passi fuissent venire in usum, si medicamentis aliquid præstari posse sperassent. Vnde &* Galen. in μικροτέχν. cap. 94. *obstructionem ostÿ vesicæ palliativè & fundamentaliter curat.* Palliativé *per transpositionem calculi: quę fit cathetere immisso. Depulso enim calculo à vesicę ostio, urina liberè effluit.* Fundamentaliter *verò, non per medicamenta, sed per* λιθοτομίαν. *Quòd autem in calculo vesicali penitùs jam indurato medicamentis nil effici possit, ex eo manifestum est, quoniam ne quidem confirmatus calculus renalis, qui tamen remediis adhùc est vicinior, iis cedit: quemadmodum experientia docet. Itaque, multò minùs dissolvetur ab illis vesicalis, qui & in loco distantiori continetur, & multò solidior est, compactior, atque durior renali.*

XI.

An perpetuum illud Galeni c. 95. μικρολέχ
in principiis inflammationum repercutient
bus utendum esse medicamentis? *Negatur. Na*
ex diversis Galeni *locis colligimus, 7. esse casus,*
quibus repellere in calidorum tumorum princip
minimè licet. I. cùm phlegmone consistit in emu
ctoriis partium nobilium: v. g. glandulis auriun
axillarum & inguinum. Ratio est: quia vitio
materia ab ignobilibus partibus ad nobiles repe
lenda non est II. quando materia maligna est
venenata: ùt esse solet in bubonibus & carbuncul
pestilentialibus. III. cùm criticè in partem ali
quam decubuit, ibique abscessum creavit. No
enim motum naturę contrarium moliri licet. Im
potiùs illum promovere decet. IV. cùm atrocissi
mus vrget dolor. Tùm enim anodynis & paregoric
potiùs dolor mitigandus, quàm repellentibus &
adstringentibus exasperandus. V. cùm fluxio fact
ad partes, quę principalibus sunt vicinę: quem
admodum in erysipelate faciei accidit. Intrò enim
repercussa phrenitidem, delirium, aut malum
aliud excitaret. VI. cùm corpus est κακόχυμον ἢ
πληθωρικόν. *Ratio patet ex* cap. 95. μικρολέχν. *VII.*
cùm pars fluxionem recipiens est admodùm debilis:
ita ut metuendum, ne calor illius exiguus à repel-
lentium frigiditate prorsùs extinguatur.

XII.

Utrum vermes, calculi, grandines, &c. mor-
bi sint? *Nequaquam: quia sunt substantiæ. At omnis*
morbus

morbus accidens est: quia qualitas. Sunt autem morborum causæ: quia morbos producunt, & illorum interventu actiones lædunt.

XIII.

An generalis simplicium luxationum cura consistat in extensione, repositione, deligatione, & collocatione? *Cùm luxata ossa prolapsa sint in sedem alienam una communis omnium luxationum curandi indicatio oritur, nimirùm articuli luxati & suo loco moti in propriam ac naturalem sedem reductio. Vt autem primum hunc & universalem scopum assequamur, 4. necessaria sunt. I. luxatũ membrum decenter extendendum, donec spatium inter ossa sit liberum. II. ab eâ parte, in quam prolapsum est, in contrariam impellendum, inque germanum suum acetabulum restituẽdum. III. ne rursus sede suá excidat, sed inibi firmiter persistat, firmandum, roborandum, & deligandum. IV ita collocandum, tùm, ut figura illi conveniens observetur, tùm ut dolor & inflammatio arceantur.* Extendendi *ratio una eadémque in omnibus non est: sed alia atque alia: scil. pro naturâ corporis, & membrorum luxatorum robore ac magnitudine. Validior quippe esse debet in corporibus siccis & validis, oßibúsque grandioribus, qua robustos & musculos, & tendines, & nervos habent. Remißior in corporibus & oßibus contrariis. Vehemens namque extensio insignem excitat dolorem: quem phlegmone, spasmus, paralysis, &c consequitur. Aliquando enim musculi divelluntur,*

 inquit

inquit Galen. comm. 1. in 1. de fract. Hipp. *Fit autem extensio modò solis manibus: modò injectis habenis: modò machinamentis aliis.* Repositio *administretur placidè, ne fiat capitis, sive* τῦ ἄρθρου καὶ τῆς κοτύλης, ἢ γλήνης *attritio. Sic enim sinus, sive acetabulum, quod ossis luxati articulum excipit,* Galenus *vocat* comm. 2. in l. de fract. Hipp. §. 52. *Vitetur quoque in eâdem ossis circumrotatio: ne supercilium ossis frangatur. Nominant Anatomici supercilia ossium processus illos, qui ad sinuum orbem instar labrorum prominent, sinúsque profunditatem augent.* Firmatio & Roboratio *perficitur remediis adstringentibus. Hac enim laxata contrahant ligamenta, & phlegmonem arcent. Ferulæ quoque ex ligno, chartâ, aliave materiâ confectæ aliquando ad firmandum stabiliendúmq; adhibentur.* Deligatio *talis esse debet, quæ dolorem, & inflammationem minimè moveat.* Collocatio *legitima est ea, quæ figuræ membri convenit, & à dolore est aliena.*

XIV.

Utrum humores in nostro corpore generari possint deleterii, tales scil. qui sint veneno affines? *Ejusmodi sanè humorum meminit* Galenus in μικροτέχν. c. 99. *Et* l. 6. loc. aff. c. 5. *ad quæstionem motam respondet affirmativè: huncque in modum argumentatur. Si ejusmodi affectibus infestari nos experientia docet, qui ex nobismet ipsis accepto suæ originis impetu similes sunt iis, qui perniciosi exitialisque veneni haustum sequuntur, necesse*

tesse est, ut aliquid veneno affine in nobis sponte gigni possit At prius verum esse docet experientia. E. verum erit & posterius, quod scil. aliquid veneno finitimum nostro in corpore generari queat. Prius Galen. exemplo strangulationis uteri, ex corrupto semine, vitiato menstruo, aut quavis alia fœda humorum colluvie, quæ vel in uteri cavitate, vel in venis uterinis coacervata, nata planum facit. Hæc enim adeo gravia inducit symptomata, ut eà correpta mulieres non raro instar attonitarum sine motu, sensu ac ratione; imo aliquando sine pulsu & respiratione sensibili jaceant, toto corporis habitu refrigerato. Talia vero non nisi à maligna venenatáque materiâ proficisci queunt. Idem deinde exemplo sanguinis extravasati, & in grumum conversi probare licet. Etenim, sanguine vel in pectore, vel in vesicâ collecto, concreto ac putrefacto, tetróque inde exuscitato halitu, & vitæ principio communicato extrema corporis refrigerantur. sudor erumpit frigidus: pallor faciem occupat: pulsus fit parvus, obscurus & languidus: syncope, aut saltem leipothymia suboritur: aliquando etiam respiratio evadit difficilior. adeo ut Galen. l. 6. loc. aff. c. 4. scribat, mirari quempiam posse, quî fiat, quod cùm sanguis inter ea omnia, quæ nostro in corpore reperiuntur, familiarissimus sit naturæ, è vasculis tamen effusus, tantorum malorum author existat? Fernelius Galeno subscribit, & tùm exemplis modo commemoratis, tum etiam malignis venenatisque febribus, ex internis causis provenien-

tibus: epilepsiâ item, cordis quadam palpatione, lumbricis in nobis putrefactis, esculentis in corpore menstrosè corruptis ac vitiatis declarat, substantiam venenatam humano in corpore nasci posse. Id quod etiam ex abundanti commonstrat ex methodo medendi: quoniam talibus malis non pharmacis commuuibus, & manifestis agentibus qualitatibus occurrimus: sed alexiteriis, quæ occultis operantur qualitatibus, & modo cæco nobisque planè incognito dicta vitia debellant. Vide lib. 2. de abdit. rer. caus. c. 15.

XV.

Verumné, quòd prophylactica artis pars præcipuè circa humores sit occupata? *Verum omninò videtur* Galeno c. 99. μικροτέχν. *Loquitur autem de illâ* προφυλάξει, *quæ debetur corporibus neutris decidentiæ, quæ jam collecta in se habent semina morborum, in quos lapsura sunt brevi, nî semina illorum eradicentur. Ast sciendum,* προφύλαξιν *istam non circa solos occupatam esse humores: sed in genere circa remotionem illarum omnium causarum, quæ nos in morbos præcipitare valent. Vtplurimùm autem & frequentißimè circa humores versari: quoniam humores creberrimæ sunt morborum causæ. Per hos enim, inquit* Hipp. l. de nat. hum. *homo ægrotat & valet. Valet quidem, si in qualitate & quantitate rectè se habeant. Aegrotat autem, si contrario modo sint affecti: & vel in alterutrâ earum, vel in utraque peccent. Delinquentes enim in quantitate, quemadmodum fieri*

solet

ſolet in plethorâ ad vaſa, pariunt obſtructiones, venarum ruptiones, inflammationes, apoplexias, ſynochos putridas, &c. Peccantes *in qualitate, uti accidit in* κακοχυμίᾳ, *varios producunt affectus prout* κακοχυμία *varia eſt.* Biliosa *enim excitat febres tertianas, intermittentes & continentes, icteros, dyſenterias, ulcera, ſcabiem, herpetem, eryſipelata, &c.* Phlegmatica *febres creat quotidianas, œdemata, &c.* Melancholica *cancros, febres quartanas, &c. gignit.* Seroſa *generat arthritidem, podagram, tumores aquoſos, &c. Hùc pertinent humores vel putrefacti modo communi, vel peregrino, & planè monſtroſo: cùm ſcil. deleterij, ut* Galenus *loquitur, facti. Circa omnes iſtos humores* præcipuè *occupata eſt artis pars* προφυλακτικὴ: *eosque vel alterat, ſiquidem craßi, lenti, tenues, fervidi, aut frigidi fuerint: vel evacuat: & quidem aut ſenſibiliter, aut inſenſibiliter.*

XVI.

Quot ſint in univerſum pravorum humorum cauſæ? *Humorum pravorum, qui qualitate peccare dicuntur, duæ videntur cauſæ eſſe. I. eſt interna: & eſt mala partium, quæ circa humorum generationem & excrementorum ſeparationem verſantur, cõſtitutio: nempè vel intemperies, & imbecillitas: vel impuritas: vel obſtructio: vel ſubſtantiæ corruptela. II. externa: eaque rursùs aut neceſſariò nos alterans: & appellatur improbabilis vivendi ratio in 6. rebus non naturalibus. Ex quibus tamen ad generationem pravorũ ſuccorum frequen-*

tißimæ & potentißimæ causæ sunt cibi κακόχυμοι καὶ εὐφθαρτοι. Aut non necessario nos alterans: quæ itidem gemina est. Alia namque humores vitiat qualitatibus manifestis: ut medicamenta, balnea, æstuaria, &c. Alia abditis, sive occultis: ut venena, petita à plantis, animalibus, aut mineralibus ac fossilibus corporibus: eáque tùm foris admota, tùm per os assumpta, tùm naribus inspirata.

XVII.

Sitne senile corpus similius neutri decidentiæ, an convalescentiæ? Galenus *videtur statuere* cap. 100. μικροτέχν. *similius esse neutri convalescentiæ. Et certè non* ἀλόγως *I. quia vires & actiones senum, non secus ac convalescentium, debiles sunt atque infirmæ: idque propter caloris exiguitatem, sanguinis paucitatem, & spirituum penuriam. II. quia perinde, ut convalescentes, ἀναλήψει καὶ ἀναθρέψει egent: quam corpora neutra decidentiæ minimè requirunt. Præsupponitur enim, illa collectas habere morborum causas, & impura esse. At impura corpora quò plus nutriveris, eò magis læseris: inquit* Hipp. aph. 10. s. 2. *III. quia senes, quâ senes sunt, causas futurorum morborum in se non habent. At istis etiam convalescentes carent. Si enim adhuc adessent, utique non convalescerent, neque ad pristinum statum, qui naturalis, redirent.*

XVIII.

An artis subsidio senectus retardari possit? *Intelligimus per senectutem, non vltimum vitæ curriculum,*

riculum, seu ultimam vitæ nostræ partem. Hæc enim nullius artis ope præcaveri potest. Sed corporis constitutionem, senibus consuetam ac familiarem frigidam scil. siccam, debilem atque infirmam. Hanc bona diætá & convenienti φαρμακεία retardari posse, h. e. effici posse, ne adeo citò corpus deficiant calor, sanguis, spiritus, & vires, ratio, atque experientia planum faciunt. Ratio *est: quoniam si calor nativus aliquousque foveri, sanguis bonus & laudabilis generari, spiritus produci, siccitas partium solidarum quodammodò arceri, & superfluitates maturè removeri artis medicæ præsidiis diætеticis, pharmaceuticis, & cheirurgicis possunt, sequitur ejusdem artis subsidio etiam retardari posse senectutem, h. e. senilem corporis διάθεσιν. At prius est verum, ut* Galen. *probat in textu* c. 100. *E. & posterius. Rationi suffragatur* experientia, *quæ docet, homines, qui bonâ fuerunt constitutione ab initio, & temperanter vixerunt, utplurimùm benè, etiam in extremo senio, vivere, ac valere. Exempla proferri possent multa viridium & crudorũ senum. Eadem rursus experientia testatur, homines intemperantes & incontinentes ante tempus canescere & senescere: h. e. debilitari, refrigerari, siccari, iisdemque premi miseriis & difficultatibus, quibus qui annorum multitudinis causâ premi solent. Hinc sapienter* Fernelius l. 1. *παθολογ.* c. 14. nullâ calamitate, vel ærumnâ premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam. *Et iterùm:* una temperantia totius est vitæ moderatrix.

trix. *Nil autem magis corporis vires frangit, quàm ingluuies, temulentia, desidia, & Venus. Propterea* Hippocrates *auream semper in cibo, potu, motu, & Venere mediocritatem inculcat. Vide* aphor. 5. l.6. epid. s.6. aphor. 4. s.2. aphor. 17. s.2. aphor. 51. s.2. & l.6. epidem. s.4. aphor. 20. *Et de motu, sive exercitio corporis, ejusque contrario, ignavia, elegans hæc extat apud* C. Celsum *sententia*: Ignavia corpus hebetat: Labor firmat. Illa maturam senectutem: hic longam reddit adolescentiam.

XIX.

Recténe vinum lac senum dicatur? *Rectißimè I. quia eos lactis in modum nutrit. II. quia vires illorum enervatas reficit & instaurat. III. quia languidum calorem fovet & auget. IV. quia cruditates, quibus ob paupertatem caloris laborant, concoquit. V. quia phlegmaticas superfluitates consumit. VI. quia senes exhilarat, & melancholiam ac tristitiam eorum fugat. Debet autem vinum esse ætatis mediæ: in substantiâ purum & clarum: in colore album, aut subflavum: in odore suaveolens: in sapore tale, quod nullo sit excellenter vel dulci, vel acido, vel acri, vel amaro sapore præditum.*

FINIS.

